EVRIPIDES RESTITVTVS

SIVE

SCRIPTORVM EVRIPIDIS INGENIIQVE

CENSVRA,

QVAM FACIENS

FABVLAS QVAE EXSTANT EXPLANAVIT EXAMINAVITQVE, EARVM QVAE INTERIERVNT RELIQVIAS COMPOSVIT ATQVE INTERPRETATVS EST, OMNES QVO QVAEQVE ORDINE NATAE ESSE VIDENTVR DISPOSVIT ET VITAM SCRIPTORIS ENARRAVIT

I. A. HARTVNGVS.

Johann Adam Hartung

VOLVMEN PRIVS.

HAMBVRGI,
SVMPTIBVS FRIDERICI PERTHES.
MDCCCXLIII.

FRIDERICO-ALEXANDRINAE

LITERARVM VNIVERSITATI

QVAE FLORET

E R L A N G A E

NATALI CENTESIMO

SOLEMNIA SAECVLARIA FAVSTIS OMINIBVS
CELEBRANTI

HOC EGO MVNVSCVLVM

MEMOR FRVCTVS, QVEM PARTIM EX SCHOLIS PARTIM EX
CONSVETVDINE VIRORVM ERVDITIONE HVMANITATEQVE
PRAESTANTISSIMORVM PERCIPIEBAM,

PIA CVM GRATVLATIONE

OBFERO.

Quod quondam dixi, velle me Euripidem ab iniuriis vindicare et, quantum in me esset, curare, ut in pristinam dignitatem restitueretur, id nunc septem interpositis annis plenius, quam initio constitueram, facere mihi licuit. Defensionem igitur Euripidis suscepi contra eos, qui non posse Aeschylum vel Sophoclem satis pro meritis extolli, nisi Euripides quavis ratione deprimeretur, putaverunt. Quorum iniquitas quo magis appareret, gladio ab iis tradito ipse interdum usus, Aeschylum gravius vituperavi: ceterum id non ira, sed consilio factum esse planum fore spero. Neque enim me quidem fugit Goethium se cum Schillero comparari noluisse et reprehendisse, si qui, uter praestantior esset, quaererent. An ego, si quem videbo domi forisque officiis suis recte fungi, ut melius posse desperem, non contentus hac re ad vicinum me conferam, ut, sicubi huius mores discrepare cognoverim, reversus illum alterum caviller? Sed propria hominis, cuius opera censere atque aestimare voles, dili-

genter examinanda erunt, ratio habenda locorum temporumque, quibus illa accommodanda fuerint, hominum, quibuscum vixerit communitate iurum, morum institutorumque coniunctus, saeculi denique, cuius vim naturamque ad conformandam illius mentem plurimum valuisse necesse sit. Ad res vero, quae viventibus poetis florentibusque gestae sint, ad viros, per quos vel artes ac disciplinae illustratae sint vel respublica administrata, ad omnes rerum caussas eventusque tanto enixius animus advertendus est, quanto frequentius talium rerum tragicos constat in componendis rebus imitandisque moribus rationem habuisse. Hoc quanti sit in aestimandis Euripidis operibus momenti, facile intelligent, qui, quamnam hic in scribendis fabulis viam rationemque tenuerit, reputabunt. Publicam enim materiam privati iuris facere sic solebat et communia propriis sic temperare, ut et res populorum ipsius memoria gestas et casus virorum, qui civitatibus praeerant, et mores sententiasque hominum, qui tum erant, imitaretur et, quum priscorum virorum feminarumque uteretur nominibus, rebus personisque in similitudinem recentium conformatis, sui saeculi imaginem exprimeret verissimam.

His, quamnam mihi viam ingrediendam esse putaverim, ostenditur. Summam autem operis in fabularum iudicavi enarratione ponendam esse, quoniam quemadmodum eorum, qui rebus gerendis bene

meruerunt, factis, ita eorum, qui scribendo gloriam adepti sunt, operibus ingenia mentesque manifestantur. Quo proposito cum temporum, quibus natae viderentur fabulae, ordinem mihi sequendum esse existimarem, non potui non multa coniectando quaerere. Ceterum demtis iis, quae sunt in suspicionibus posita, satis multa, quae pro exploratis habeas, relinqui videbis. De vita scriptoris, de saeculi ingenio, de reipublicae caussis deque communibus et publicis rebus omnibus, quantum necesse videretur, inter ipsam fabularum explicationem, ubi daretur occasio, exponere constitueram: postmodum vitandorum digressuum caussa longiores eius generis dissertationes singulis didascaliis praemittere satius esse censui. Hoc monitos volo eos, qui de hac operis parte iudicare volent, et praeterea me non hoc egisse, ut iterando quae de iisdem rebus essent ab aliis disputata ignorationi lectorum occurrerem, sed ut explendo quae omissa et melius docendo quae perperam credi putarem, opiniones falso conceptas et iudicia iniquiora corrigerem.

Earum, quae temporum iniuria interierunt, fabularum non satis habui fragmenta colligere, collecta emendare et ut quaeque sententiarum vicinitate alia ad alia pertinere viderentur disponere, neque argumenta indagare, interpretari reliquias et quae esset harum cum illis conspiratio exquirere, quarum partium in altera *Matthiaei* diligentia et sub-

tilitas iudicii, in altera *Welckeri* eruditio et multiplex rerum cognitio utilissime versatae sunt: verum consummari utramque rem tum demum posse iudicavi, si simul rerum compositio et partium descriptio et universa dramatum conformatio qualis fuisset demonstraretur. Quam rem si ii, qui minus erunt experti, ex fingendo et comminiscendo putabunt totam pendere et libidinis magis quam sollertiae esse, non mirabor. Verumtamen si reputabunt, quanta sit graecae tragoediae simplicitas, quam certae compositionis leges, quam rata partium temperatio, tum Euripidis quam constans atque perpetua ratio conformandorum prologorum, canticorum, contentionum, altercationum, epilogorum et similium, posse in hoc scriptore prospero cum successu suscipi rem, quam in aliis tentare temerarium esset, intelligent. Accedit, quod argumenta partis dramatum longe maximae passim apud veteres scriptores inveniuntur vestigia auctoris sic fere sequentes, ut non caussas tantum eventusque rerum retulerint, sed implicationis quoque et compositionis indicia suppeditent satis luculenta, quodque doctissimarum fabularum cognitio adeo ad cunctos mortales, quidquid fuit graeci romanique nominis, permanaverat, ut passim imitando, laudando, alludendo, respiciendo, exempla promendo, sententias decerpendo tanquam imaginem quandam scriptores referant vocis Euripideae. Sic sua virtute poeta praestantissimus, quem,

excepto Homero, nemo gratia et auctoritate aequavit, etiam invito fato, interitum effugit. Propter ea autem, quae ad sarcienda detrimenta molitus sum, ne quis me confidentiae crimine premat iniquius, teneto me non quid pro comperto exploratoque habuerim, sed quid opinatus sim, etiam ubi verba eiusmodi, qualia sunt *puto* et *opinor*, non adiecerim, posuisse.

Latino usus sum sermone hoc consilio, ut veterum potius quam recentium aestimatorum mihi iudicia sequenda et sensa eorundem, a quibus nomina cogitatorum peterem, adsciscenda essent: cuius quidem instituti minime me poenitet. Atque utinam iis, qui in illustrando scenico poeseos genere hodie elaborant, placeat, ut ad veterum poetarum imitationem enixius, quam antea, se applicent. Tenue enim quoddam scribendi genus inter historiam et poesin medium, spretum ab antiquis, sic hodie regnat, ut etiam tragoediarum, quae sunt a nostratibus scriptae, pars longe maxima Romanensibus fabulis, quam veris tragoediis, similior sit. Itaque ad sentiendi subtilitatem magis quam ad fortiter faciendum fortiterque patiendum homines imitationibus illis morum sententiarumque enucleatis, quas dramata appellamus, instituuntur.

Doctoribus adolescentium hunc librum dedicavi et poetarum iis, qui exemplaria graeca etiamnunc manibus suis versanda esse existimabunt, et

cuiuscunque generis hominibus eruditis: quorum ne cui molestus essem, a textu emendando et factitanda critica, quantum fieri potuit, abstinui.

Benevoli lectores si haec, quae iis obtuli, a mendis librariorum satis pura esse iudicabunt, deberi hoc sciant diligentiae *Aug. Straubelii* Gothani, viri supra modum vulgarem docti, cuius opera egregie adiutus sum. Quod si erunt quae velim mutari, in alterius voluminis calce monebo.

Scripsi Schleusingae mense Augusto
anni MDCCCXLIII.

INDEX TITVLORVM.

De dramatum Euripidis nominibus et numero.

In monumento Albano duplici serie, quarum utriusque pars posterior abscissa est, ordine alphabetico haec exhibentur dramatum nomina:

Ἄλκηστις.
Ἀρχέλαος.
Αἰγεύς.
Αἴολος.
Ἀλόπη.
Ἀντιγόνη.
Ἀλκμαίων.
Ἀνδρομέδα.
Ἀλέξανδρος.
Αὔγη.
Ἀνδρομάχη.
(*Ἀντιγόνη*) *Ἀντιόπη.*
Αὐτόλυκος.
Βάκχαι.
Βελλεροφόντης.
Βούσειρις.
Δίκτυς.
Δανάη.
Εἰφιγένεια.
Ἑλένη.
Εἰνώ.
Ἑκάβη.
Ἐρεχθεύς.
Εὐρυσθεύς.
Ἐπηος?
Κρῆτες.
Κρῆσσαι.
Κρεσφόντης.
Κύκλωψ.
Λικύμνιος.
Μελάνιππος.
Μήδεια.
Μελέαγρος.
Οἰνεύς.
Οἰδίπους.
Ὀρέστης.

Optimae fidei hoc esse testimonium Welckerus in libro, quem de tragoediis Graecis composuit, p. 446 seqq. ostendit. Correctis igitur erroribus lapicidae, quem in exarandis litteris saepius lapsum esse ille vir doctus ostendit, duplicatisque nominibus iis, quae binis fabulis communia fuisse constat, ex mente eius, qui illa nomina operario imitanda proposuerat, haec dramata in priore serie nominari intelligitur:

1. *Αἰγεύς.*
2. *Αἴολος.*
3. *Ἀλέξανδρος.*
4. *Ἄλκηστις.*
5. *Ἀλκμαίων ὁ διὰ Ψωφῖδος.*
6. *Ἀλκμαίων ὁ διὰ Κορίνθου.*
7. *Ἀλόπη.*
8. *Ἀνδρομάχη.*
9. *Ἀνδρομέδα.*
10. *Ἀντιγόνη.*
11. *Ἀντιόπη.*
12. *Ἀρχέλαος.*
13. *Αὔγη.*
14. *Αὐτόλυκος.*
15. *Βάκχαι.*
16. *Βελλεροφόντης.*
17. *Βούσιρις.*
18. *Δανάη.*
19. *Δίκτυς.*
20. *Ἑκάβη.*
21. *Ἑλένη.*
22. *(Ἔπηος) Ἐπωπεύς.*
23. *Ἐρεχθεύς.*
24. *Εὐρυσθεύς.*

Rectissime omissa est fabula *Ἀλκμήνη*, quam eandem atque Licymnium fuisse alio loco demonstraturus sum. Iphigeniae et Inonis nomina perperam *Εἰφιγένεια* atque *Εἰνώ* scripta atque iis, quorum prima littera *E* est, intermixta sunt. Quod ultimo loco scriptum est nomen, alii *ΕΠΕΟΣ*, Welckerus *ΕΠΗΟΣ* esse testantur. Aut hos, aut operarium errasse et Epopei nomen in locum Epei restituendum esse, eo loco, quo de hac fabula explicaturus sum, demonstrabo. Reliqua eius seriei pars, quae continebat fere ea nomina, quorum primae litterae *H*, *Θ* et *I* sunt, abscissa est. Haec lacuna, additis iis nominibus, quae litterae *E* perperam immixta sunt, hisce fabularum nominibus explenda esse videtur:

25. *Ἠλέκτρα.*
26. *Ἡρακλῆς μαινόμενος.*
27. *Ἡρακλεῖδαι.*
28. *Θερισταί.*
29. *Θησεύς.*
30. *Ἱκέτιδες.*
31. *Ἰνώ.*
32. *Ἰξίων.*
33. *Ἱππόλυτος ὁ καλυπτόμενος.*

34. Ἱππόλυτος στεφανηφόρος.
35. Ἰφιγένεια ἡ ἐν Ταύροις.
36. Ἰφιγένεια ἡ ἐν Αὐλίδι.
37. Ἴων.
38. Κάδμος.
39. Κερκύων.

Deinceps rursus monumenti auctoritatem sequimur, nomina ponentes haecce:

40. Κρεσφόντης.
41. Κρῆσσαι.
42. Κρῆτες.
43. Κύκλωψ.
44. Λικύμνιος.
45. Μελανίππη δεσμῶτις.
46. Μελανίππη ἡ σοφή.
47. Μελέαγρος.
48. Μήδεια.
49. Οἰδίπους.
50. Οἰνεύς.
51. Οἰνόμαος.
52. Ὀρέστης.

Oenomai nomen eo statim loco, quo iussit ordo litterarum, inserui: in monumento enim hoc nomen cum reliquis abscissum est. Reliqua lacuna sic explenda esse videtur:

53. Παλαμήδης.
54. Πελιάδες.
55. Πηλεύς.
56. Πλεισθένης.
57. Πολύϊδος.
58. Πρωτεσίλαος.
59. Ῥῆσος.
60. Σθενέβοια.
61. Σίσυφος (sive Αὐτόλυκος δεύτερος).
62. Σκίρων.
63. Σκύλλα.
64. Σκύριαι.
65. Συλεύς.
66. Τήλεφος.
67. Τημενίδαι.
68. Τρῳάδες.
69. Ὑψιπύλη.
70. Φαέθων.
71. Φιλοκτήτης.
72. Φοῖνιξ.
73. Φοίνισσαι.
74. Φρίξος.
75. Χρύσιππος.

Hunc fabularum numerum fuisse Varro apud Gellium XVII, 4. testatur his verbis: „Euripidem quoque M. Varro ait, quum quinque et septuaginta tragoedias (fabulas?) scripserit, in quinque solis vicisse, quum eum saepe vincerent aliqui poetae ignavissimi." Cum quo consentit Moschopulus in vita Euripidis: *Δράματα δὲ αὐτοῦ κατὰ μέν τινας ἑβδομήκοντα πέντε, κατὰ δὲ ἄλλους ἐνενήκοντα δύο. νίκας δὲ εἵλετο πέντε, τὰς μὲν τέσσαρας περιών, τὴν δὲ μίαν μετὰ τὴν τελευτήν.* Eadem verba in Suidae lexico habentur et praeter ea haec quoque:

σώζονται δὲ οζ'. Rectius in vita, quae est in cod. Mediol., scriptum est sic: τὰ πάντα δ' ἦν αὐτοῦ δράματα ϛβ', σώζεται δὲ οη', τούτων δὲ νοθεύεται τρία, Τέννης, Ῥαδάμανθυς, Πειρίθους. Detractis igitur his tribus spuriis relinquuntur LXXV, quem numerum consentienti scriptorum testimonio confirmari videmus. Horum dramatum non amplius octo satyrica fuerunt, teste Thoma Magistro: ἔγραψε μὲν οὖν δράματα δύο καὶ ἐνενήκοντα τὰ πάντα, ἐν οἷς ἦν ὀκτὼ μόνα Σατυρικά· νενίκηκε δὲ ἐν πᾶσι τούτοις δράμασι νίκας πέντε[καίδεκα]. Hic satyricorum numerus cum indice, quem supra posuimus, convenit. Fuerunt autem satyrica haecce:

1. Αὐτόλυκος.
2. Βούσιρις.
3. Εὐρυσθεύς.
4. Θερισταί.
5. Κύκλωψ.
6. Σίσυφος.
7. Σκίρων.
8. Συλεύς.

Autolycum enim alterum eandem fabulam atque Syleum fuisse statuimus.

Qui duo et nonaginta dramata ab Euripide composita esse tradiderunt, aut adiectis spuriis quibusdam fabulis ex nominum computatione aut ex sola coniectura eum numerum efficere potuerunt. Nam quum per quadraginta sex annos fabulas ab Euripide doctas esse constaret *), et alternis fere annis singulae tetralogiae in certamen a poetis deferri solitae essent, illum effectum fuisse fabularum Euripidis numerum coniici poterat. Verum modestius initio Euripidem progressum esse et longioribus intervallis fabulas docuisse ex fragmento didascaliarum, quod G. Dindorfius cum vulgo communicavit, cognoscitur. In eo enim de Alcestide scripta sunt haec: τὸ δὲ δρᾶμα ἐποιήθη ιξ῀· ἐδιδάχθη ἐπὶ Γλαυκίνου ἄρχοντος τὸ λ῀ (ὀλ. πε'. Dind.). Pro Ξ reponendum esse signum Z coniicio **). Septendecim igitur fabulas usque ad Ol. 85, 2., quo acta est Alcestis, in scenam ab Euripide delatas esse docemur, quod factum esse arbitror sic, ut bis singulis fabulis, semel trilogia ac ter tetralogiis ab eo certaretur.

*) Suidas: ἐπεδείξατο δὲ ὅλους ἐνιαυτοὺς κϛ' (scribe μϛ').

**) Levissima haec mutatio est omnium, de quibus cogitari potest. Alii vel F vel E (potius Є) maluerunt; cf. Welck. p. 450.

I.
De primis Euripidis fabulis.

Sextum et vicesimum annum agentem fabulas docere coepisse Euripidem scriptum est in vitis codicum Ambros. Paris. Vindob. Havn. his verbis: *ἄρξασθαι δὲ ἀγωνίζεσθαι γενόμενον εἴκοσι καὶ ἓξ ἐτῶν.* Cum quibus fere consentit Thomas Magister: *ἤρξατο δὲ τοῦ περὶ ταῦτα ἀγῶνος ἐτῶν πέντε καὶ εἴκοσι γεγονώς.* Natus autem Euripides esse traditur eodem die, quo ad Salaminem pugnatum est, qui dies erat *εἰκὰς Βοηδρομιῶνος* sive vicesimus tertius mensis Septembris anni 480^{mi}. Quae temporis indicatio si vera esset, efficeretur, ut Sosistrato archonte, initio anni 454^{mi}, plures menses super annum vicesimum quintum natus, primam fabulam Euripides docuisset. At uno anno prius hoc factum esse testimonio vitae, quod est in codice Mediol., docemur his verbis: *ἤρξατο δὲ διδάσκειν ἐπὶ Καλλίου ἄρχοντος κατ' Ὀλυμπιάδα ὀγδοηκοστὴν πρώτην ἔτει πρώτῳ· πρῶτον δὲ ἐδίδαξε τὰς Πελιάδας, ὅτε καὶ τρίτος ἐγένετο.* Contra rectissime calculos omnes constare videbimus, si marmoris Parii auctoritatem sequemur. Huius enim testimonio non anno 480mo sive Ol. 75, 1., sed Ol. 73$\frac{3}{4}$ sive anno 485mo praetore Philocrate natus fuit Euripides. Eiusdem monumenti indicio primam victoriam reportavit Diphilo praetore, natus annos quadraginta tres, i. e. anno 441mo sive Ol. 84, 3. Accuratius dicendum erit illum quadragesimum tertium annum additis paucis mensibus aut dimidio anni egisse, si ineunte anno Attico sive aestate natum fuisse statuamus, id quod postulare videtur marmoris indicium. Haec si vera est computatio, sequitur, ut neque 25^{mum} neque 26^{mum}, sed 30^{mum} agens annum Euripides Peliades in scenam deferendo primum certaverit: qui fuit legitimus annus, ante quem scenicis poetis certare non licebat. Potest autem etiam reliquorum testium con-

sentientium stare fides, si exemplo Aristophanis Euripidem, antequam ipsi chorum impetrare per aetatem liceret, celato nomine per alios choragos fabulas in scenam detulisse statuamus: de qua poetarum scenicorum consuetudine testimonium exstat scholiastae Aristophanis ad Avium v. 530. scriptum hisce verbis: *οὐ γὰρ πρῶτον δι' ἑαυτοῦ καθίει τὰ δράματα ὁ ποιητὴς εὐλαβούμενος, ἀπὸ δὲ τῶν Ἱππέων ἤρξατο εἰςιέναι. Νόμος δὲ ἦν μὴ εἰςελθεῖν τινα εἰπεῖν, μήπω τεσσαράκοντα ἔτη γεγονότα, ὡς δέ τινες, τριάκοντα.* Idem ad v. 502: *νόμος ἦν Ἀθηναίοις μήπω τινὰ ἐτῶν λ' γεγονότα μήτε δρᾶμα ἀναγινώσκειν ἐν θεάτρῳ μήτε δημηγορεῖν. — Ἐπιβὰς δὲ ἤδη τοῦ λ' ἔτους καὶ τοῦτο δὴ τὸ τῶν Νεφελῶν ποιήσας, δι' ἑαυτοῦ διδάσκει.* Huius testimonii fides *) stare tum poterit, si per alios, qui nomina sua profiterentur, dramata demitti potuisse statuamus. Scribere tragoedias Euripides iam duodevicesimo aetatis anno coepit, teste Gellio XV, 20., qui id ex Theopompo hausisse videtur. Hoc quomodo sciri potuit, nisi statim in scenam dramata deferebantur? Quum minor viginti annos natus Aristophanes Babylonios docendos curaverit, quidni eadem aetate idem Euripidem ausum esse putemus? Neque sola coniectura hoc factum esse statuo, sed nitor fide testis locupletissimi, Cratetis, cuius indicium exstat apud schol. Eurip. Rhes. v. 575: *Κράτης ἀγνοεῖν φησι τὸν Εὐριπίδην τὴν περὶ τὰ μετέωρα θεωρίαν διὰ τὸ νέον ἔτι εἶναι, ὅτε τὸν Ῥῆσον ἐδίδασκε.* Hoc testimonium hominis, qui didascaliarum auctoritatem sequi potuit, quemque ad deserendam illarum fidem neque necessitas cogebat neque caussa ulla gravior movebat, elevare studuit Vaterus in vindiciis illius tragoediae p. CLX., et quidem argumentis usus iis, quibus, si diligentius examinasset, non refutari illud, sed confirmari intellexisset. Olympiadis LXXXV. anno quarto, quum Amphipolin in Thracia Athenienses conderent, ossa Rhesi oraculi iussu ex agro Troiano in Thraciam translata atque eo loco, quo urbs condenda erat, defossa esse refert Polyaenus stra-

*) Cf. Meineke fragm. comm. I. p. 104. Bergk. fragm. Aristoph. p. 18.

teg. VI, 53. Contra in dramate Euripidis (v. 955.) statim post mortem in Thracia, non in agro Troiano, Rhesi corpus compositum esse, ipse autem genii naturam induisse narratur:

κρυπτὸς δ' ἐν ἄντροις τῆς ὑπαργύρου χθονὸς
ἀνθρωποδαίμων κείσεται, βλέπων φάος.

Unquam in agro Troiano corpus Rhesi humatum iri *) neutiquam tam diserte negasset Euripides, si illo ipso tempore, quo Rhesum scriberet, ossa illius ex agro Troiano eruta et in Thraciam translata essent **); sed necesse est ante hoc tempus atque adeo ante oraculum illud, quo ossa Rhesi in Troia iacere cognitum est, drama Euripidis in vulgus editum fuisse. Antiquiorem hic secutus est famam, quam memoriae prodidit Philostratus Heroic. p. 680. (62.) ***), ab indigenis ipsis petitam, qui nunquam Rhesum humatum esse et genii praesentis vi numineque pollentem credebant equorum armorumque curae et venationi praeesse, ac divinis honoribus colebant. Iam si quaeras, quaenam Euripidi vel Atheniensibus ante conditam urbem Am-

*) V. 947. οὐκ εἶσι γαίας ἐς μελάγχιμον πέδον.

**) Polyaenus l. l.: ταῦτα τοῦ θεοῦ χρήσαντος, ὁ στρατηγὸς Ἅγνων εἰς Τροίαν ἔπεμψεν ἄνδρας, οἳ τὸ Ῥήσου σῶμα νύκτωρ ἀνορύξαντες ἀνείλοντο τὰ ὀστᾶ, καὶ καταθέντες τὰ ὀστᾶ ἐς χλαμύδα πορφυρᾶν κομίζουσιν ἐπὶ τὸν Στρυμόνα κτλ.

***) Ῥῆσον γάρ, ὃν ἐν Τροίᾳ Διομήδης ἀπέκτεινεν, οἰκεῖν τὴν Ῥοδόπην καὶ πολλὰ αὐτοῦ θαυμαστὰ ᾄδουσιν. Ἱπποτροφεῖν τε γάρ φασιν αὐτὸν καὶ ὁπλιτεύειν καὶ θήρας ἅπτεσθαι. Σημεῖον δὲ εἶναι τοῦ θηρᾶν τὸν ἥρω τὸ τοὺς σῦς ἀγρίους καὶ τὰς δορκάδας καὶ ὁπόσα ἐν τῷ ὄρει θηρία φοιτᾶν πρὸς τὸν βωμὸν τοῦ Ῥήσου κατὰ δύο ἢ τρία, θύεσθαί τε οὐδενὶ δεσμῷ ξυνεχόμενα καὶ παρέχειν τῇ μαχαίρᾳ ἑαυτά. Λέγεται δὲ ὁ ἥρως οὗτος καὶ λοιμοῦ ἐρύκειν τοὺς ὅρους. Πολυανθρωποτάτη δὲ ἡ Ῥοδόπη καὶ πολλαὶ περὶ τὸ ἱερὸν αἱ κῶμαι. Ὅθεν μοι δοκεῖ καὶ βοήσεσθαι ὑπὲρ τῶν ἑαυτοῦ συστρατιωτῶν ὁ Διομήδης, εἰ τὸν μὲν Θρᾷκα τοῦτον, ὃν αὐτὸς ἀπέκτεινε, μηδὲν εὐδόκιμον ἐν Τροίᾳ ἐργασάμενον, μηδὲ δείξαντά τι ἐκεῖ λόγου ἄξιον πλὴν ἵππων λευκῶν, εἶναί τι ἡγοίμεθα καὶ θύοιμεν αὐτῷ, διὰ Ῥοδόπης τε καὶ Θρᾴκης πορευόμενοι, τοὺς δὲ θεῖα καὶ λαμπρὰ εἰργασμένους ἔργα ἀτιμάζοιμεν, μυθώδη τὴν περὶ αὐτοὺς δόξαν ἡγούμενοι καὶ κεκομπασμένην. Cf. Vater. p. CLXI.

phipolin ad illum cultum animos attendendi caussa fuerit, adeundus est lumen rei allaturus Thucydides I, 108., qui haec tradidit memoriae: „Paullo post accidit, ut Thasii ab Atheniensibus deficerent. Caussa autem defectionis emporia erant in adversa Thracia sita et metalla, quibus illi utebantur. Et profecti navibus Thasum Athenienses pugna navali vicerunt atque in terram descenderunt. Missis quoque sub idem tempus ad Strymona decem millibus colonorum, tum suorum tum socialium, oppidum Edonorum, quod tum Novem viae, nunc Amphipolis appellatur, habitare volebant. Et illo quidem potiti sunt; progressi autem in mediterranea Thraciae, ab universis Thracibus, qui illud oppidum Novem vias incoli tenerique ab Atheniensibus aegre ferebant, in Drabesco Edonica deleti sunt" *). Finge eo tempore scriptum doctumque Rhesum esse, quo loca illa metallis emporiisque divitia Athenienses colonis occupare conabantur, et habebis caussam laudandae *τῆς ὑπαργύρου χθονός*, videbis totius tragoediae scribendae docendaeque opportunitatem. Illa autem colonia deducta esse videtur Ol. 78, 3. sive anno 466mo **). Quodsi anno 484mo Euripidem natum esse recte in marmore Pario scriptum est, fuit illo tempore duodeviginti annos natus, quod idem tempus Gellius significare videtur, eo aetatis anno primam fabulam ab Euripide scriptam esse tradens, neque Crates, quum propter immaturam aetatem philosophiae Euripidem expertem fuisse putaverit, aliam quam ineuntem adolescentiam dicere potuit.

Tres colonias Athenienses in regionem illam Thraciae, quae Novem viae appellabatur, miserunt, quarum duae priores ab incolis deletae sunt, tertia demum tenere terram et condere Amphipolin potuit. Iam enim Phaedone archonte Ol. 76, 1., capta per Cimonem Eione, primos illuc colonos miserunt, qui caesi sunt a Thracibus ***).

---

*) Adde Thuc. IV, 102. et Diod. XI, 70.

**) Thuc. IV, 102: *καὶ αὖθις ἑνὸς δέοντι τριακοστῷ ἔτει ἐλθόντες οἱ Ἀθηναῖοι κτλ.* Undetriginta annis ante conditam Amphipolin illum priorem conatum factum esse dicit, i. e. anno 466.

***) Aeschin. fals. leg. p. 755. Vater. Vindic. Rhes. p. CXXXIII.

Unde aestimari potest, quantum Atheniensium, ut loca illa cum metallis tenerent, interfuerit, quantoque studio, quanta cupiditate, quaecunque ad illam Thraciae regionem pertinebant, exquisiverint. Inde multiplex in Rheso fabula commemoratio est locorum Strymoni et Pangaeo monti adiacentium: nam et natus esse Rhesus fingitur ex Strymone flumine, cum Homerus eum Eionei filium fuisse dixisset, et nutritus esse a nymphis Pangaeis et regnum tenere Paeonum prope eundem montem habitantium. Quid, quod etiam commercium quoddam Atheniensium cum Thracibus et communio sacrorum utriusque gentis antiquissimis temporibus fuisse ostenditur: Musaeus enim Atheniensis institutus esse fingitur ab Orpheo, Rhesi fratre, et ornatus auctusque sapientia a Musis, quarum una Rhesi mater erat, nec non etiam mysteria Atheniensium, ab Orpheo ad Musaeum tradita, cum Thracum mysteriis cohaerere putabantur, ut Rhesus quoque, qui una cum Lycurgo a mystis colebatur (v. 957 seq.), ad Atticorum cultum quodammodo pertinere videretur; cf. v. 926 seqq.: *καίτοι πόλιν σὴν σύγγονοι πρεσβεύομεν Μοῦσαι μάλιστα κἀπιχρώμεθα χθονί, μυστηρίων τε τῶν ἀποῤῥήτων φανὰς ἔδειξεν Ὀρφεύς, αὐτανέψιος νεκροῦ τοῦδ', ὃν κατακτείνεις σύ· Μουσαῖόν τε, σὸν σεμνὸν πολίτην κἀπὶ πλεῖστον ἄνδρ' ἕνα ἐλθόντα, Φοῖβος σύγγονοί τ' ἠσκήσαμεν.* Haec quid sibi volebant, aut cuiusnam rei caussa commemorabantur, nisi ad ea, quae cummaxime Athenienses agebant, respiciebant? Ante infelicem autem expeditionis exitum et antequam deletam esse alteram illam coloniam nuntiaretur, Rhesum fabulam actam necesse est propterea, quod post acceptam cladem non solum inutilis, sed etiam odiosa fuisset locorum illorum et sacrorum commemoratio. Quare quum eodem tempore, quo conscribebantur coloni, hanc fabulam in theatro spectatam esse verisimile sit, et duodeviginti annos natum ad tragoedias scribendas Euripidem se contulisse Gellii sive Theopompi testimonio constet, Ol. 78, 3. sive hieme anni 465. Lysania archonte Rhesum actum esse coniicio.

Alterum drama aetatis anno vicesimo quinto vel sexto doctum ab Euripide esse credendum est propter testimonia, quae commemoravimus supra. Is fuerit annus

a. Ch. n. 459 sive Ol. 80, 1. Dramatum, quae primis temporibus docta esse constat, Hippolytum priorem huic tempori assignaverim duabus de caussis. Primum enim non videtur Euripides idem argumentum, quamvis immutatum, postea iterum ornaturus et in certamen commissurus fuisse, nisi in priore certamine suppositi alicuius poetae nomine usus, celato suo, fuisset. Deinde quum res illius dramatis agi fingerentur Corinthi, opportunitas dabatur ad Corinthiorum, quae tum erat, voluntatem infestumque Atheniensibus animum alludendi: qua de re conferendus Thucydides I, 103. et 105. Neque enim ipsa carminum praestantia favorem vulgi sibi conciliare vel victoriam adipisci poterant poetae, nisi sic argumenta temperarent, ut ad praesentem reipublicae conditionem aliquo modo fabulae pertinere viderentur, et studiose Euripidem a primis statim temporibus hoc secutum esse, ut, quae antiquitus tradita dramatibus exornaret, ad praesentes usus accommodaret, quin etiam ea semper de industria argumenta tractanda sumsisse, quibus maxima esset cum rebus, quae cummaxime populo curae erant, similitudo, non Rhesi tantum, sed Peliadum quoque exemplo docemur.

Eodem anno, quo primam victoriam Aeschylus reportavit, natus est Euripides. Insignem Graeciae felicitatem, qua duo tragicae poeseos principes, Sophocles atque Euripides, uni Aeschylo successerunt, Graeci ipsi praedicarunt, a pugna Salaminia omnem civitatis florem ortum esse significantes. Aiunt enim eodem die, quo praeclarissima victoria Themistoclis, summi ducis, consilio et virtute de barbaris reportata sit, summum poetam Euripidem in Salamine insula in lucem editum esse et ab eo proelio, quod erat paullo ante ad Euboeam haud longe ab Euripi freto commissum, nomen accepisse; addunt Aeschylum Salaminio proelio pugnantem interfuisse, Sophoclem, ut formosum adolescentem, in choro saltasse, quum propter eam victoriam festum celebraretur. Huius generis plurima a Graecis belle lepideque excogitata esse et pro veris vendita, quis est qui ignoret? Quamobrem me neque multitudo testium neque confidentia movet, ut huic commento plus quam marmoris calculis certissimis tribuam, praesertim

quum codicum testimonia inter se ipsa non congruant. Et manifesto ficta sunt quae de origine nominis traduntur, quippe quum multo ante pugnam apud Euripum commissam quidam Atheniensium non ignobiles Euripidis nomen gesserint et unus, qui erat Aeschylo non multo iunior, etiam inter tragicos poetas floruerit; cf. Suidam s. v. Eurip. et Bodeum hist. poes. dram. I. p. 449. n. 5.

Quod autem singulis tragoediis Euripidem initio certasse statuo, pro testimonio utor Suidae verbis de Sophocle scriptis: *ἦρξε τοῦ δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι, ἀλλὰ μὴ τετραλογίαν*, quibus simpliciter dici arbitror illum aut initio aut primum singulis tragoediis certasse. Non enim morem tetralogiis certandi, quod plerique statuunt, immutatum esse, omnia clamant, neque ad rationem societatemque dramatum Suidae verba pertinere posse, facile est intellectu *).

A. Rhesus sive Nyctegresia.

Quum prologus in codicibus, quos hodie habemus, nullus exstaret, duos autem prologos scriptor veteris argumenti in libris suis invenisset, quorum alterum aptum dramati et genuinum esse dixit (*δικαίαν ἐκτιθεὶς τὴν ὑπόθεσιν Ῥήσου*), alterum plane pedestrem neque dignum Euripide et a scenicis manifesto compositum (*πεζὸς πάνυ καὶ οὐ πρέπων Εὐριπίδῃ· καὶ τάχα ἄν τινες τῶν ὑποκριτῶν διεσκευακότες εἶεν αὐτόν*), recentiorum criticorum alii verum esse censuerunt initium prologi, quem genuinum fuisse grammaticus affirmat, alii spurium utrumque fuisse, neque ullo huic fabulae prologo opus fuisse ostendere studuerunt. Horum in numero est Vaterus, qui, quum leves inanesque esse caussas, quibus moti priores critici genuini

---

*) Idem nuper Feldmannus in programmate quodam, quod mihi ipsum videre non licuit, hisce verbis docuit: „Non illud profecto inde consequitur, veteres ante Sophoclem tragicos trilogiis semper argumenti affinitate coniunctis certasse, sed, quod luce clarius, tetralogias plerumque minime huic legi obnoxias docuisse, Sophoclem vero primum singulas in certamen vocasse tragoedias."

prologi fragmentum damnassent, recte docuisset, levissimis ipse argumentis usus idem efficere conatus est. „Duo," inquit, „videntur me movere, alterum, quod grammatici veteres ita statuerunt, siquidem legitur in argumento priore lin. 11 seq.: ὁ χορὸς συνέστηκεν ἐκ φυλάκων, οἳ καὶ προλογίζουσι; magis vero, quod duo prologi ferebantur, ut Matthiae verbis utar, quod ipsum documento esse potest neutrum ab ipso poeta profectum esse." Horum argumentorum posterius, id quod quilibet videt, nullum est; nec minus inane est, quod addit: „nam si antiquitus prior exstitisset prologus Euripideo more conscriptus, nulla caussa erat alterum scribi, qui iis Euripidis exordiis, quae supersunt, prorsus contrarius est." Quasi non quotidie fieri videamus, ut, qui fabulas in theatris agendas suscipiunt, temere, si quae partes dramatum sine theatri offensione abesse posse ipsis videantur, abscindant et quas ipsi efficiunt lacunas suis interpolamentis expleant, amplioribus breviora, impeditioribus faciliora substituentes. Facillime autem prologus talis, qualem huic dramati fuisse ostensuri sumus, abiici potuit ideo, quod in Graecorum castris agebantur res, quae illo continebantur, neque arctissime videbantur cum iis, quae in Troianorum castris aguntur, cohaerere. Accedebat, quod, recisa illa dramatis parte, simplici apparatu scenico res agi poterant, quum servata eadem opus fuisset duplici. Alterum argumentum testimonio nititur hominis neque cauti diligentisque neque acuti, sed levis et oculorum sensu magis quam ratione iudicantis. Nam quod a suis libris prologum abesse videbat et tamen prologos praemitti fabulis solere sciebat, chori parodum pro prologo esse haud cunctanter effatus est, quem errorem mox accuratius refutaturus sum. Nullum Euripidis drama prooemio caruisse Vaterus Aristophani in Ranis (v. 945 seqq.) dicenti non credidit. „Neque enim," inquit, „quisquam diserte tradidit nullam Euripidis tragoediarum prologo iusto caruisse, neque credibile est poetam statim ab initio hoc usum esse invento, aut nunquam postea a more recepto recessisse." Fugit eum scilicet testimonium scholiastae ad Hecubae initium scriptum his verbis: ὃ καὶ ἐν ἀρχῇ πάντων τῶν αὐτοῦ

δραμάτων ποιεῖν εἴωθεν. Hic quidem certe aperte nullam Euripidis tragoediarum iusto prooemio caruisse affirmat. Caussam huius moris proponit scholiasta ad initium Troadum: *ὅλος ἐπὶ τοῦ θεάτρου ὁ Εὐριπίδης· πρὸς δ᾽ ἀφορῶν τοὺς λόγους ὁ Ποσειδῶν ποιεῖ παρὼν ἐν τῇ ὑποθέσει.* Non legentibus, sed spectantibus scripsisse ait Euripidem: itaque semel et perspicue et plene, non obiter et obscure et aliud agendo de rerum nexu docere voluisse. Quam caussam quum in omnibus fabulis componendis eandem fuisse appareat, prooemia necesse est omnibus praemissa fuisse. Neque ex quinque et septuaginta fabulis, quarum pars servata est, ceterae, quali structura fuerint, partim ex narrationibus mythographorum, partim ex fragmentis cognosci possit, ullam inveni, quam prooemio caruisse certis ex indiciis demonstrari possit. Aut igitur Euripidem Rhesi auctorem esse negandum, aut prooemio hanc fabulam instructam fuisse concedendum erit.

Sed ponamus eam sine prooemio sive ab Euripide sive ab alio poeta scriptam esse: potestne etiam sine prologo? Stupidius enim nihil dici potest, quam quod, a choro prologum agi, scriptor quidam argumenti affirmavit. Confer initium Persarum Aeschyli et Supplicum, et videbis, quid intersit, utrum solam parodum chorus, an idem prologum agat. Quod autem Aeschylus fecit, idem, mutatis iam imminutisque chori partibus, a quoquam, qui posterior esset non solum Aeschylo, sed etiam Sophocle atque Euripide, factum esse num credibile est? An glandibus homines vesci maluisse, inventis frumentis, putamus? Euripidem vero, qui totus erat in theatro (*ὅλος ἐπὶ τοῦ θεάτρου*), qui perspicuitati rerum plus etiam quam concinnitati tribuebat, qui non minore diligentia quae extra scenam agi fingebat, quam quae spectanda exhibebat, persequebatur, qui doceri theatrum et de prioribus et de posterioribus rebus tanti faciebat, ut, ubicunque non posset per homines fieri, deos in scenam advocaret, qui huic ipsi fabulae huius rei caussa Musae personam adhibuit, qui nullam unquam personam in scenam produxit, quin de nomine deque caussa adventus spectatores antea accurate doceret, ab hoc igitur

putamus Graecos duces in Troianorum media castra noctu repente inductos esse, non monito theatro, quidnam agentes venissent, quanam arte eo penetrassent, quonam vel privato vel publico consilio laborem periculosum suscepissent? Praecipitatum esse duorum virorum virtute Hectoris, quem tremebant omnes, fastum et magniloquentiam, sublatam esse Rhesi, quem teste Minerva ne Achilles quidem neque Aiax, quominus castra navalia everteret, prohibituri erant, operam et momentum, ad irritum cecidisse Dolonis audacem perinde atque dolosum conatum, fractam esse totius exercitus victoris alacritatem atque fiduciam, tantam rerum commutationem factam cum ostendere poeta vellet, tam defunctorie, tam obiter, tam obscure, tam abrupte virorum, quorum opera et consilio illa effecta sunt, mentem voluntatemque theatro exhibitam esse quis credat? Omissa esse omnia, in quibus summum rerum positum erat momentum, universum plane prologum abiectum esse, carere drama una ex partibus iis, quibus quasi membris nullum, quin pro debili mancoque haberetur, carere poterat, neque quidquam inesse, quod in locum partis, quae desideratur, substitutum esse dicere possis, hoccine eiusmodi est, quod secure negligatur?

Accedit ad argumenti scriptorem alter testis non minus gravis, vel etiam locupletior, Attius, cuius Nyctegresiam de Euripidis Rheso expressam fuisse ostendit Vaterus, idem erravit, partem dramatis proprio quasi Marte ab Attio inventam atque exemplari, quod imitaretur, adiectam esse arbitrans. Non haec fuit illorum poetarum ratio imitandi, ut immutarent ea, quae non aut institutorum morumque diversitate aut linguae natura mutare iubebantur, neque Attius, cum duodeviginti Euripidis dramata, quantum equidem cognoscere possum, latina reddidisset, horum ullum sic immutavit, ut vel demeret partes integras vel adiiceret novas, sed summa ubique imitatoris cum auctore conspiratio deprehenditur. Huius igitur fabulam uno actu ditiorem, quam Graecum exemplar, quale nunc habetur, fuisse intellexit Vaterus: continebat enim primum prooemium Agamemnonis, quo caussam convocandorum ducum nocte intempesta exponebat, deinde ducum

ipsorum consilium. Et huius quidem actus plurima servantur fragmenta fabulae Attianae, et praeter illa haec, ex quibus eandem fabulam Attii atque Euripidis Nyctegresiam fuisse intelligatur *):

1) „*Cuncta expedibo: id modo iusiurandum date*". Dolonis verba sunt, equos Achillis sibi mercedem suscepti periculi dari et iureiurando promissum firmari iubentis; cf. v. 161: *οὐκοῦν πονεῖν μὲν χρή, πονοῦντα δ' ἄξιον μισθὸν φέρεσθαι κτλ.* Cf. etiam v. 191.

2) „*Id quod facis gratum et grave est*". His verbis Hector Dolonem strenue operam offerentem collaudat; cf. v. 158: *ἐπώνυμος μὲν κάρτα καὶ φιλόπτολις Δόλων κτλ.*

3) „*Iamque auroram rutilare procul*". Haec egregie conspirant cum Euripideis (v. 521.):

ἀὼς δὴ πέλας, ἀὼς
γίγνεται κτλ.

Reliqua fragmenta omnia ex prologo depromta esse video, quae sic dispono. Prodit ex praetorio Agamemnon media nocte, quae his verbis significatur:

νῦν εὐσέληνον φέγγος ἢ διφρήλατος,

exponensque illa de Graeci exercitus discrimine deque sua desperatione, quae eadem ostendit Homerus Il. *κ*, 1—20., praeconem a se missum esse docet, qui in consilium duces acciret. Ne ignis („aura Volcani vorax") navium trabibus admoveatur, si proxima luce Hector ferox et victoria elatus proelia redintegrarit, veretur:

„*Scandit aura laterum texta Volcani vorax*" **).

Iam enim ante ipsa castra navalia exercitus hostium consedit, id quod ostenditur Euripidis verbis v. 20:

— οὐκ οἶσθα δορὸς
πέλας Ἀργείου νυχίαν ἡμᾶς
κοίταν πανόπλους κατέχοντας;

---

*) Non premam silentio, quamvis minime sit probabile, quod Schoell (de tetralogiis trag. Att. p. 455.) suspicatus est, partem Antenoridarum Sophoclis ab Attio redditam fuisse.

**) Recte Bothius: „caussa," inquit, „nocturnae consultationis incendium classis." Non nunc iam incensam esse, sed parum abesse, quin incendatur, dicit Agamemnon.

Itaque Agamemnoni, quanta est consternatione animi, iam ex parte castrorum Graeci expelli adituque navium intercludi videntur:

— „*Classis aditus clauditur, fervit*".

Haec videns reputansque somnum capere nequivit prae vehementia doloris,

„*Scindens dolore identidem intonsam comam*" *).

Congregatis deinde ducibus caussam nocturnae consultationis ostendit:

„*Cuius vos tumulti caussa accierim et quid parem, advortite.*"

Poenitet eum, quod non pridem opportuno tempore bellum aequis conditionibus composuerint, quod si fecissent, exercitus

— „*Rite ad patriam sospes pervenisset*".

Iam, priusquam plane salus reditusque intercludatur, fugiendum esse censet ac, donec tenebrae fraudem adiuvent, ex barbarorum terra abeundum. His auditis Menelaus fratrem obiurgat, dolens nimirum, quod infecta re relictaque apud Troianos uxore redire cogatur. Et hunc quidem, ut cupidini obnoxium et sui commodi nimis studiosum, refutat Agamemnon, negans propter unam mulierem vita sociorum amplius periclitandum esse:

„*Tun' quod superest socium mittis leto, an lucti poenitet?*"

Surgit autem Diomedes et vituperata regis timiditate se in hostium castra speculandi caussa continuo iturum profitetur:

„*Iubet nunc attentare, iubet nunc animus ruspari Phrygas*" **).

Socium ab Agamemnone iussus eligere, Ulyssem omnibus praeponit:

„*An ego Ulyxem obliviscar unquam, aut quemquam praeponi velim?*" ***)

---

*) Cic. Tusc. III, 26, 62. Cf. Il. κ, 14.

**) Cf. Il. κ, 220: *Νέστορ, ἔμ' ὀτρύνει κραδίη καὶ θυμὸς ἀγήνωρ Ἀνδρῶν δυσμενέων δῦναι στρατὸν ἐγγὺς ἐόντων.*

***) Il. κ, 243: *πῶς ἂν ἔπειτ' Ὀδυσῆος ἐγὼ θείοιο λαθοίμην;*

Pudori sibi ducit Menelaus non suscipere societatem periculi neque pro Ulysse se Diomedi adiungere comitem, qui aut morte illum eripiat, aut una occumbens poenam iniuriae, quod bellum omnibus et periculum Diomedi conflarit, patiatur iustissimam:

„*Aut ego illum eripiam*, *aut illi poenas sufferam*".

Sed a fratre contumeliose repudiatur, non pie retrahitur: illum enim Diomedi vel Ulyssi parem aequalemque esse negat:

„*Illos suapte induxit virtus*, *tu laudem illorum levas*" *).

Ulyssem, quamvis maximi momenti essent partes, quas Diomede deferente suscipiebat, tamen, quoniam non plus tribus actoribus uti licebat, tacitum huic colloquio interfuisse necesse est: quod non mirabuntur, qui Pyladis quale in pluribus tragoediis munus sit comparabunt.

In hac Attianae fabulae parte quis non Euripidis imitationem deprehendit? Nonne enim Atridarum contentio eadem huic actui, quae Iphigeniae Aulidensi atque Telepho eiusdem poetae inest? Negavit Vaterus illa de Euripideis expressa esse, argumento quidem utens eo, quod nullum est. „Quanquam", inquit, „loci mutatio in Graecis tragoediis non semel reperitur, in hac tamen tragoedia omnino nequibat adhiberi. Nempe si indolem Graecarum tragoediarum perspiciam, ibi tantum loci mutati potestas fuerit, ubi idem manet chorus, sicut in Aiace Sophoclea et in Aeschyli Eumenidibus. Quod non cadit in Rhesum, in qua illic milites Graeci, hic Troiani chorum efficerent." At a prologis choros abesse, nemo est qui ignoret. Addit igitur: Unica restabat via, si ante chori adventum locus mutabatur. Quod quantis difficultatibus prematur, vix est opus moneri. Quomodo enim concilium Graecorum ducum potuisset exhiberi, nisi chorus eos egisset! Equidem quomodo hoc dubitare potuerit vir doctissimus, vehementer miror. Quasi non saepe universi populi conciones, quae non agant personam chori, convocentur, et quasi unquam chori personam agere possit grex hominum, cuius duo pro se quisque verba faciunt, reliqui silent.

---

*) Cf. Il. η, 109—119.

Tertius testis concilii ad praetorium Agamemnonis convocati Euripides ipse prodit, ad priorem dramatis partem, quae periit, respiciens, dum chorum facit haec Hectori nuntiantem:

πᾶς δ' Ἀγαμεμνονίαν προςέβα στρατὸς
ἐννύχιος θορύβῳ σκηνάν,
νέαν τιν' ἐφιέμενοι βάξιν.

Gravissimi vero momenti argumentum ex ipsa dramatis natura gignitur: quippe cum, quibuscunque hoc carmen vitiis laborare putatur, quaecunque crimina merito illata sunt, dissolvi possint, si prologum eius generis, cuius dixi, praemissum fuisse statuamus. Haec lustratis omnibus dramatis partibus facilius intelligentur: sed hoc statim loco apparet non duabus ex actionibus fabulam male coagmentatam esse. Neque enim aut in Dolonis speculatione aut in Rhesi caede summum momentum ponitur, sed in Graeci exercitus fortuna duorum virorum virtute ac prudentia subito mutata. Stuporem hoc dicto iniici scio iis, qui ad singulos homines, quam appellant personam primariam, omnes omnium dramatum partes revocari debere arbitrantur. Quorum errorem alio loco arguere constitui: interim eos reputare iubeo, quibusnam veterum vel praeceptis vel exemplis docti istam opinionem conceperint. Afflictae Graecorum res et discrimen exercitus oratione imperatoris sic declaratae erant, ut magna sollicitudine, magna misericordia animi afficerentur et prospere cedere duumvirum conatum vehementer cuperent. Non caruit igitur haec fabula iis virtutibus, quibus eam carere non debere recte dixit Beckius, hisce utens verbis: „Modo argumentum fabulae eiusmodi sit, ut capiat, detineat, delectet spectatorum mentes, et ut vim habeat in eorum animos hosque cum ad misericordiam tum ad virtutis amorem, vitiorum odium adducat. Igitur initio excitanda est in iis cupiditas et quasi ardor totius rei cognoscendae, qui sensim debet, procedente fabula, aliquantum restingui, sed satiari, ubi fabula finitur." Neque migravit has leges Euripides, sed servavit optime. An magni exercitus, magni imperatoris, magnorum ducum extremum discrimen minus quam singulorum hominum mala atque pericula ad moven-

dos animos, Graecorum praesertim hominum, aptum fuisse putamus? Quis praeterea ignorat summa cum voluptate a Graecis spectatos esse homines calliditate perinde atque fortitudine excellentes atque ex desperatis rebus per summas difficultates consilio et virtute eluctantes? Quomodo vero capiendi, tenendi, commovendi, delectandi, docendi vi carere potest drama, quod tam gravem rerum commutationem repraesentat, qua contunditur insolentia eorum, qui tanquam iam certa explorataque victoria triumphabant, confirmantur animi eorum et ad sperandam maiorem victoriam eriguntur, quibus extrema quaeque verenda fuerant? Ego, quotiescunque Homerum legi noctis illius decretoriae casus exponentem, admiratus sum sapientiam poetae et visus est mihi, de Graecis Troianisque narrans, Romanorum ad Cannas victorum invictum animum et Poenorum, plagam mortiferam prostratis infligere dedignantium, errorem exprimere, ac totius belli eventum in depingenda illa nocte ostendere. Neque aliud quidquam, quam Homerum, Euripidem spectasse secutumque esse puto, ut rectius Nyctegresia, quam Rhesus, hoc drama inscribi potuerit: non enim ab ipsis scriptoribus nomina fabulis imposita esse manifestum est. Quamobrem, si recte et vere de natura humani animi expressa sunt illa Homeri, et similitudine rerum a populis quibuscunque gestarum confirmantur, non minus recta et vera et personae Hectoris convenientia sunt ea, quibus Euripides, Homerum secutus, ducis Troiani insolentiam adumbravit; cf. Il. ϑ, 497—541. cum nostrae fabulae v. 52—75. Quae insolentia quo magis esset conspicua, necesse fuit antea et desperationem Agamemnonis et reliquorum ducum constantiam intrepidumque animum ostendi. Quum autem concilium ducum Euripides repraesentans Iliadis lib. IX. v. 1—79. et 697—713. imitaretur, uni Diomedi tribuit partes, quas apud Homerum idem cum Nestore suscepit, ut castigato Agamemnone, qui fugam suadebat, ultro se ad exploranda hostium consilia damnumque iis inferendum in Troianorum castra iturum esse profiteretur. Colloquii huius versus quosdam apud auctorem Christi patientis deprehendisse mihi videor. Is enim, quum ex reliqua Rhesi parte plurimos versus in

usus suos converterit, potuit etiam prologi nonnullos transscribere. Et videntur ad deperditum Rhesi prologum haec frustula posse revocari:

1) ὁμῶς δὲ πάντα τλησικαρδίως φέρειν
τὰ νῦν προςήκει κάρτα τ' αὖ πεποιθέναι
(v. 1066. 1067).

Diomedis personae haec conveniunt. Agamemnoni autem tribuo v. 722:

2) ἄλογος, ὕπερθεν τῶν ἐμῶν ἐλπισμάτων.

Ex Diomedis rursus verbis depromtum esse suspicor versum, quem corruptum falsarius vv. 2003. 2122 et 2407. iteravit:

3) ἀλλ' εἰςίωμεν ἡσύχῳ ποδὸς βάσει.

Iam ad ea, quae servata sunt, transeo. Incipiunt a parodo chorumque efficiunt milites, qui vigilias agunt, quos quidem non esse gregarios inde intelligitur, quod eorum in numero Dolon est, nobilibus maioribus ortus, quodque in consilium adhibentur ab Hectore, neque sententia eorum negligitur. Gregarios igitur milites in stationibus relictos esse puto, et solos duces ad Hectorem se contulisse, id quod ipsi, se ὑπασπιστὰς ducis esse dicentes, declarant. Et quidem ex quinque noctis vigiliis quartam sibi obtigisse ostendunt, de tempore, quo haec agi fingantur, docentes planissime. Commodissime factum est, quod vigilibus munus chori Euripides delegavit, quibus stato tempore decedentibus et temporis decursus significaretur et scena opportune vacuaretur. Caussa autem adeundi Hectoris multitudo est ignium, quos in hostium castris flagrare animadverterunt, quibusque territi, nocturnum dolum vel impetum Graecos moliri suspicantur. Transtulit igitur ad Graecos Euripides quod de Troianis finxit Homerus, ut ignibus quam plurimis accensis alacritatem bellique gerendi cupiditatem significarent eaque re terrorem iniicerent hostibus. Qui ignes quod quarta demum vigilia animos vigilum Troianorum adverterunt, posses coniicere eos illo demum tempore ex ducum, qui apud imperatorem congregati fuerunt, consilio incensos esse, nisi Troiani eos per totam iam noctem arsisse testarentur (v. 42. et v. 95.). Inde eos, qui priores vigilias egerunt, minus vehementer hoc viso motos esse statuendum est.

Apud Troianos igitur reliqua pars dramatis agitur, neque alia ratione gravius magnitudo victoriae ob oculos poni potuit, quam hostium fortitudinem et confidentiam in turpem stragem deductam repraesentando. Longe autem diversa sunt quae apud Troianos agi videmus ab iis, quae a Graecis acta esse ex prologi quibusdam vestigiis suspicati sumus. Et primum insolentia Hectoris conspicua redditur, quae quo magis elucescat, militum sollicitudo ei opponitur. Summa enim cum trepidatione et insigni cum tumultu vigiles Hectorem humi cubantem adeunt *), eoque ex somno excitato nil non rerum ad proelia committenda necessariarum, quasi iam hostibus castra invadentibus, extemplo parari atque expediri iubent. Neque solus Hector, sed reliquorum quoque ducum militumque bona pars horum strepitu e somno excitatur (cf. v. 19. 89. et 139.), atque unus ducum statim ad strepitum accurrit. Hoc eo consilio finxit Euripides, ut de Diomedis Ulyssisque salute vehementius timeremus. Apud Graecos pavebat imperator, tranquilli constantesque erant reliqui duces, unde fiebat, ut ex illius pavore omnium nasceretur fiducia atque alacritas. Apud Troianos superbit imperator, solliciti sunt milites, neque horum sollicitudine illius superbia sanatur. Audito igitur nuntio Hector, fuga Achivos se subducere conari pro certo atque explorato habens, dolet, quod, quominus per noctem proelium continuaret et rebus uteretur secundis, vatum consiliis prohibitus sit. Iam funditus delendi exercitus Graeci opportunitatem non omissurus, totum statim exercitum e somno excitari vocarique ad arma iubet, Graecos, dum naves conscendant, partim interficere partim capere volens. A quo temerario conatu quum hominem, decertandi fortitudine omnia transigi posse putantem (*ἁπλοῦς ἐπ' ἐχθροῖς μῦθος ὁπλίζειν χέρα*), chori auctoritas nequeat deducere, tempestive intervenit, strepitu vigilum excitatus, Aeneas, qui et prudentissima et luculentissima et gravissima oratione temerarium cohibeat et misso speculatore consilia hostium, antequam moveatur exercitus, exploranda esse doceat.

---

*) Orchestram pulpito non multo inferiorem fuisse necesse est. Idem in Troadibus inque Iphigenia Aulidensi intelligitur.

Haec verissime Euripidea esse, Eteoclis et Creontis, quod est in Phoenissis, colloquium cum iis conferens cognosces. Eadem ex animi humani natura petita et ad exemplum veritatis expressa esse intelliges reputans illud, quod verissime dixit Aeneas, non omnia omnes posse, sed alium aliis virtutibus pollere, et fere, qui fortes essent manibus, minus tribuere consilio. Hoc enim crimine et Achilles et Aiax et Hector et fere quicunque robustis sunt viribus tenentur, et necessario quidem, quoniam quibus quisque bonis plurimum pollet, his maxime, neglectis spretisque reliquis, confidit. Ne tamen plane „temerarium et magniloquum Thrasonem" Hectorem ab Euripide factum esse arguere possis, prospectum est obsequio, quo prudentiora consilia admittit et salubria suadenti amico cedit, unde illum magis cupiditate animi et repentino tumore, quam tarditate ingenii errasse apparet. Neque vituperare Euripidem poteris, quin eiusdem culpae Homerum accuses, cuius ille paene singula verba imitatus est; cf. Il. ϑ, 497—541; μ, 230—250. Eadem imitatio colloquio inest, quo Dolon se speculatorem offert et praemium suscepti periculi postulat tale, quali insolentia Troianorum manifestissime declaretur; cf. Il. κ, 303—332. et 390—405. Non auxit vanitatem Dolonis Euripides, sed magis conspicuam reddidit comparando hoc praemium cum amplitudine eorum praemiorum, quae illi postposuit. Neque enim honorem, neque divitias, quae res summa cupiditate a plerisque affectantur, ac ne summos quidem Graecorum duces in servitutem accipere tanti facit, quanti equos Achillis immortales atque ex immortalibus natos, quos Neptunus quondam Peleo donavit, in domum suam deducere. Haec ut ambitiose postulantur, ita confidenter, quasi iam capta, promittuntur; neque minus asseveranter etiam felicem speculationis eventum sibi ipse Dolon praedicit. Leniter tecteque consilium hominis improbat chorus: satis amplum praemium affinitatem regum futuram fuisse censet, neque rata fore promissa, nisi Iovis Iustitia suffragetur. Operae pretium est cognoscere inventum novum atque inauditum, quo fretus Dolon se non solum ipsum salvum rediturum esse, sed etiam Ulyssis aut Diomedis

caput reportaturum esse pollicetur. Pelle enim lupina indutus caputque capiti, pedes manusque pedibus aptans, quadrupedem, ubi ad fossam navesque pervenerit, imitaturus est, in solitariis autem locis, ne moretur iter, bipes ingressurus. Humilitatem hominis arguit, quod ad tale dissimulationis genus descendere sustinet, sed non stupiditatem neque ineptiam. Fertur autem inter nostros quoque fabula oppidum quoddam bene munitum, quum iam in eo esset, ut hostibus traderetur, ignobilis cuiusdam hominis simili astutia, quod capri pellem formamque induisset, servatum esse. Eundem dolum feliciter cessisse Iudaeis cum Vespasiano bellum gerentibus memoriae tradidit Iosephus III, 13. Cf. Vater. p. 120. Musgrav. ad v. 208. Et Dolon ipse non eo loco, quo usurus erat hoc artificio, sed antequam uteretur, captus est. Facile ingenium Euripidis, quo in fraudibus excogitandis nemo sollertior fuit, etiam ex huius doli novitate cognoscitur. Profecto Dolone, chorus, ut decet, faustis precationibus laudibusque viri, qui solus pro patria in tempore necessario laborem periculumque susceperit, strenuitatem prosequitur, Apollinem, qui Troiam munivit, precans, ut comes et socius esse Doloni velit neve praemio, quod expetit, eum destituat. Denique laetatur, quod inter Phryges inventus sit, qui ignaviae opprobrium, quo Phrygum Mysorumque gens prematur, re et factis propulset. Tenuit autem Euripides per omnem aetatem consuetudinem, non homines tantum, sed populos quoque tales, quales ipsius temporibus erant, repraesentandi et barbarorum Asianorum mores Troianis tribuendi. Ceterum quaecunque insunt huic actui, quo Dolonis conatus exponitur, omnia ad priorem actionem, quae scenicorum iniuria recisa est, respicere videntur. Dolosi enim eiusdemque timidi hominis, humilis eiusdemque insolentis imagini, quo magis elucesceret, oppositae fuerunt personae Diomedis Ulyssisque, animosorum perinde atque cautorum callidorumque, virtute et mutuo auxilio et praesenti animo rectius, quam invento sordido, fidentium. Tum praemii pactio insolentissima componenda fuit cum abstinentia hominum solo patriae amore et generosi animi impetu, ut solent personae Euripideae, ad suscipiendum

laborem periculumque adductorum; denique Phrygum ingenia Graecorum moribus ex adverso positis arguenda fuerunt. Singula verba, singulae sententiae, actionis totius ratio vehementius movebat, magis delectabat, rectius docebat spectatores, praemissis iis, quibuscum composita magis redderentur conspicua. Accedit, quod, quum nulla fieret facultas caedem Dolonis, et quaecunque extra scenam in spatio utrisque castris interiecto aguntur, narrandi, curandum fuit, ut ex ipsis statim colloquiis eventum possemus suspicari. Eo pertinet illud, quod Dolon se aut Ulyssis aut Diomedis caput abscissum secum reportaturum esse pollicetur: quae per se quidem spectata ridicula est promissio, sin illos ipsos, quibus mortem homo vanus minatur, cummaxime ad hunc eundem intercipiendum paratos esse scimus, si diserte duumviri praedixerunt se in itinere, ne quis forte ex Troianis speculator in Graecorum castra se conferret, exploraturos et ad quemvis ambulantium strepitum animos auresque attenturos esse, si certae Dolonem perniciei obviam ire nobis persuasum est, tum illa non iam ridicula, sed tragica est vox.

His peractis, maioris victoriae reportandae maiorisque praedae adipiscendae materia Diomedi Ulyssique paratur. Cuius victoriae magnitudo ut, postquam parta esset, recte posset aestimari, necesse fuit antea de viribus, fortitudine, divitiis et spiritu viri, qui de medio tollendus est, quam plenissime exponi. Quod quo posset commodius aptiusque coram theatro fieri, fingendum fuit Rhesum cummaxime cum exercitu in castra pervenire, quum noctu quam interdiu per terram ab hostibus occupatam proficisci tutius esse duceret. Iam vero si ante Dolonis discessum pastor, qui Rhesi adventum nuntiat, in castra pervenisset et audiente Dolone Hectorem de Rheso copiisque eius certiorem fecisset, assecutus esset hoc poeta, ut speculatores, de eadem re statim a Dolone edocti, sicut fit apud Homerum, recta ad eum locum, in quo quiesceret Rhesus, tendere ac sine deae auxilio victoriam amplissimam reportare possent. At hoc ipsum cavendum fuit scenico poetae, qui vellet in ipso opere in conspectum producere victores et quam fieri posset maxime rem ob oculos ponere, quod

fieri vix poterat, nisi Hectoris interficiendi caussa illos ad cubile huius pervenire fingeret. Praeterea decet magnum aliquod discrimen vel gravem molestiam vel insigne malum vehementemque dolorem statim in principiis tragoediarum repraesentari, quibus studium, metus, miseratio, sollicitudo spectatorum excitetur: quorum nihil inest in Rhesi adventu.

Non ipse igitur statim Rhesus in scenam prodit, sed praecedit nuntius, qui de ducis habitu atque fortitudine, de copiarum omnis generis multitudine, de equorum praestantia, de armorum splendore, quum minus commode possit ab ipso Rheso fieri, exponat. Non gaudet Hector hoc nuntio, et parum abest, quin Rhesi auxilium repudiet, idque duabus de caussis, quarum alteram ipse declarat, alteram suspicamur. Iam se vicisse opinatur neque iam opus esse sociis iis, qui, quo tempore Troiani hostibus inferiores fuerint, succurrere laborantibus noluerint, iam, secundis eorum rebus ducti, magis ad praedae quam ad laborum societatem venire videantur. Haec igitur caussa in superbia et nimia fiducia hominis rebus secundis elati est posita, propter quam ferociam vix operae pretium esse duxerat audire quae pastor afferret. Altera caussa, quam celat, aemulatio est: veretur enim, ne Rhesi virtute sua gloria obscuretur neve eo recepto, hoc praecipue tempore, quo iam quasi in manu victoriam sibi tenere videtur, plus aequa parte laudis huic cedendum sit. Longe enim Hectore Rhesus viribus corporis et virtute praestantior esse fingitur, et solus is, qui Achillis impetum non sustinere tantum, sed etiam frangere possit, quippe divinis parentibus prognatus et a divinis virginibus nutritus. Neque tiro aut ipse aut exercitus eius, et numero et robore insignis, proelia commissurus est, sed magnis rebus gestis victisque ferocissimis gentibus, quae ad pontum Euxinum habitant, confirmatus. Merito igitur chorus, postquam caute modesteque intercedendo, ne hospes ab Hectore repudiaretur, impetravit, omnibus iam periculis omnibusque laboribus patriam huius socii adventu liberatam esse putat, egregio carmine viri laudes praedicans. Singulae huius actus partes aptae, concinnae et rebus et verbis praestantes sunt, nec nisi

perperam quaedam intelligendo factum est, ut reprehendendi materiam sibi quidam invenisse viderentur. Summam autem recte damnasset Beckius, si verum esset illud, quod in Rhesi persona summum rerum momentum poni statuit: ad quod statuendum non videtur tragoediae ipsius structura, sed solo titulo operis spurio motus esse. At non posse Rhesum primariae, quam dicunt, personae locum obtinere ex his ipsis, quae rectissime ille animadvertit, intelligitur. „Nam Graeci," inquit, „ii, qui bellum gesserant cum Troianis, putabantur horum maiores esse, quibus fabula exhibebatur. Itaque hi quoque, posteri illorum, Troianos habebant pro hostibus. Hostem autem, etiam qui censetur tantum hostis esse, interfici ab hoste non magnopere commovebit homines rudes, qui hominem a milite, humanitatem a proelio distinguere satis non valent. Accedit odium et contemtus, quo Graeci Asiaticos homines prosequebantur, quos barbaros vocabant, tum et hoc, quod nisi occiso Rheso salvi esse Graeci non potuerant. Non igitur apta Rhesi caedes tragoediae: neque enim miserabilis videri Graecis poterat, sed iucunda." Haec bene Euripidem intellexisse eundemque, ut eo, quo ille dixit, modo animi spectatorum afficerentur, summo studio elaborasse neminem fugere potest, qui ad opus ipsum magis quam ad titulum animum advertere volet. Quid enim? nonne summam barbarorum contemtionem cupidius paene, quam decet personam poetae, declaravit? nonne superbum, ferocem insolentemque Rhesum non minus quam Hectorem effinxit? an praeter virium magnitudinem, generis nobilitatem, armorum splendorem equorumque praestantiam quidquam, quo vel gratia, vel studium, vel amor concilietur, moribus personaeque hominis barbari inest? Nisi forte Musae lamentis vehementiorem, quam Atossae, miserationem motam esse putamus, effectumque, ut Graecos victoriae suae poeniteret. Quid multa? victoriam de barbaris reportatam Euripidis Rheso perinde atque Aeschyli Persis celebratam esse perspicuum est. Cuius laetitiae caussa tanto gravior erat, quanto terribilior hostium vis quantoque maior fiducia. Nihil autem curo errorem vulgi, tristitia rerum tragoedias metientis et, quanto quaeque

fabula vehementius miserationem moveat, tanto cumulatius eam tragoediae legibus respondere opinantis. Ceterum tristitiam argumentorum si respicias, duo dramatum genera distinguere poteris, quorum alterum a tristissima rerum conditione ad laetiorem procedit, quum ex gravi aliquo discrimine homines per mala, per difficultates atque pericula seu virtute seu prudentia seu utraque eluctentur, alterum a minoribus malis ad maiora ascendit, quum impatientes molestiae alicuius homines, dum se liberare student, sive irae sive libidini parentes, in perniciem se aliosque praecipitent, aut quum malorum ex pristinis vitiis natorum pridemque praeparatorum vis repente prorumpens trahensque vel domus familiaeque vel regni populique ruinam sontes perinde atque insontes opprimat. Prioris generis est Rhesus fabula, cui prologum eius generis, cuius dixi, praemissum fuisse, nisi ex aliis indiciis certissimis intelligeretur, vel ex hac communi tragoediarum Euripidis natura coniici posset. Ergo quasi quaedam victima Rhesus in castra Troianorum adducitur, immolandus a Graecis, cuius quanto cumulatius gloria fortitudinis, nobilitatis, opum, rerum denique gestarum augetur, tanto maiorem Graeci, eo sublato, ex rebus desperatis felicitatem adepturi sunt.

Prodit iam in scenam Rhesus, aureis armis radiante corpore, strepitu tintinnabulorum de clypeo suspensorum stuporem iniiciens, Marti ipsi iudicio chori comparandus. Cui Hector non solum ingenue, sed etiam aspere atque importune exprobrat, quod, quamvis multis sit legationibus donisque arcessitus, neque gratiam beneficii, quod ab ipso adiutus regnum Thracum obtinuerit, referre, neque propinquitatis officiis satisfacere curaverit, sed neglecto Troianorum periculo potationibus interim (more Thracum) se delectarit, Troianis aestum frigusque patientibus ac morti se offerentibus, nec prius, quam bello iam paene finito, auxilio veniat. Cum Hectoris importunitate Rhesi ferocia atque fiducia certat. Qui postquam tarditatem suam excusans crimina diluit, bello a Scythis illato se retentum esse ostendendo, uno die bellum, quod decem annis ille finire non potuerit, se propulsaturum esse asseverat, et dirutis turribus, incensis navibus, deletis hostibus, altero die domum

reversurum esse: et quidem solus haec omnia perficere vult, quiescentibus Troianis. Gaudente his magnifice promissis choro, neque Achillem neque Aiacem illius fortitudini parem esse dicente, non consistit in hoc magniloquentiae gradu, sed liberata terra Troianorum se, assumto Hectore, universam Graeciam domiturum esse pollicetur: superatis enim occisisque optimis quibusque, qui in Troia congregati sint, facilem fore victoriam arbitratur. Quaerente deinde Hectore, in quanam exercitus parte, in medio an in cornibus se collocari velit, solum se et cubare et cum hostibus congredi velle ostendit: sin Hector, quod ab incendendis navibus excludatur, aegre ferat, se contra Achillem aciem constituturum esse. Tum de reliquis viris primariis quaerens, secundum Achillem fortissimos esse Aiacem ac Diomedem docetur, maxime vero omnium Ulyssis astutiam timendam esse, ut qui in urbem clam noctu ingressus Palladium ex templo Minervae abstulerit, iterumque mendici habitum gerens speculator in urbem mediamque Troianorum concionem venerit, occisisque portarum custodibus, magna caede effecta, salvus redierit, denique semper prope urbem ad aram Thymbraeam insidians consilia Troianorum exploret. His auditis Rhesus furem atque latronem vivum a se captum, adactoque per medium corpus stipite, qui per os emergat, escam volucribus propositum iri praedicit. Tum Hector locum, in quo separati a reliquis cubent, sociis assignat simulque tesseram cum iis communicat, chorum autem vigilias agere et Dolonem revertentem opperiri iubet. His transactis Rhesus et Hector abeunt, quos sequitur etiam chorus, excitaturus e somno, qui succedant, eos milites, quibus quarta vigilia agenda sit.

Egregie hoc actu Hector gloriosus et magniloquus a Rheso gloriosiore et magniloquentiore superatur, quo fit, ut ille, obstupefactus vastitate rei, cedat provincia, in qua primam personam agere nequeat, et, ad sobrietatem reversus, illum quoque a partibus, quas victus deseruit, detrahere conetur. Haec penitus ex animi humani natura hausta esse si quis ignorat, potest occasione data experimento doceri. Neque dubito, quin Euripides ipse in his ducum exprimendis moribus certos Atheniensium praetores,

qui illis temporibus cladem civitati sua temeritate atque aemulatione peperissent, imitatus sit. Ad sui enim seculi mores personas antiquorum heroum iam in hac fabula componenda detorsit, velut et vinolentiam Thracum et suppliciorum crudelitatem ad Rhesum retulit, ostentationem, splendorem cultusque iactationem barbaris omnibus affinxit et affinitatem regum pro praemio officii voluit proponi Doloni, quasi principi Persarum. Praeterea insignis poetae ars in eo conspicitur, quod effecit, ut ex his, quae Hector Rhesusque colloquuntur, statim ea, quae paullo post consequuntur, divinari et paene non minus, quam si iam facta essent, pro certis atque exploratis haberi possint. Qui quo facilius praevideretur eventus, Ulyssis prudentiam illorum caecae ac temerariae confidentiae opposuit: cuius res antea per astutiam feliciter gestas dum cognoscimus, quum praesertim eundem rursus isti ferociae insidiari sciamus, et a Troianis ipsis obviam missum esse hominem ignavum stolidumque, cuius indicio doctus ille facilius eo, quo tendebat, perveniret, haec igitur reputantes vix possumus dubitare, quin brevi homines insolentes et corporis robore nimium fretos praecipitatos conspecturi simus. Accedit, quod suam uterque gloriam ab altero obscurari nolens et solus omnem rerum feliciter gerendarum laudem occupare cupiens, nil rerum communiter agere constituunt, sed in cubiculis non minus quam in acie copias atque consilia separare, quae ratio perniciem certissime solet adducere. Non minus, quam colloquium, etiam carmen, in quo canendo vices stationum permutantur, aptum et vere poeticum est. Alternis autem strophis fit significatio temporis vel appropinquantis lucis venustissima, similis ei, quae habetur in Phaethonte, alternis vigiliarum vices exponuntur, tum Dolonem, qui pridem debuerit, nondum redisse mirantur milites, postremo caussam abeundi de scena ostendunt: ad Lycios enim, quibus quarta vigilia obtigerit, excitandos se abire declarant.

Sequitur pars dramatis actuosissima, qua ad exitum perducuntur quae in prioribus praeparata sunt, sic, ut exspectatione, metu, sollicitudine spectatores suspensi teneantur. Prodeunt in scenam, i. e. ad Hectoris cubile, loco

forte vacuefacto, Ulysses atque Diomedes, strictis gladiis ad illum trucidandum parati, caute progredientes et ad quemvis strepitum attenti. Ex quorum sermonibus cognoscitur Dolonem, forte obviam factum, ab iis interfectum esse: id quod etiam ex spoliis, quae gestant, intelligitur, simulque eiusdem hominis pravitate et tesseram Troianorum illis proditam et locum, in quo Hector cubaret, indicatum esse. Ubi vacuum cubile inveniunt, quod Hector, ne quieti se rursus daret, Rhesi adventu prohibitus erat, spe frustrati, quonam se conferant, deliberant: et suadente prudentissime Ulysse, ut redeant neve contra fortunam nitantur (timendum enim esse, ne nimia sectantes salute priventur), Diomedes quoque, quamvis ad abutendum successu pronior, id optimum factu esse intelligit. Quibus redire volentibus Minerva intervenit, utque pro Hectore Rhesum de medio tollant simulque equos eius, albo colore splendentes, abducant, hortatur, docens et illum fortissimum esse, ut vix Achilles aut Aiax, quominus navalia expugnet, prohibere possit, et hos longe equorum omnium, qui ubique terrarum alantur, pulcherrimos. Negavit Horatius deum recte rebus interesse, nisi dignus vindice nodus incidisset. Non expediendis rebus, quas poeta impedivit, non solvendo ei nodo, quem nos dicere solemus, deum adhibendum esse docet Horatius; potius ex ipsa fabula et impeditionem et solutionem nasci oportere consentiens cum Aristotele censet: sed ubi inciderit aliqua difficultas eiusmodi, quae non possit ullius hominis opera removeri, digna dei auxilio, ibi hunc recte arcessiri arbitratur. Huius generis nodus aut nusquam aut in hoc dramatis loco conspicitur, ubi aut redeundum fuit speculatoribus Graecis, aut casu aliquo atque fortuna efficiendum, ut nova damni inferendi materia iis offerretur. Quum autem casum fortuitum tragoedia excludat, quum, quaecunque mortalibus sine ipsorum opera et consilio ultro eveniunt, praesentium numinum vi effici putentur, recte et necessario Euripides, Homeri auctoritatem secutus, Minervam in scenam produxit, quod faciens hoc simul assecutus est, ut, quae uno tempore in diversis castrorum locis aguntur, deae opera,

remota videntis et in remota loca vocem mittentis, quasi uno loco et in conspectu agi videantur. Ceterum cubilia Rhesi iungi Hectoris cubilibus potuisse inde intelligitur, quod extremo castrorum loco hic quoque collocatus fuerat. His igitur cubilibus a dea monstratis, continuo duumviri ad Thraces se conferunt, partitis negotiis, ut Rhesum cum militibus quam plurimis Diomedes interficeret, equos autem abduceret Ulysses. Abeuntibus paene in manus incurrit Paris, ad Hectoris cubile tendens. Cuius adhibendi caussae Euripidi plures fuerunt. Primum enim principes hostium omnes in periculum incurrere capitis voluit, quoniam Dolon et ipse optimos quosque fuit Graecorum occisurus. Deinde periculum, in quo Ulysses Diomedesque versabantur, ostendendum fuit sic, ut quam maxima sollicitudine spectatores afficerentur: venit enim Paris propter rumorem sparsum speculatorum in castra ingressorum, et conspectos illos esse dicit a quibusdam vigilum, sed, priusquam capi possent, turbae immixtos e conspectu abisse. Denique ideo producendus fuit belli auctor, ut intelligeretur, quanto Troianorum quam Graecorum caussa peior esset quantoque minus digna victoria: id quod declaratur Paridis verbis, quibus sibi gratulatur, quod Venerem Minervae, id est voluptatem virtuti, praeposuerit. Hunc igitur fallacibus ambiguisque verbis Minerva, Venerem se esse simulans, decipit et a vestigiis speculatorum deducit: neque hoc solum periculo duumviros liberat, sed etiam, vigiles, re animadversa, contra illos tendere videns, monet, ut, finem facientes caedibus, occiso iam Rheso captisque equis, celeriter effugiant. Neque tamen omne periculum ipsa propulsat, sed, quoniam fortes tantum a fortuna sive a diis adiuvari proverbio dicuntur, locum relinquit etiam virtuti et consilio. Appropinquantibus igitur, sicut monuit dea, vigilibus, quum timendum sit, ne, equis exuviisque impediti, ambo in hostium potestatem perveniant, Ulysses, spoliis omnibus Diomedi concessis, ut ab huius specie animos hostium avertat, ultro se vigilibus offert, et quidem Rhesi se militem esse simulat, in cuius cubilibus deprehensus est. Captus igitur magno cum tumultu et clamore

in scenam adducitur, ferocitate se et contumacia tutans *). Et primum quidem signum dicere iussus, quasi suum sit, interrogare non interrogari, indignari se simulat et mortem minatur urgentibus. Tum acrius instantibus etiam Rhesi caedem, tanquam proditoribus, exprobrat seque illam ulturum esse minatur **). Hac confidentia obstupefactis hostibus, tum demum tesseram denuo urgentibus indicat statimque edita ea dimittitur. Interim Diomedes cum spoliis e manibus effugit, cuius vestigiis amissis vigiles, simul exercitum tumultu nocturno perturbare nolentes, ab investigando latrone desistunt. Relinquitur igitur, ut, cuiusnam hominis audacia tantum facinus patrari potuerit, coniectura divinent: et recte in neminem, nisi Ulyssem, illud convenire intelligunt, memoriam repetentes fraudis prioris, quum squalore deformatus, pannis laceris obsitus occultumque gerens gladium, stipem flagitans, maledicens Atridis, per Troianorum civitatem ambularet. Admirationi adiungitur dolor metusque, ne sua culpa atque socordia factum esse, ut latrones in castra penetrarint, Hector criminaturus sit. Hoc carmine cantato, auriga Rhesi saucius flebilibus cum lamentis in scenam prodit, Hectorem quaerens, cui tristem turpemque Rhesi et commilitonum interitum nuntiaturus est.

---

*) Iidem milites, qui antea chori munere functi sunt, in scenam redeunt: nam Lycios ad vices vigiliarum servandas excitare volentes, latronibus, qui in castra penetrabant, procul conspectis, prohibiti sunt.

**) Scribendum est levissima mutatione:

ἦ σὺ δὴ Ῥῆσον κατέκτας; ἀλλὰ τὸν κτενοῦντά σ' οὔ!

c e r t e t u q u i d e m i a m R h e s u m i n t e r f e c i s t i ? at n o n i n t e r f i c i e s e u m , q u i t e i n t e r f e c t u r u s e s t , i. e. at me interficere non poteris, citius enim ipse a me interfectus eris. Deinde pars altera chori iam quiescit (*ἴσχε πᾶς τις*), sed altera usque instat (*οὐ μὲν οὖν*). Miram rem Vaterus praeeunte Musgravio excogitavit, Ulyssem se Rhesum esse simulantem dixisse: c a v e R h e s u m i n t e r f e c e r i s (*κατέκτας!*), et respondisse Troianos: i n t e r f e c t u r u s q u i d e m t e s u m , s e d o c c i s u r u m , quod quale sit, me non assequi fateor. Non potuit se Ulysses Rhesum esse fingere, quin statim fraudis convinceretur ab iis, qui paullo ante Rhesum ipsum praesentem oculis suis intuiti erant.

Multa inepte a viris doctis, quum parum mentem auctoris assecuti essent, quippe ad iudicandum quam ad discendum promtiores, reprehensa sunt, vix digna, quae iterentur. Ut tamen, qualia sint, intelligatur, unam alteramque criminationem afferam. Reprehendit Morstadtius, quod tam cito Thraces somno capiantur, oblitus illos itinere fatigatos esse et interponi spatium temporis incertum, quod inter chori carmen praetereat. Idem miratur, quod Hector, e Rhesi cubilibus rediens, non occurrat Ulyssi ac Diomedi, eodem se conferentibus. Quasi illum aut perpetuo ibi manere, aut recta via ad cubile suum redire necesse fuerit, quorum neutrum factum esse manifestum est. Potuit enim, ut erat acer et vigil, alias post alias exercitus partes obire. Denique nimis angusto spatio Thraces ab Hectoris cubili seiunctos esse arbitratur. At unde tandem istam angustiam cognovit? aut quisnam modum finemque descripsit vocis numinum, quae, prout his collibuit, aut in remotissimis aut in proximis locis percipi et fugere eos, qui coram adstant, audiri ab iis, qui absunt, potest? Valckenarius vero, impudentiae Minervam accusans et turpiter mendacem appellans, nescire se simulat, quod scire eum necesse est, mortales a daemonibus saepissime decipi, nec ad christianae doctrinae praecepta Graecorum deos institutos fuisse, ut etiam hostes mendaciis fallere nefas esse ducerent.

Actum plenum turbarum et sollicitudinis sequitur alter plenus dolorum, querelarum et mutuae accusationis, quum effectus eorum, quae patrata sunt a speculatoribus, ob oculos ponatur. Haec igitur ultima dramatis pars partim ostendendis interpretandisque iis, quae modo obscure turbideque acta sunt, partim celebrandae Graecorum victoriae, partim etiam significandis iis, quae subsecutura sunt, inservit. Et primum quidem satelles Rhesi, mortifero vulnere ipse affectus, mortem regis et commilitonum exponit miserabiliter et turpiter ac sine ullo decore trucidatorum. Assignato ad quiescendum loco editoque signo, statim milites Rhesi, fessos ex itinere, somno se dedisse narrat, neque arma neque equos in procinctu habentes, neque ullis custoditos excubiis, sed secure et negligenter,

tanquam reportata iam victoria deletisque hostibus. Se autem, quum iusto tempore equis, ut cibo bene pasti recreatique in proelium descenderent, pabulum proponeret, conspexisse procul per tenebras duos viros exercitum obambulantes, qui statim, ubi se commoverit, retro cesserint, et minatum esse voce, ne accederent propius; deinde, ubi abisse latrones, quos putarit, ex silentio coniecerit, somno se rursus dedisse, et visum sibi esse in somnis videre lupos terga equorum prementes, iram spirantium iubasque erigentium, quum per vim abigerentur. Quibus somniorum visis se excitatum, gemitum audisse morientium et respersum esse calido domini propter se cubantis sanguine, sed priusquam hasta manum armaret, latere gravi plaga a robusta manu percusso, corruisse, statimque hostes cum equis aufugisse. Hanc narrationem sequitur accusatio Troianorum, quorum perfidia illud scelus patratum esse satelles sibi persuasit. Redit Hector plenus irae et gravia vigilibus supplicia minatur, socordiae accusans, quod neque intrantes hostes repulsi ab iis neque abeuntes comprehensi sint. Contra chorus, quidquid sui officii fuerit, diligenter et strenue a se effectum esse ostendit: nam et principio de nocturnis hostium ignibus nuntiasse, et totam noctem in statione insomnem egisse. Ceterum se non deprecaturum esse poenam, si quid a se culpae commissum esse cognitum fuerit. His auditis satelles Rhesi, sui decipiendi caussa hanc contentionem institui putans, aperte Hectorem caedis per aemulationem avaritiamque factae accusat, his ductus argumentis, quod, quum ante Rhesi exercitum, adversi hostibus, Hectoris milites collocati sint, et ne adventus quidem Rhesi Graecis cognitus fuerit, Troianos prius quam Thraces a Graecorum speculatoribus, si qui per vigilias intrare potuissent, trucidandos fuisse necesse sit. Non persuadet ei Hector tum ad innocentiam probitatemque suam provocans, tum ab Ulysse et Rhesum interfici et Dolonem intercipi potuisse affirmans; tamen non solum patienter fert criminationes hominis animi corporisque doloribus exacerbati, sed etiam humaniter miseratur et domum suam moribundum abducit *), simul in-

*) Valckenarius, quum vitia quam plurima quaereret in carmine, quod spurium esse sibi persuaserat, nulla non contu-

terfectorum sepulturam civibus, qui sunt in urbe, mandaturus. — Alteras igitur turbas ex prioribus natas videmus; non caret difficultatibus solutio impedimentorum, neque minuitur spectatorum exspectatio: supplicium enim imminet innocentibus et suspicione perfidiae socii ab Hectore et Troianis abalienati sunt. Hos scrupulos cum mortalium nemo solvere neque dilutis criminibus veritatem aperire possit, recte et necessario deus arcessitur (cf. Arist. poet. c. 15. §. 7. Vater. Vindic. p. XLIII.). Conspicitur igitur Musa sublimis in aere, filii defuncti corpus manibus tenens. Cuius persona quum nequaquam ea caussa adhibeatur, ut luctu eius et lamentis misericordia afficiamur aut occisi Rhesi nos poeniteat, minimam orationis partem lamentis tribuit, sed longe maximam vitae et natalibus filii exponendis, ut divinis parentibus natum, divinis nutricibus educatum, in deorum numero reponendum, opera duumvirum Graecorum et Minervae numine de medio sublatum esse cognoscamus. Praedicandae igitur Graecorum victoriae haec quoque tribuuntur*); verumtamen, quae est rerum humanarum vitiosa conditio, ut nulla laetitia dolore vacare et summam quamque felicitatem calamitas celerrime excipere soleat, Graecos quoque viro, quem habent, fortissimo brevissimo tempore privatum iri docemur. Pari enim superbia Achilles atque Rhesus elatus suam caussam suasque vires a communi re Graecorum separat, et simili ratione, non in acie pugnans, sed insidiis circumventus, dirigente telum deo, qui Troianis favet, occubiturus est. Neque fracti dolore Troiani, sed ad ulciscendam calamitatem nocturnis insidiis illatam paratissimi, summa cum alacritate continuo in certamina descensuri sunt. Vere

melia dignum esse putavit ducem Troianorum, qui, audiens criminationes, non graviter exardesceret et vehementi impetu moribundum prosterneret, quasi, qui non sit submisso animo, eundem humanitate destitutum esse necesse sit.

*) Non posse Rhesum pro persona principe haberi, si quis non ex prioribus dramatis partibus intellexit, certe ex fine diligenter examinato perspicere poterit; et iniectus est scrupulus etiam Vatero (Vindic. p. XLIV.), quamvis tenaciter vulgarem errorem amplexo.

Euripideus hic dramatis exitus est, vere Euripidea subtilitas, qua et de natalibus Rhesi et de religionibus sacrisque docemur, totumque omnino opus tam certa tamque manifesta prae se fert Euripidei ingenii indicia, ut neque antiquorum criticorum quemquam de auctore unquam dubitaturum fuisse putem, nisi per suppositicium poetam doctum fuisset, neque recentiorum quemquam inventurum fuisse quae vel deteriora argueret vel meliora esse, quam quae in Euripidis artem caderent, nisi praeissent illi antiquiores. Et recentiorum quidem nugas, nuper diligentissima subtilissimaque Vateri disputatione profligatas, a me omitti posse gaudeo.

Ad antiquos criticos redeo, qui quod Sophocleum characterem huic dramati inesse dixerunt, non miror, si quidem ineunte adolescentia illud ab Euripide compositum esse Cratetis testimonio docemur. Nam quis non magnae carminum parti, quae Goethius Schillerusque adolescentes scripserunt, Klopstockianum characterem inesse intelligit? Ceterum tanta varietas est ingenii Euripidei, ut, quum exprimendis animorum perturbationibus summo studio inservierit, tamen etiam reliquarum rerum, quae ad vitam vel privatam vel publicam, ad rerum cognitionem, ad artium studium pertinent, nullam omiserit. Neque enim earum, quae exstant, tragoediarum una eademque ratio est, et earum, quae amissae sunt, sed quales fuerint ex fragmentorum satis larga copia iudicari potest, quaedam ab iis, quae vulgo notae sunt, diversissimae fuerunt. In plerisque „actoris partes chorus officiumque virile defendit," in quibusdam intercinit ea, quae proposito minus conducant. Densae sunt sententiis eae fabulae, in quibus inducuntur homines gravibus calamitatibus oppressi et remedium aegritudinis ex philosophia petentes; contra aliae factis, quam disputationibus, et rerum turbis, quam sententiis, locupletiores. Aliae in singulorum hominum discriminibus, in muliercularum, adolescentium, senum calamitatibus exponendis occupatae sunt, aliae vel nobilium familiarum vel magnarum civitatium interitum repraesentant; aliae amoris vel irae vel libidinis vim effectumque exprimunt, aliae armorum strepitum, regum potentium vitia

virtutesque, exercituum clades, urbium vel defensiones vel eversiones ostendunt; aliae miseriis aliis super alias ingestis deprimunt animos spectatorum, aliae hilaritate rerum paene risum excitant. Sed unus character in tanta varietate constans servatur, quod sui saeculi mores institutaque Euripides ad pristinos homines gentesque transtulit, et qualia ipse videbat hominum ingenia, non qualia antea fuisse tradebantur, expressit: isque character huic tragoediae infixus est manifestissimus. Quomodo igitur Sophocli tribui potest, qui hac ipsa ratione Euripidis opera a suis dixit differre? Alterum discrimen est, quod, quum in simplicibus fabularum argumentis Sophocles acquieverit, Euripides plures actiones miscendo et pluribus hominum consiliis rem intricando fabulas amplificavit, primusque omnium angustos prioris tragoediae fines migravit. Huius quoque moris exemplum minime obscurum huic dramati inesse video. Potuit enim Dolonis conatus, si non plane omitti, certe ante actionum initium poni atque obiter narrari, nisi augere atque variare fabulae argumentum, spreta simplicitate vitatoque assiduitatis taedio, studuisset Euripides. Haec et alia, quae in promtu sunt, si reputassent illi antiqui critici, de Sophocleo charactere nunquam cogitassent. Ceterum neque multos neque eos iudicio acutos aut doctrina satis eruditos fuisse, qui Euripidi hoc drama adimerent, ex plurimis gravissimorum testium indiciis apparet, quae vide apud Vaterum p. 17 seqq. Qui vero deprimeret operis honorem et deterius illud esse duceret, quam quod ab Euripide vel ullo bono poeta scribi potuerit, antiquorum criticorum nemo invenitur. In partes Euripidis nolo Aristophanem poetam pro teste citare, quamquam, quae est eius abutendi versibus tragicorum ratio, Acharnensium vv. 281. 282:

βάλλε, βάλλε, βάλλε, βάλλε,
παῖε πᾶς τὸν μιαρόν

ex Rheso (v. 660 seqq.) depromti esse possunt. Critici Alexandrini quanti hoc drama fecerint, inde potest aestimari, quod et Aristarchus et Parmeniscus, illius discipulus, commentariis explicaverunt (cf. schol. ad v. 510. 515. 526.) et Dionysodorus in libro, quem de erroribus

tragicorum scripsit, illius habuit rationem (schol. ad v. 495.). Neque minori apud Pergameos grammaticos hanc fabulam honore fuisse Cratetis et Menecratis commentarii, ad illam scripti, demonstrant (cf. schol. ad v. 4. et 515.). Inter Romanos, qui eruditionis laude floruerunt, gravissimum de illo iudicium fecit Accius Latine vertendo et in Romanorum theatra transferendo, id quod profecto fieri nequisset, si ad movendos docendosque homines minus aptum fuisset. Aut huius aut ipsius Euripidis opus respexisse videntur Virgilius Aen. XII, 348. Ovid. Ib. 628. Trist. III, 4, 27. Plaut. Poen. IV. extr. Graecorum scriptorum, qui postea scripserunt, ad Euripidem respexerunt Apollodorus, Longus (v. 209.), Parthenius (v. 422.), Dio Chrysostomus (v. 841.), Tzetzes, Eustathius, Stobaeus, Mar. Victorinus, Suidas etc. Cf. Vater. p. VII—XIII.

Reliquum est, ut, qualis Euripidis ars in dramate, quod primum ab eo scriptum doctumque esse statuimus, appareat, explicemus. Homeri imitatio similis atque in Cyclope conspicitur: in utroque enim dramate non modo res, quantum dramaticae poeseos ratio permittit, sed sententias quoque plurimas et verba Homeri reddita esse videmus. Nihilominus, cum tanto studio vestigia legeret Homeri Euripides, longe recessit a servi pecoris putida morositate atque inertia, sed, quum retineret quae mutare nefas esse ducebat, propria addidit ea, quibus ornaretur argumentum, et summa prudentia sic fabulam temperavit, ut movendo, delectando docendoque theatro aptissima existeret. Sciendum est autem, isti propriae inventionis laudi, quam studiose cupideque nostri sequuntur quaque carere opera sua vitio sibi ipsi vertunt, nunquam a Graecorum vel poetis vel artificibus inservitum esse, ac ne potuisse quidem inserviri. Vix enim in fabulis inveniri poterant argumenta, quae non essent iam a prioribus poetis tractata, exornata et ad docendos movendosque animos conformata. Quorum inventa abiicere, respuere bona a maioribus parta, deserere et negligere opera multorum studio ingeniisque perfecta, quibus omnes delectabantur, in quibus vitae quasi tabernacula collocarant, paene non minus temerarium esse, quam novis rebus in republica administranda studere, pu-

tabatur: et merito quidem. An potest quisquam sperare fore, ut quae ipse ex materia rudi conformet, venustate et magnificentia antecellant iis, quae communi virorum artis peritorum opera exculta et quasi hereditate accepta sui ingenii viribus augeat cumuletque? nisi forte splendidioris ingenii esse putamus proponere manca atque inchoata, quam consummare et venustiora reddere quae praestantia tradita sint a prioribus? Nolo tamen haec sic intelligi, quasi propria invenire, acquirere nova et augere divitias communes non laudi ductum esse arbitrer; sed non quantum in quoque opere novi, sed quantum egregii, pulcri rectique esset, spectatum esse contendo. Satis autem multum proprii proposuisse videbatur, si quis vel epici carminis partem in drama sic mutasset, ut gigneretur opus theatris aptum, docendae movendaeque multitudini idoneum, quo res quam fieri posset maxime praesentes exhiberentur, partibus inter se consentientibus et ad unum quoddam consilium conspirantibus, aut si quis dramata priorum scriptorum immutasset sic, ut, in aliis locis personisque, atque illi, momenta rerum ponens, suae mentis voluntatem significasset propriique ingenii signa argumentis impressisset. Sumsit Euripides materiam paene omnium, quae inveniri poterant, tractatu difficillimam et a Graeci theatri legibus institutisque maxime abhorrentem, quippe quae neque in unius exercitus castris, neque in uno eorundem castrorum loco, sed simul in duobus castris eorumque intervallis et in omnibus eorundem castrorum locis ageretur. Tam dissipatas res ad loci temporisque simplicitatem actorumque paucitatem sic revocavit, ut, quum nihil a priorum poetarum more et consuetudine recederet, tamen gravissimas quasque res coram agi faceret, et quae minus poterant oculis spectatorum repraesentari, perinde, ac si praesentes spectarentur, ad sensus spectatorum penetrare. Nam quis non in ea dramatis parte, qua universus Troianorum exercitus rumore de speculatoribus Graecorum divulgato perturbatur, omnes castrorum partes oculis lustrare, ex omnibus strepitum audire, omnium militum trepidationem conspicere sibi videtur, cum tamen exiguam castrorum partem ob oculos positam conspiciat

et binas vel ternas personas in scena agentes videat? Tres enim personas huic quoque dramatis parti agendae suffecisse intelliges, si Minervae personam non conspectam, sed tantum loquentem auditam esse reputabis *). Euripides, quum in explicandis iis, quae extra scenam aguntur, omnium poetarum diligentissimus esset, tamen idem scite prudenterque, si qua manifestissime expressa angustos loci temporisque, quibus res includebantur, fines migratura erant, obscuravit celavitque: velut in Hecuba de reditu in agrum Troianum, in quo Polyxena immolanda fuit, ne verbum quidem dixit: intra unius enim carminis, quod a choro cantatur, spatium tantam rem perfici potuisse nemo non miraretur, si mentio fieret itineris. Eadem ratione in hac fabula cubilium loca accuratissime describere omisit, neque urgenda sunt quae de industria celavit. Extremus locus assignatur Thracibus, et nihilominus a Graecorum castris remoti fuisse dicuntur sic, ut, nisi Troianorum cubilibus traiectis, ad illos penetrare speculatores potuisse negentur. Statuendum igitur est Thraces post Troianos collocatos fuisse sic, ut, quum partem Graecis adversam hi, illi aversam et ad urbem vergentem tenerent, extremi utrique collocati fuisse recte dicerentur. Sed huic rationi obstare videtur, quod Minerva Thracum cubilia digito ostendens proxima illa esse Hectoris cubili significat. Potest tamen haec quoque difficultas tolli, si Hectoris cubile in extremis Troianorum cubilibus ea parte, qua haec Thracum cubilibus iungebantur, collocatum fuisse statuamus.

Admirabilem esse dramatis structuram et ad movendos spectatores aptissimam satis in lustrando eo ostendisse mihi videor. Huius autem rei efficiendae caussa plura Euripides novavit et a vestigiis Homeri saepius recessit: neque enim eadem omnia apta sunt spissis theatris sive magnae frequentisque civitatis populo, atque regum convivis rhapsodum audientibus; sed quaedam, quo fiant manifestiora, augenda, extollenda et oppositis rebus contrariis

*) Cf. Vater. Vindic. p. LV., qui quidem duobus actoribus hanc fabulam actam esse sine idonea caussa suspicatus est.

illustranda sunt; neque eundem rerum ordinem servare licet ei, qui rem aliquam praesentem agi fingens non potest nisi partem eius spectandam exhibere, atque is, qui gestam narrando omnia loca omniaque tempora mente lustrare potest. Necesse est enim illam partem, quae repraesentatur, ita adornari, amplificari atque consummari, ut compensare possit etiam ea, quae desunt. Velut Palladium prius ab Ulysse raptum esse, quam Rhesus interficeretur, finxit Euripides ideo, ut cognito insigni calliditatis exemplo de eventu audaciae bene speraremus. Tum quod singulae rerum mutationes, ex continua serie delectae separataeque in tragoediis spectandae exhibentur, ut et unde nascantur et quae inde eventura sint intelligatur, cum praesertim poetis ipsis partes interpretum agere non liceat, deorum plerumque personis ad consummandas fabulas opus est: quo consilio Musam adhibitam esse apparet.

B. Hippolytus prior.

Easdem fabulas saepe aliter ab aliis poetis conformatas esse satis constat, sed eandem materiam ab eodem poeta bis diversa ratione conformatam esse plane singulare est et insigne copiae ubertatisque Euripidis documentum. Non enim, quasi prioris Hippolyti eum poeniteret, postmodum alterum correctiorem emendatioremque edidit, sed novam composuit tragoediam, quae cum priore praeter nomina et quaedam facta nihil haberet commune: id quod intelligitur non minus ex scriptorum quorundam testimoniis, quam ex fragmentis prioris Hippolyti, qui *καλυπτόμενος* cognominabatur. Nam cum in **c o r o n a t o** Hippolyto Phaedra honestissimo iudicio moriendum prius quam pudorem officiumque violandum esse statuat, in **v e l a t o** eadem, praeceps ad libidinem, profligato pudore, laesis divinis humanisque iuribus, ad explendam cupidinem nil non moliebatur: id quod testatur scriptor vitae, quae est in cod. Vindob. et Havn.: *γράψαι τὸ δρᾶμα τὸν Ἱππόλυτον, ἐν ᾧ θριαμβεύει τὴν ἀναισχυντίαν τῶν γυ-*

ναικῶν, itemque Aristophanes Ran. 1043: *οὐ Φαίδρας ἐποίουν πόρνας οὐδὲ Σθενεβοίας.*

Statim in prologo acta esse illa coniicio, quae scholiastes Theocriti (II, 10.), Phaedram cum pharmaceutria huius poetae comparans, refert: *ταῖς ἔρωτι κατεχομέναις τὴν σελήνην μετακαλεῖσθαι σύνηθες, ὡς καὶ Εὐριπίδης ποιεῖ Φαίδραν πράττουσαν ἐν τῷ κατακαλυπτομένῳ Ἱππολύτῳ* *). Ante lucem igitur mulierem amoris cruciatibus misere vexatam prodisse necesse est et effecisse illa quae in posteriore Hippolyto nutrix suadet v. 478:

εἰσὶν δ' ἐπῳδαὶ καὶ λόγοι θελκτήριοι,
φανήσεταί τι τῆςδε φάρμακον νόσου.

iterumque v. 513:

δεῖ δ' ἐξ ἐκείνου δή τι τοῦ ποθουμένου
σημεῖον ἢ πλόκον τιν' ἢ πέπλων ἄπο
λαβεῖν, ξυνάψαι τ' ἐκ δυοῖν μίαν χάριν.

Testatur hoc etiam Propertius II, 1, 53:

„*Seu mihi sint tangenda novercae pocula Phaedrae,*
Pocula privigno non nocitura suo."

Prologo asserendum est etiam illud, quod Plutarchus de aud. poet. p. 28. A. commemorat, Phaedram excusationem libidini suae ex Thesei licentia vagisque peregrinationibus petisse: *καὶ ὁ σύσκηνος αὐτοῦ (Σοφοκλέους) πάλιν ὁρᾷς ὅτι τήν γε Φαίδραν καὶ προςεγκαλοῦσαν τῷ Θησεῖ πεποίηκεν, ὡς διὰ τὰς ἐκείνου παρανομίας ἐρασθεῖσαν τοῦ Ἱππολύτου.* Imitatus haec est Seneca v. 91:

— — „*Profugus, en, coniux abest,*
Praestatque nuptae, quam solet, Theseus fidem.
Fortis per altas invii retro lacus
Vadit tenebras, miles audacis proci;
Solio ut revulsam regis inferni abstrahat,

*) Cf. Welcker. p. 737. Respexit huc etiam schol. Hippol. II. v. 514: *ἀρίστη δὲ ἐνταῦθα ἡ διοίκησις· τὴν μὲν ὅλην φάρμαξιν οὐκ ἐπὶ σκηνῆς, ἀλλ' ἔνδον ποιῆσαι μέλλουσα, πιθανῶς ἤδη τὸ κεφάλαιον ὑπέθετο τῆς φαρμάξεως. Ἔδοξε γὰρ ἂν ἐνοχλεῖν διηγουμένη φανερῶς.* Nimirum emendasse Euripidem quae minus probarentur opinatur.

Pergit furoris socius. Haud illum timor
Pudorque tenuit: stupra et illicitos toros
Acheronte in imo quaerit Hippolyti pater."

Ad inferos enim Theseum cum Pirithoo profectum fuisse ex fragm. VIII. intelligitur. Reliquam quoque Senecae orationem ex Euripideo prooemio expressam esse verisimile est. Venerem autem ibi Phaedra accusat, quod, odio ducta filiarum Solis, nefariis amoribus omnem prolem vexarit:

„*Stirpem perosa Solis invisi Venus*
Per nos catenas vindicat Martis sui
Suasque; probris omne Phoebeum genus
Onerat nefandis. Nulla Minois levi
Defuncta amore est: iungitur semper nefas."

Potuit Phaedrae magica sacra facienti famula sive Θέστυλις praesto esse, cum qua colloqueretur, id quod Welckerus coniecit; potuit etiam statim post prooemium, nullo interposito sermone, chorus famularum prodire, quanam cura aut quo morbo domina cruciaretur, sciscitantium. Parodi esse partem suspicor fragm. inc. 198., quo miretur chorus, quod somno carens ante lucem regina surrexerit:

ἑῷος ἡνίχ᾽ ἱππότας ἐξέλαμψεν ἀστήρ.

Alterius actus naturam atque argumentum ex eodem Seneca cognoscere licet. Contraria enim ratione, atque in altero Hippolyto fit, praeceps ferebatur regina, nullis verecundiae pudorisque frenis retenta; coercebat autem castigabatque furentem nutrix. Congruunt autem fragmenta Euripidis cum Senecae carmine. Hortatur apud Senecam nutrix, ut obstet principiis, ne sero paretur medicina:

„*Quisquis in primo obstitit*
Pepulitque amorem, tutus ac victor fuit;
Qui blandiendo dulce nutrivit malum,
Sero recusat ferre, quod subiit, iugum etc.
Honesta primum est velle, nec labi via;
Pudor est secundus, nosse peccandi modum.
Quo, misera, pergis? quid domum infamem adgravas
Superasque matrem?"

Cum quibus consentiunt versus, qui in incertis fragmentis n. 6. ponuntur:

τὸ μὴ εἰδέναι σε μηδὲν ὧν ἁμαρτάνεις
ἔκκαυμα τόλμης ἱκανόν ἐστι καὶ θράσους.

Respondet Phaedra:

„*Quae memoras, scio*
Vera esse, nutrix, sed furor cogit sequi
Peiora."

Inferiorem igitur se fatetur esse cupidine, quum altera Phaedra (v. 380 seqq.) se, quae vera esse cognoverit, etiam sequi posse ostendat. Deinde sui purgandi caussa multa est in praedicanda amoris potentia v. 180—195., quod eadem ratione apud Euripidem factum fuisse haecce docent:

Ἔρως γὰρ ἄνδρας οὐ μόνους ἐπέρχεται
οὐδ᾽ αὖ γυναῖκας, ἀλλὰ καὶ θεῶν ἄνω
ψυχὰς ταράσσει κἀπὶ πόντον ἔρχεται·
καὶ τόνδ᾽ ἀπείργειν οὐδ᾽ ὁ παγκρατὴς σθένει
Ζεύς, ἀλλ᾽ ὑπείκει καὶ θέλων ἐγκλίνεται *).

Plane Euripidea sunt, quae apud Senecam nutrix respondet:

„*Deum esse amorem turpis et vitio favens*
Finxit libido; quoque liberior foret,
Titulum furori numinis falsi addidit etc.
Quisquis secundis rebus exultat nimis
Fluitque luxu, semper insolita adpetit.
Tunc illa magnae dira fortunae comes
Subit libido: non placent suetae dapes
Nec tecta sani moris aut vilis cibus.
Cur in penates rarius tenues subit
Haec delicatas eligens pestis domos?"

Quae mire congruunt cum incerto fragm. 164:

---

*) Hoc fragmentum Musgr. Welckerusque, editiones Gesneri et Grot. secuti, spretaque cod. Vossiani et Clementis Alex. auctoritate, Sophocli tribuerunt. Idem dixit Sophocles, sed aliis usus est verbis:

εἴ μοι θέμις (θέμις δὲ τἀληθῆ λέγειν),
Διὸς τυραννεῖ πνευμόνων κτλ.

ἐν πλησμονῇ τοι Κύπρις, ἐν πεινῶντι δ' οὔ,
cui praemissa fuisse videntur haec:
ὁρῶ δὲ τοῖς πολλοῖσιν ἀνθρώπων ἐγὼ
τίκτουσαν ὕβριν τὴν πάροιθ' εὐπραξίαν
— — — — —
ὕβριν τε τίκτει πλοῦτος ἢ φειδὼ βίου.

His non victa Phaedra se sumto vestitu virili Hippolytum in silvas secuturam esse profitetur:

„Hunc in nivosi collis haerentem iugis
Et aspera agili saxa calcantem pede
Sequi per alta nemora, per montes, placet."

A quo conatu monitis precibusque nutricis depulsa, rursus mortem sibi consciscere constituit. Tum vero anus, ut vitam tolerare velit, suppliciter precata, se operam daturam esse, ut aut precibus aut aliqua arte durum viri animum flectat, pollicetur:

„Tentemus animum tristem et intractabilem:
Meus iste labor est, adgredi iuvenem ferum
Mentemque saevam flectere immitis viri."

Conspirat Pseudoplutarchus in parallel. c. 34: *ἐπέγημε μητρυιὰν Φαίδραν τὴν Μίνωος, ἥτις, τοῦ προγόνου εἰς ἐπιθυμίαν ἐμπεσοῦσα, τὴν τροφὸν ἔπεμψε.*

Inseritur a Seneca carmen eiusmodi, quo Amoris vis describatur. Aliter ab Euripide factum esse haec ostendunt:

ἀντὶ γὰρ πυρὸς ἄλλο πῦρ
μεῖζον ἐβλαστοῦμεν γυναῖ-
κες πολὺ δυςμαχώτερον.

Initium huius carminis fuisse possunt versus, quos Aristophanem (Equit. 1290.) ex Hippolyto petisse schol. monet Ven. *):

ἦ πολλάκις ἐννυχίαισι
φροντίσι συγγεγένημαι,
καὶ διεζήτηχ', ὁπόθεν ποτὲ κτλ.

Posthac absurda mixtione actum secundum alterius Hippolyti tragicus Romanus imitatus est. Apud Euripidem continuo Hippolytum in scenam prodisse suspicor. Durum, agrestem et laboriosum hunc fuisse, quod genus hominum a mollitie atque libidine alienissimum est, et Ovidius

---

*) Cf. Welck. p. 1599.

(Heroid. IV, 73 seqq.) et Seneca testantur, quorum consensum ex Euripidis imitatione natum esse coniicio. Amabat enim hic tales Catones effingere, et huic tragoediae persona, quae Phaedrae moribus plane contraria esset, optime conveniebat. Ovidii verba haec sunt:

„*Quemque vocant aliae vultum rigidumque trucemque,*
Pro rigido, Phaedra iudice, fortis erat.
Sint procul a nobis iuvenes, ut femina, comti:
Fine coli modico forma virilis amat.
Te tuus iste rigor positique sine arte capilli
Et levis egregio pulvis in ore decet etc.
Tu modo duritiem silvis depone iugosis:
Non sum materia digna perire tua.
Quid iuvat incinctae studia exercere Dianae,
Et Veneri numeros eripuisse suos?
Quod caret alterna requie, durabile non est:
Haec reparat vires fessaque membra novat."

Fere iisdem monitis apud Senecam nutrix Hippolyti animum flectere studet:

— — „*Potius annorum memor*
Mentem relaxa: noctibus festis facem
Attolle; curas Bacchus exoneret graves etc.
— — *Cur toro viduo iaces?*
Tristem iuventam solve, nunc lusus rape etc.
Laetitia iuvenem, frons decet tristis senem etc.
Truculentus et silvester et vitae inscius
Tristem iuventam, Venere deserta, colis etc.
Proinde vitae sequere naturam ducem:
Urbem frequenta, civium coetus cole."

Euripide utrumque auctore usum esse ex hoc fragmento apparet:

οἱ γὰρ Κύπριν φεύγοντες ἀνθρώπων ἄγαν
νοσοῦσ' ὁμοίως τοῖς ἄγαν θηρωμένοις.

Spretis nutricis monitis abit intro adolescens; illa autem, postquam hoc colloquio nihil profecit, de dominae salute desperans, huic concedendum esse, ut consilia sua exsequatur, intelligit.

Statim deinde Phaedra apud Senecam prodit. Eandem rerum seriem Euripideae fabulae fuisse quin statuamus, nil impedit. Rursus enim verba utriusque poetae congruunt. Apud illum enim Phaedrae prodeuntis haec sunt verba:

„Aude, anime! tenta! perage mandatum tuum!
Intrepida constent verba: qui timide rogat,
Docet negare. Magna pars sceleris mei
Olim peracta est: serus est nobis pudor.
Amavimus nefanda: si coepta exsequor,
Forsan iugali crimen abscondam face.
Honesta quaedam scelera successus facit."

Apud Euripidem multo etiam audacior est simulque philosophicis argumentis crimen defendit, haecce dicens:

ἔγωγέ φημι καὶ νόμον γε μὴ σέβειν
ἐν τοῖσι δεινοῖς τῶν ἀναγκαίων πλέον.

En documentum temeritatis hominum, ad spernenda instituta maiorum ac polluenda iura divina humanaque abutentium philosophia! Magis perniciosa sunt quae addit:

οὐ γὰρ κατ' εὐσέβειαν αἱ θνητῶν τύχαι,
τολμήμασιν δὲ καὶ χερῶν ὑπερβολαῖς
ἁλίσκεταί τε πάντα καὶ θηρεύεται.
ἔχω δὲ τόλμης καὶ θράσους διδάσκαλον
ἐν τοῖς ἀμηχάνοισιν εὐπορώτατον
Ἔρωτα, πάντων δυςμαχώτατον θεόν *).

Vestitu Amazonarum indutam prodisse ex eodem Seneca (v. 391 seqq.) colligo:

„Talis severi mater Hippolyti fuit:
— talis in silvas ferar!"

cum quo conspirat Ovidius v. 103:

„Ipsa comes veniam, nec me salebrosa movebunt
Saxa, nec obliquo dente timendus aper."

Quem deinde sermonem apud Senecam Phaedra cum Hippolyto conserit, multo venustior est, quam quem iste invenire potuerit. Primum esse dicit quae secreto cum adolescente colloquatur. Respondet hic:

„Committe curas auribus, mater, meis."

Tum illa:

„Matris superbum est nomen et nimium potens:
Me vel sororem, Hippolyte, vel famulam voca etc.

*) Tria fragmenta (I, II et III) continuavi.

Deinde, Thesei absentia commemorata, occasionem arripit amoris sui ardorem describendi, quod posset sic intelligi, quasi mariti nimis diu absentis desiderio flagraret. Tum rursus:

„*Thesei vultus amo*
Illos priores, quos tulit quondam puer etc.
Est genitor in te totus, et torvae tamen
Pars aliqua matris miscet ex aequo decus."

Postremo aperte:

„*Te vel per ignes, per mare immensum sequar*
Rupesque et amnes, unda quos torrens rapit:
Quacunque gressus tuleris, hac amens agar!"

His auditis visoque mulieris furore Hippolytum pudore suffusum os pallio texisse recte ex cognomine *καλυπτόμενος* coniecisse Toupius videtur, quem secutus est Welckerus. Confirmatur haec suspicio his Hippolyti verbis:

ὦ πότνι' Αἰδώς, εἴθε τοῖς πᾶσιν βροτοῖς
ξυνοῦσα τἀναίσχυντον ἐξῄρου φρενῶν.

Ruente deinde in amplexus Phaedra, ensem stringit adolescens, sed statim horrens scelus, abiecto ferro, aufugit. Tum familiam clamoribus concitat Phaedra, ostendensque criminis signum, vim sibi ab Hippolyto inlatam esse queritur. Hoc ex Sophocle haustum esse colligo ex argumentis, quae infra commemoraturus sum. Euripidis vestigia in iis, quae Pseudoplutarchus l. l. refert, agnosco: *ὁ δέ, καταλείψας Ἀθήνας καὶ εἰς Τροιζῆνα παραγενόμενος, κυνηγεσίαις προςανέκειτο. Τῆς δὲ προαιρέσεως ἡ ἀσελγὴς ἀποτυχοῦσα ψευδεῖς κατὰ τοῦ σώφρονος ἐπιστολὰς ἐχάραξε καὶ βρόχῳ τὸ ζῆν ἀνήρτησε.* Exsecuta igitur est Phaedra quod pridem constituit, moriendum esse, nisi optatis potiretur. Praeter dolorem autem etiam necessitate ad mortem sibi inferendam cogebatur: neque enim de reditu mariti, ut Sophoclis Phaedra, desperabat, neque palam diluendi criminis concitandaeque in testimonium familiae facultas erat ei, quae palam sumto vestitu virili venatoribus se ostendisset. Quamobrem reliqua, quae ad ultionem pertinerent, cum sola nutrice acta esse opinor, tradita epistola, qua vim sibi inlatam esse Phaedra criminaretur.

Carminis, quod huic actui annectebatur, partem mihi deprehendisse videor in fragm. inc. n. 165:

παίδευμα δ' Ἔρως σοφίας, ἀρετῆς
πλεῖστον ὑπάρχει, καὶ προςομιλεῖν
οὗτος ὁ δαίμων
πάντων ἥδιστος ἔφυ θνητοῖς.
καὶ γὰρ ἄλυπον τέρψιν τιν' ἔχων
εἰς ἐλπίδ' ἄγει.
τοῖς δ' ἀτελέστοις τῶν τοῦδε πόνων
μήτε συνείην χωρίς τ' ἀγρίων
ναίοιμι τρόπων.
τὸ δ' ἐρᾶν προλέγω τοῖσι νέοισιν
μή ποτε φεύγειν,
χρῆσθαι δ' ὀρθῶς, ὅταν ἔλθῃ.

Redit deinde Theseus ex inferis:

ὦ λαμπρὸς αἰθὴρ ἡμέρας θ' ἁγνὸν φάος,
ὡς ἡδὺ λεύσσειν τοῖς τε πράσσουσιν καλῶς
καὶ τοῖσι δυςτυχοῦσιν, ὧν πέφυκ' ἐγώ.

Miserum se esse etiam apud Senecam ostendit:

„*Pars una vitae mansit extincto mihi*
Sensus —
Sed fessa virtus robore antiquo caret,
Trepidantque gressus."

Statim deinde luctum et lamenta ex aedibus audit:

„*Quis fremitus aures flebilis pepulit meas?*
Expromat aliquis! Luctus et lacrimae et dolor,
In limine ipso maesta lamentatio."

Huc traho fragm. inc. 195:

τί χρέος ἔβα δῶμα;

Inde Seneca, Sophoclem sequens, Phaedram finxit vivam a Theseo conventam esse, simulantem se mori constituisse et post multas ambages stuprum per vim sibi ab Hippolyto inlatum esse criminantem, prolatoque huius gladio criminationem probantem. Alio ducunt Euripidis vestigia et Pseudoplutarchus cum Hygino, qui manifesto Euripidem secutus est (fab. 47.): „Quem cum non potuisset ad suam perducere voluntatem, t a b e l l a s   s c r i p t a s   a d   s u u m   v i r u m   m i s i t, se ab Hippolyto compressam esse, seque ipsa suspendio necavit." *Πεύκην* nutrix sive tabellam,

quam in mortuae manu, cum componeret corpus, a se inventam esse diceret, Theseo attulit *). Non venit Hippolytus ipse in conspectum patris, sed pro eo satelles sive amicus caussam dixit:

Θησεῦ, παραινῶ σοι τὸ λῷστον· εἰ φρονεῖς,
γυναικὶ πείθου μηδὲ τἀληθῆ κλύων.
— — — — —
χρόνος διέρπων πάντ' ἀληθεύειν φιλεῖ.

Huius oratione scrupulum Theseo iniectum esse haec testantur:

φεῦ, φεῦ· τὸ μὴ τὰ πράγματ' ἀνθρώποις ἔχειν
φωνήν, ἵν' ἦσαν μηδὲν οἱ δεινοὶ λέγειν.
νῦν δ' εὐρόοισι στόμασι τἀληθέστατα
κλέπτουσιν, ὥςτε μὴ δοκεῖν ἃ χρὴ δοκεῖν.

Sustulit autem dubitationem anus iurando et ad quidvis patiendum se, si fallat, paratam esse dicendo, ad quod profitendum a Theseo ipso provocatur his verbis:

τί δ', ἣν ψύδει με διαβάλῃς, παθεῖν σε δεῖ; **)

Quae sequebantur, eadem ratione, atque apud Senecam, acta esse coniicio: exsecrationem patris finem fuisse huius epitaseos; interposito deinde chori carmine statim nuntium Troezene venientem de interitu Hippolyti exposuisse. Hanc narrationem ab ea, quae posteriori Hippolyto inest, discrepasse ex fragmento uno intelligi potest:

— πρὸς ἵππων εὐθὺς ὁρμήσας στάσιν.

Non solum ad littus maris se contulisse, sed navem quoque conscendisse Hippolytum ex Erotiani lemmate coniicere licet: *Διόπῳ* τῷ τῆς νηὸς ἐπιμελητῇ, παρὰ τὸ διοπτεύ-

*) Philemonis lex. v. βίβλος: Οἱ δὲ παλαιοὶ καὶ ἐν τῇ κατ' Εὐριπίδην Φαίδρᾳ, ἔνθα *μνήμη πεύκης κεῖται*, φασὶ πεύκην ῥηθῆναι τὴν ἐν τῇ χειρὶ τῆς Φαίδρας δέλτον, τὴν κατὰ τοῦ Ἱππολύτου, ὡς ξυλίνην οὖσαν καὶ ἴσως ἐκ πεύκης. Adde Eustath. ad Il. ζ. p. 633.

Non posse haec de posteriori Hippolyto dicta esse, ubi non πεύκη, sed δέλτος ἐκ χερὸς ἠρτημένη commemoretur, intellexit Welckerus; quod autem idem a Phaedra viva epistolam Theseo porrectam esse suspicatur, ineptum est.

**) Vulgo λυθῆς με διαβαλεῖς, sed Heath. citat ψευδῆ με διαβαλεῖς. Servatur hoc fragm. apud Erotianum cum hoc lemmate: διεβλήθησαν, παρελογίσθησαν, ὡς καὶ Εὐριπίδης ἐν Ἱππολύτῳ φησίν.

ειν· Ἀττικὴ δὲ ἡ λέξις, κειμένη παρ' — Εὐριπίδῃ ἐν Ἱππολύτῳ. Deinde aut Dianam aut Minervam prodisse, quae veritatem aperiret et divinos Hippolyti honores constitueret, necesse est. Nec plane Theseo satisfactum esse deae oratione ex hoc fragmento apparet:

ἀλλ' οὐ γὰρ ὀρθῶς ταῦτα κραίνουσιν θεοί.

Verumtamen a choro felix Hippolytus, quasi damno largiter compensato, praedicatur:

ὦ μάκαρ, οἵας ἔλαχες τιμάς,
Ἱππόλυθ' ἥρως, διὰ σωφροσύνην·
οὔποτε θνητοῖς ἀρετῆς ἄλλη
δύναμις μείζων· ἦλθε γὰρ ἢ πρόσθ'
ἢ μετόπισθεν
τῆς εὐσεβίας χάρις ἐσθλή.

Hac reliquiarum interpretatione ac dispositione satis refutatam esse arbitror sententiam Bentleii, quam reliqui fere omnes secuti sunt. Non enim correctum dumtaxat atque interpolatum, non διεσκευασμένον, non retractatum atque expolitum drama est Hippolytus coronatus, sed omnibus partibus atque universa oeconomia diversum atque contrarium ita, ut singuli utriusque dramatis actus, inter se oppositi, ipsa discrepantia conspicui essent. Sed de hoc poetae consilio alio loco plenius expondituri sumus. Phaedrae Sophoclis, quam alteri Euripidis Hippolyto, similiorem fuisse Hippolytum priorem, ex Asclepiadis narratione, quae in schol. Odyss. XI, 321. servatur, quamque ex Sophocle haustam esse Welckerus vidit, intelligitur. Apud Sophoclem Hippolytum ex Troezene per nuntium et litteras accitum esse et regnum ei cum matrimonio, quasi Theseo iam defuncto, oblatum colligo ex verbis, quae nuntius reversus dicere potuit, canis mentionem faciens domino assidentis:

ἔσαιν' ἐπ' οὐρὰν ὦτα κυλλαίνων κάτω.

Aberat enim adolescens Troezene, regnum Aethrae, quod pater ei commiserat, administrans; cf. Asclepiadem atque Ovidium Her. IV, 107. Theseus vero apud inferos morabatur sic, ut de reditu eius plane desperaretur. Intelligitur hoc ex verbis Phaedrae, reditum insperatum mirantis:

ἔζης ἄρ', οὐδὲ γῆς ἔνερθ' ᾤχου θανών;

quae Welckerus minus recte interpretatus est. Vidua igi-

tur esse Phaedra putabatur, neque erat, quod repudiata mortem sibi consciseeret. Hippolytus autem non agrestis, austerus truculentusque, sed *κωτίλος ἀνήρ*, *γύνανδρος καὶ λέγειν ἠσκηκώς* appellatur. Idem non solus curru vehens, sed in curruum certamine peribat. Apud Euripidem Phaedra se statim, postquam ab Hippolyto repudiata est, impatiens doloris, interfecit; apud Sophoclem in fine demum dramatis, cognito Hippolyti interitu fraudeque detecta, vitam laqueo abrupit.

Tantum abfuit, ut prior Hippolytus posteriore tolleretur, ut ne obscuraretur quidem magnopere. Testimonio sunt Senecae Ovidiique imitationes et scriptorum frequentissimae commemorationes, velut Propertii I. I., M. Antonini X, 21., Plutarchi locis pluribus, Athenaei VI. p. 270. C. XIII. p. 561. A., Clementis Alex. (fragm. 7. 12. et 18.), Libanii, Themistii (cf. Matth. p. 407.), Iustini Mart. (fragm. 14.) cum grammaticis, scholiastis et lexicographis. Respexerunt ad idem drama saepius comici, velut Aristophanes Ran. 1043. 1052 seqq. Thesm. 547. Eq. 1290., Antiphanes ap. Athen. I. p. 28. F.:

ἐν πλησμονῇ γὰρ Κύπρις, ἐν δὲ τοῖς κακῶς
πράσσουσιν οὐκ ἔνεστιν Ἀφροδίτη βροτοῖς.

II.
De prima Euripidis didascalia.

Olympiadis primae et octogesimae anno primo (a. Chr. n. 455.), Callia praetore, primam didascaliam ab Euripide in scenam delatam esse scriptum est in vita, quae inest codici Mediolanensi collegii Ambrosiani, hisce verbis: *ἤρξατο δὲ διδάσκειν ἐπὶ Καλλίου ἄρχοντος κατὰ Ὀλυμπιάδα ὀγδοηκοστὴν πρώτην ἔτει πρώτῳ.* Additum est Euripidem eo certamine tertium iudicatum esse, quum doceret Peliadas: *πρῶτον δὲ ἐδίδαξε τὰς Πελιάδας, ὅτε καὶ τρίτος ἐγένετο.* Plena tetralogia aut trilogia poetas,

ubi semel choros impetrassent, non singulis fabulis, certare solitos esse et res docet et testimonia grammaticorum *). Unde Peliadas κατ' ἐξοχήν, loco totius didascaliae, positas esse apparet. Qualis autem dramatum, quae una ederentur, ratio fuerit et rerum respectus, neque a veteribus traditum est et nobis difficile intellectu. Neque enim idem omnes poetae institutum servasse videntur, neque certam iidem in singulis componendis didascaliis rationem secuti esse. Et Euripidis quidem quae traduntur fuisse tetralogiae trilogiaeque, harum aut nullum aut laxissimum fuisse vinculum, nomina ipsa dramatum ostendunt. Consociata enim inter se fuerunt haecce:

1) Cressae, Alcmaeon in Psophide, Telephus, Alcestis.
2) Medea, Philoctetes, Dictys, Messores.
3) Alexander, Palamedes, Troades, Sisyphus.
4) Hypsipyle, Phoenissae, Antiopa.
5) Iphigenia in Aulide, Alcmaeon in Corintho, Bacchae.

Quarum didascaliarum tertia quidem et quarta constat ex iis fabulis, quae rerum quadam communitate inter se cohaerere potuerint (ad bellum enim Troianum alterae, alterae ad res Thebanorum pertinent), reliquarum dramata nullo inter se continentur vinculo eo, quod argumentis ipsis inesse videatur. Verum interno quodam sententiarum vinculo easdem colligatas fuisse, quod in consilio scriptoris deprehenderetur et in rerum publicarum temporumque respectu, quin etiam in ipsis actionibus rerumque caussis similitudinem quandam fuisse, qua alia ad alias respicerent, ostendere studuit Schoell in iis, quae de Atticorum tragicorum tetralogiis nuper disseruit. Quod quamvis minime fictum vanumque esse, sed luculentioribus etiam documentis confirmari posse intelligam, tamen aliud esse video quaerere, quid de industria scriptor secutus sit, et quid sponte et necessario natum sit, poeta vel minus studente vel etiam ignaro. Ante omnia enim, quid artis ratio iusserit, quaerendum est. Primum autem poetae est personam agere poetae, non philosophi, nec politici, nec historici. Utilitatem sequimur in parandis instituendisque iis,

*) Vide quae Schoell de tetralogiis tragicorum Atticorum et Droysen de Phrynicho, Aeschylo ac trilogia disseruerunt.

quae ad vitam victumque necessaria sunt, probitatem honestatemque in agendo, veritatem in cognoscendo, pulcritudinem vel venustatem in fingendo. Quarum virtutum quamquam nulla, deficientibus reliquis, perfecta esse potest, tamen nunquam possunt ita coniunctae esse, ut non alia quasi domina regnet, reliquae quasi comites sociaeque pareant. Aliud agimus, quum operam damus philosophis, aliud, quum oratoribus, aliud, quum poetis. Eruditionem enim vel cognitionem veri in philosophis quaerimus, auctoritatem et consilium in oratoribus, delectationem in poetis. Itaque docere eruditorum est, persuadere oratorum, delectare et movere poetarum: nam commotio ipsa animorum, quae careat perturbatione, delectatio est. Quemadmodum autem docere efficaciter nemo potest, nisi qui idem persuadeat, neque persuadere, nisi qui moveat et delectatione aliqua alliciat: ita nec delectare aut movere potest, nisi qui et ad veritatem naturae res personasque exprimendo doceat, et honesta atque utilia amplectendo adoptandoque favorem sibi et gratiam conciliet. Repudiant enim quidquid est honestorum hominum, si quos poetas vel sordidis vel perniciosis rebus studere intelligunt. Qui autem a veritate recedunt poetae maximis vitiis laborare et vix poetarum nomine digni esse videntur. Argumentis igitur et praeceptis docere philosophi est; exempla et virtutum et vitiorum contemplanda proponere poetae: disserendo ille, quid rectum, utile honestumque esse statuat, ostendit, hic vel metum miserationemque vel risum movendo. Mollire enim duritiem animorum volunt poemata, solvere callum torporemque, quo obduci mentes utilitatis nimium studiosae solent, neque efficere, ut iudicum quorundam severitate vel praeceptorum tristium morositate vitiis irascamur, sed ut more deorum vel sapientium, qui nihil a se humani alienum esse putent, sine ira studioque turpia pravaque rideamus, magna rectaque suspiciamus, vitiis alienis perinde ac nostris ignoscamus, malis omnibus, tanquam propriis, moveamur.

Haec ideo latius disputavi, quod philosophorum et poetarum rationem a multis videram parum discerni. Quidam enim nostra aetate, quum dramata vellent scribere, dialo-

gos philosophicos inscii confecerunt, et plerique, quum de veterum tragicorum fabulis disserunt, hoc egisse poetas affirmant, ut vel sententias quasdam communes vel praecepta philosophorum argumentis fabularum, tanquam exemplis, illustrarent: quae sententiae quanto sint graviores honestioresque et quanto declaratae evidentius, tanto opera poetarum praestantiora esse censent. Non nego talia ex fabulis tragicorum percipi posse, sicut nec ad docendum eas aptas esse infitior; sed talia a poetis quaesita esse nego. Sed ad propositum redeo. In tetralogiis quoque componendis delectationis rationem primam fuisse Horatius testatur, caussas proferens manifestissimas:

„eo quod
Illecebris erat et grata novitate morandus
Spectator functusque sacris et potus et exlex."

Unde quemquam tragicum poetam studiose operam dedisse, ut continua rerum serie iuncta dramata in certamen demitteret, nego; et si vel maxime Aeschylus hoc secutus sit, certe reliquos inde a Sophocle ab illius instituto discessisse intelligo. Multo autem minus, quam actionum perpetuitate, quam percipiunt etiam ineruditi, continuari fabulas nexu cogitatorum potuisse, quae rebus, quasi exemplis, declararentur, planum est. Quid enim sperarent poetae plana fore multitudini ea, quae etiam eruditorum saepe acumen fugerent? aut quid elaborarent in iis, quae vel maxime effecta nemo intellecturus esset?*) Omnes qui ubique temporum fuerunt et locorum poetae, nec minus

---

*) Digna sunt, quae advertantur, Goethii verba, quo auctore sine dubio nemo est in hoc quidem genere locupletior: „Sollte sodann der Dichter nicht bald gewahr werden, dafs dem Volke an der Folge gar nichts gelegen ist? Sollte er nicht klug zu seinem Vortheil gebrauchen, dafs er es mit einer leichtsinnigen Gesellschaft zu thun hat? Er gibt lieber sein Innerstes auf, als es sich ganz allein und umsonst sauer werden zu lassen!" Neque plane ille neglexit, quae fecit ipse in Faustio poetam a scenicorum praefecto moneri:

„Gebt ihr ein Stück, so gebt es gleich in Stücken. —
Was hilft's, wenn ihr ein Ganzes dargebracht?
Das Publicum wird es euch doch zerpflücken."

etiam qui tabulas pinxerunt vel signa fabricati sunt, si quidem vellent opera sua populis commendari (debent autem omnes velle), accommodarunt ea et hominum voluntatibus studiisque et festorum ludorumque naturae, et temporum opportunitatibus, et locorum vel aedificiorum, quae ornare iubebantur, spatiis: nec profecto, quum his rerum angustiis hominumque studiis parerent, detrimentum fecerunt venustatis. Nubes enim et inania captare solent, qui talia negligunt. Scenicos vero poetas si respiciemus, a nemine unquam, qui vel minus nosset theatrorum naturam vel cognitam negligeret, bonas et praestantes omni numero fabulas compositas esse inveniemus. Quamobrem veram esse puto eam tetralogiarum rationem, quam proposuit G. Hermannus et comprobavit Goethius. Confirmatur enim tum fabularum ipsarum natura, quarum singulas consummatas esse intelligimus atque, ut Stoicorum virtutem, sese contentas omniaque sua complexas, neque extrinsecus religatas pendere neque quaerere quidquam aliunde, tum vero etiam testimoniis veterum scriptorum, quorum nemo unquam ullam dixit fabulam, separatam a reliquis, quibuscum una in certamen demissa esset, minus, qualis esset vel quo pertineret, intelligi posse. Verumtamen certam legem certumque ordinem in conficiendis tetralogiis propositum fuisse poetis, ut aliam ad mentis, aliam ad aurium, aliam ad oculorum delectationem potissimum fabulam componerent et, quasi separatis hominum sensibus, alii post alium satisfacerent, neque consentaneum est neque convenit in didascalias, de quibus proditum est memoriae. Potius in structura fabularum varietas quaerenda fuit. Monuit autem Aristoteles (poet. c. 10.) alias simplici esse argumento fabulas, alias implicato vel, quod alii vocarent, duplici (c. 13, 4. et 7.). Simplicem dicit actionem, cuius sine inopinato casu vel agnitione fiat mutatio, implicatam, quae vel agnitionem vel casum inopinatum vel utrumque habeat. Simplicem eandem aequalem et continuam dicit, quod quo res ab initio tendere coeperint, eodem continuo procedant, neque ulla subita atque inopinata conversione (qualem gignit errorum priorum cognitio) in contrarium convertantur. Simplicis igitur argumenti exemplum sunt Pro-

metheus Aeschyli et Medea Euripidis, implicati autem Ion eiusdem. Idem Aristoteles praeter peripetiam atque agnitionem tertium genus actionum ponit perpessionem sive *πάϑημα*, quam dicit esse actionem exitiabilem aut miserabilem, velut caedem in conspectu et cruciatum et vulnerationem (c. 11. §. 6.). Inde alias tragoedias docet patheticas, alias morales esse (c. 24. §. 1.). Pathetici generis exempla ponit Aiantes et Ixiones, moralis Peleum (Euripidis) et Phthiotides (Sophoclis) (c. 18, 2.). Patheticae igitur erunt fabulae, quae atrocia mala, aut ipsorum, qui patiuntur, culpa, aut maiorum vitiis contracta, miserumque interitum ostendunt; morales contra eae, in quibus probitate, fide, fortitudine ac prudentia bonis felicitas restituitur, poena afficiuntur improbi. Moralem eandemque implicatam esse Aristoteles dicit Odysseam, patheticam simplicemque Iliadem. Elaborandum autem ait poetis esse, ut in his generibus omnibus excellant, sin minus, ut in gravissimis et plurimis; neque probandam esse sententiam eorum, qui in uno genere, tanquam suo, unumquemque poetam excellere velint. Et Euripidem quidem pariter in omnibus generibus elaborasse videmus: velut simplicis sine dubio generis fuerunt Cressae et Medea, implicati Alexander atque Antiopa, pathetici Troades et Phoenissae, moralis Peleus et Dictys; in plerisque autem fabulis bina genera sociata esse apparet. Largam igitur variandi grataque iucunditate theatrum retinendi materiam poetis, qui in omnibus vel plurimis actionum generibus elaborarent, fuisse intelligis. Accedit, quod commutatio rerum vel conversio, quam *καταστροφὴν* Graeci appellant, paene non minus saepe infelicium in felices quam felicium in infelices fiebat (Aristot. poet. c. 7. §. 7.). Errant enim vehementer, qui felicem rerum exitum tragoedia indignum esse et ab Aristotele damnari putant. Non magis ille felicem exitum, quam implicatam sive duplicem actionem, damnavit, quamquam praestare dixit infelicem exitum et simplicem actionem (c. 13. §. 4.): quod quidem dicens, quid aliud, quam tragoediam, quam nos appellare solemus, dramate (Schauspiel) graviorem ac praestantiorem esse censuit? Et maiorem Graecis numerum fuisse tragoediarum, quae felicem habe-

rent exitum, quam contrariarum, Aristoteles ipse testatur (c. 13. §. 7. 8.), idemque dicit vitio datum esse a quibusdam criticis Euripidi, quod in res adversas miserasque multae eius tragoediarum desinerent (c. 13. §. 6.). Qua in re mirum est contrarii vitii eundem a quibusdam recentiorum, hominum socordium nec nisi proxima quaeque respicientium, accusatum esse, et parum abfuisse, quin corrupisse et pessumdedisse ista, quam fingebant, novatione tragoediam argueretur. Omnino autem vix dici potest, quantam errorum multitudinem traxerit unus error, quo in res miseras utique deveniendum personis tragicis esse recentiores vulgo sibi persuaserunt. Latius patuisse tragoediae nomen manifestum est, ut ne hilaritas quidem, qua saepe in vita res quamvis severas interpellari videmus, ab illius natura aliena esse crederetur. Quasdam enim tragoedias in locum satyricorum dramatum substitutas esse, quae admixtis lepidis rebus tristia ac severa haberent temperata, satis iam certis documentis probari potest.

Neque igitur rerum neque sententiarum vel serie vel mutuo respectu dramata singularum didascaliarum iungi inter se solitas esse, ex his, quae modo disputavi, puto intelligi. Neque tamen quod necessario et vulgo factum esse nego, idem unquam factum esse vel fieri potuisse infitior. Nam si delectationis rationem poetas imprimis secutos esse dico, non utilitatis rationem neglectam vel consulto spretam esse contendo. Quare ubi obferretur illis materia eiusmodi, quae utramque laudem coniungi pateretur, ut consociandis fabulis et iucunda varietas et rerum quaedam continuatio vel sententiarum utilium declaratio efficeretur, quemnam poetam fuisse tam stolidum putamus, ut opportunitatem feliciter oblatam omitteret neque etiam paullulum delectationis rationi utilitatis condonaret? Aut quotiescunque esset facultas componendi dramata ea, quibus finitima vitiorum virtutumque exempla illustrarentur, ipsaque similium dissimiliumque coniunctione utilissime docendi, quemnam poetarum non fecisse putamus id, quod vel maxime est poetae, ut ex adverso positis rebus finitimis naturam earum magis redderet conspicuam? Atque eiusmodi facultatem saepissime factam esse arbitror. Nam

quum dramata non continuo scripta in vulgus edere liceret, sed exspectandum esset poetis, donec impetrassent chorum, fieri potuit, ut maiorem semper numerum in promtu haberent, ex quo facta delectione consociarent ea, quae essent ad ineundam societatem aptissima. Et quum ad rerum publicarum conditionem omnibus fere fabulis respectum esse videamus, quidni etiam ad unam certamque sententiam communem declarandam, quam inculcari hominibus cummaxime utile esse videretur, partes quasdam earundem accommodari sine detrimento venustatis potuisse statuamus?

His igitur de caussis quaerere, quid singularum didascaliarum fabulae commune habuerint, vel quonam societatis vinculo inter se colligatae fuerint, non alienum mihi esse videtur. Quod autem ad tetralogiarum vel trilogiarum quandam societatem dramata Euripidis dissipata omnia revocare conor atque ordine eo, quo nata esse suspicor, dispono, non approbationem, sed veniam peto. Liceat mihi in hoc quidem genere ficta veris miscere vel lacunas didascaliarum, quas indaganda veritate tolli posse desperem, explere interpolando. Fictum enim ordinem, quam nullum, sequi praestare arbitror, neque alia ratione melius vitae narrationem cum operum censura coniungi posse video.

His in universum disputatis, ad Peliadarum fabulam me converto, ostensurus, quomodo illius argumento et ad publicas Atheniensium res et ad privatam poetae conditionem respectum fuisse suspicer. Olympiade 80¾ Atheniensium iuventute partim in Aegyptum profecta partim in oppugnanda Aegina occupata, sperabant Corinthii, se invasione subito in Megaram facta aut Aeginetas obsidione liberaturos aut Athenienses oppressuros esse. Quae res ut aliter, atque illi speraverant, caderet, senum Atheniensium virtute factum est, qui adsumtis adolescentium iis, qui armis ferendis idonei erant, duce Myronide, obviam profecti hostibus pugnaque superiores facti, pulsis Corinthiis tropaeum constituerunt (Thucyd. I, 105. 106.). Iuvenes igitur quodammodo ex senibus facti erant iuvenile facinus edendo Atheniensium ii, qui absente iuventute hostium impetum propulerant. Paullo post, Olympiade 81, sive

anno 455, Peliadas, suum iam nomen profitens, impetrato choro, docuit Euripides, quae fabula in conatu restituendae seni iuventutis fere tota versabatur. De mente enim poetae non dubitabis, si Iolai, qui est in Heraclidis, exemplum atque similitudinem rationis respicies.

Eodem anno, quo primum in certamen Euripides non celato nomine descendit, Aeschylum e vita decessisse proditum est memoriae. Quamobrem haereditas quasi *θρόνου τραγῳδικοῦ* deorum ipsorum voluntate a sene ad iuvenem transferri videbatur, neque dubito, quin suam quoque caussam Euripides respexerit senis decrepiti in iuvenem mutandi conatum repraesentando. Licebat enim ei significare, se ad successionem illius regni destinatum esse sibi videri; neque illum ab eiusmodi ingenuitate alienum fuisse Plutarchus ostendit, quo loco de parabasi, quae Danaes fabulae inserta fuit, exponit. Hanc autem ipsam fabulam atque parabasin primae didascaliae attribuendam esse censeo. Primum enim certamen ineuntes parabasi poetas uti solitos esse, ut se Musamque suam populo commendarent, et per se consentaneum est, et Aristophanis exemplo docetur, et communi poetarum more confirmatur. Ac fuerunt, qui ad cavillationes poetarum comicorum diluendas illa parabasi usum esse Euripidem, florente Aristophane, putarent. Cui sententiae ne subscribam, Plutarchi monet testimonium, qui videtur non tam acerbe Euripidis ingenuitatem reprehensurus fuisse, si contumeliis eum lacessitum ad defendendos hostes arma cepisse intelligeret. Ceterum non potuisse parabasin alii dramati inseri, nisi ei, quod postremum esset didascaliae, sponte intelligitur. Unde satyrici dramatis locum huic fabulae, sicut Alcestidis, assignatum fuisse apparet; neque naturam eius ab ea conditione abhorruisse patebit cognoscentibus argumentum, quod ex reliquiarum indiciis restituere conati sumus.

Praeter has, quas dixi, fabulas primae didascaliae assignare lubet Stheneboeam, quam et priorem Bellerophonte et antiquissimarum fabularum numero fuisse coniicio. Tum quod Corinthii regis inconstantia atque perfidia argueretur, illis reipublicae temporibus accommodata fuisse vide-

tur. Stheneboeae autem Phoenicem praemitto ideo, quod argumento est eo, quod, cum illius argumento compositum, et ipsum illustraretur et commendaret argumentum Stheneboeae.

A. Peliades.

Maius in Chron. Euseb. (scriptt. vett. nova coll. T. VIII.) p. 43. scripsit haecce: „Locus hic percommodam nobis ansam praebet edendi cuiusdam summarii Euripideae tragoediae Peliades, quod Armenii incolume servarunt. Mosis Chorenensis decem libri progymnasmatum exstant. Iamvero tertio eius rhetoricae libro, qui est de confutatione, praedictam Euripidis fabulam Moses ad exemplum sibi proponit oratoriae confutationis. En autem eius verba." Vide Welckerum p. 625., qui Mosis verba, monstrata a G. Dindorfio, transscripsit. Sed manca sunt quae Maius cum lectoribus communicavit, nec dramatis structuram satis ostendunt. Gravius est, quod Diodori narrationem (IV, 50—53.) copiosissimam ex Euripide haustam esse, comparando eam cum Mosis relatione, intelligi potest *). Et in illa quidem ad unum tempus locumque sic omnia referuntur et quasi actibus distincta sic procedunt, ut originem eius eam, quam dixi, fuisse etiam sine cuiusquam testimonio cognosci potuerit.

Initium prologi, quem egit Medea, servatum est in scholiis ad Med. v. 688. scriptis:

Μήδεια πρὸς μὲν δώμασιν τυραννικοῖς.

Medeam solam, corporis forma simul cum veste mutata, ad aedes regias se contulisse, quum interim Argonautae in portu quodam terrae Thessaliae navem occultam tenerent atque eventum machinationum Medeae exspectarent, colligi potest ex Mosis ipsius verbis hisce: „Ait enim ipsam, societate cum Iasone quodam inita, e Scythia in Thessaliam navigasse atque artes magicas hic professam regem, qui terrae imperabat, dolosis consiliis

---

*) Cum Diodoro Hyginus c. 24. plurimam partem consentit.

perdere decrevisse." Accuratius autem atque copiosius, quomodo ea gesta sint, Diodorus refert, cuius narrationem iam totam cum lectoribus communicabo: „Quum ducum reversio etiamtum per Thessaliam ignoraretur, fama omnes, qui erant cum Iasone profecti, in Ponti regionibus interisse nuntiante, Pelias, opportunitatem omittere nolens, omnes regni successores sustulisse dicitur. Patrem enim Iasonis coegisse ad tauri sanguinem hauriendum, fratrem Promachum, etiamtum puerum, occidisse. Amphinomen autem matrem ferunt, cum ad mortem adigeretur, virile et memoratu dignum facinus perpetrasse: nam quum confugisset ad focum domus regiae et precata esset, ut dignam ille impietatis mercedem acciperet, pectore gladio percusso mortem sibi fortissime conscisse. Peliam autem, hac ratione omnibus Iasonis cognatis sublatis, statim meritam nefariorum facinorum poenam dedisse. Iasonem enim noctu in Thessaliae quendam portum Iolco propinquum, ex urbe non conspicuum, nave appulsa, ex populari quodam miseram suorum sortem cognovisse. Cunctis autem ducibus ad ulciscendum neque quidquam periculi detrectandum paratis, de ratione aggrediendi dubitationem incidisse: alios enim suasisse, ut, impetu statim in urbem facto, regem inopinatum opprimerent; quibusdam placuisse, ut, militibus ex sua quisque patria arcessitis, bellum commune susciperent; neque enim a quinquaginta tribus viris vinci posse regem potentissimum civitatumque amplissimarum possessione munitum. In hac difficultate haerentibus Medeam pollicitam esse se solam Peliam dolo interfecturam regnumque dignissimis traditturam esse sine ullo periculo. Quam orationem quum omnes admirarentur, illam ostendisse, teneri a se multa nova medicamenta, a matre Hecate et sorore Circe inventa, quibus antea quidem nunquam ad hominum perniciem usa, nunc autem meritos facile esset ultura. Et quum duces de consilio suo accuratius docuisset, praedixisse, se signum, quod de specula prospiceretur, interdiu fumo, noctu igne, e regia daturam. Deinde eam, quum in Dianae cavo simulacro, ad hunc usum parato, varia medicamenta condidisset, comas remediis quibusdam in canas mutasse, os autem totumque corpus ru-

gosum reddidisse, ut senis prae se formam speciemque ferret; postremo sumta deae imagine, mirum in modum ad obstupefaciendum vulgus instructa, in urbem ingressam esse cum prima luce."

Habes verum prooemii argumentum; cognoscis diei tempus ad illa in publico exponenda instituendaque aptissimum; vides Medeae formam vestitumque permutatum cum Dianae simulacro, manibus eius imposito; intelligis omnia ad rem perficiendam parata esse. Sola de suo adiecisse Diodorum suspicor ea, quae de crudelitate Peliae deque caede cognatorum retulit. Satis magna Iasoni caussa erat ulciscendi, quod a patria ablegatus et in pericula ea coniectus erat, in quibus sine Medeae auxilio pereundum fuit; neque Peliae miserrimus interitus misericordiam movere potuisset, si tam nefariis fuisset sceleribus pollutus. Servantur autem prooemii quaedam fragmenta; et primum quidem, quae huc pertinere Welckerus vidit, stirps Iasonis declaratur hisce verbis (dub. fragm. n. 43.):

Αἴσωνος υἱὸς Κρηθέως ἀφ' αἵματος.

Iniuriam, qua Iason affectus erat, quum in Colchidem ablegaretur, haec spectasse videntur:

τὸ δ' ἔσχατον δὴ τοῦτο θαυμαστὸν βροτοῖς,
τυραννίς· οὐχ εὕροις ἂν ἀθλιώτερον·
φίλους τε πορθεῖν καὶ κατακτανεῖν χρεών·
πλεῖστος φόβος πρόςεστι, μὴ δράσωσί τι.

Pergit deinde Diodorus ad parodi argumentum enarrandum sic:

ἐνθουσιαζούσης δ' αὐτῆς καὶ τοῦ πλήθους κατὰ τὰς ὁδοὺς συντρέχοντος, παραγγέλλειν πᾶσι δέχεσθαι τὴν θεὸν εὐσεβῶς· παρεῖναι γὰρ αὐτὴν ἐξ Ὑπερβορέων ἐπ' ἀγαθῷ δαίμονι τῇ τε πόλει πάσῃ καὶ τῷ βασιλεῖ. Πάντων δὲ προςκυνούντων καὶ τιμώντων τὴν θεὸν θυσίαις, καὶ τὸ σύνολον τῆς πόλεως ἁπάσης συνθεαζούσης, εἰςβαλεῖν Μήδειαν εἰς τὰ βασίλεια.

Alternis strophis haec a Medea et choro, ad primos illius ululatus concurrente, cantata esse putandum est. Ratio carminis similis esse potuit cantui ei, quo Bacchae Euripidis ante Penthei aedes utuntur. Quod deinde in aedes Medeam intrasse tradit Diodorus, id sic corrigendum

est, ut potius regem ipsum, carminum strepitu excitatum, in publicum cum filiabus prodisse statuas. Huius animo religionem incussam esse dicit Diodorus, nec minus filias miraculis obstupefactas, ut deam crederent ipsam venisse ad Peliae domum beatam reddendam. Docuisse enim Medeam, Dianam, draconum curru per aerem vectam, peragrasse magnam orbis partem; ab eadem Peliam, ut maxime regum omnium pietate insignem, electum esse, qui sacra ei perpetua cultumque institueret; denique sibi mandatum esse, ut regi, a senectute remediis quibusdam liberato, vigorem restitueret iuvenilem, multaque alia ad beatam sanctamque vitam pertinentia donaret. Admirante autem Pelia novitatem promissorum, Medeam professam esse, se extemplo suum corpus mutando dictorum fidem firmaturam: iussisse igitur ab una filiarum puram aquam afferri: quo facto, conclavi aliquo inclusam, corpus lavisse, ablutaque medicamentorum vi atque effectu, proprium habitum recuperasse.

Medea in conclave intrante finiebatur actus secundus; spatium temporis usque ad reditum eius chori carmine consumebatur. Colloquii, quod praecesserat, fragmentum exstat unum, quo se incredulum esse rex declarat:

φθείρου· τὸ γὰρ δρᾶν οὐκ ἔχων, λόγους λέγεις *).

Medea ex conclavi rediens, cum videretur numinis alicuius beneficio iuventutem et insignem corporis pulcritudinem recuperasse, magna admiratione regem, ut par erat, implevit. Fecit deinde medicamentorum vi simulacra draconum apparere, quibus per aerem ex Hyperboreis advecta dea ad Peliam deverti videretur. Quibus ostentis, naturam humanam superantibus, motus rex, magno honore dignam esse Medeam credere omninoque verbis fidem habere. Tum illa regem ablegatis filiabus solum nacta, persuasit ei, ut filias iuberet sociata opera, quidquid ipsa iussisset, efficere: debere enim regis corpus non servorum manibus, sed liberorum curatione divini beneficii particeps fieri.

His compositis rex intro abiit, potuitque tertium chori carmen interponi, eoque finito filiae, patris iussu, qui in-

*) Vulgo λόγους ἔχεις.

terim corpus senile quieti dederat, ad exsequenda Medeae mandata in scenam redire. Eorum, quae cum his Medea collocuta est, partem priorem ex Mose cognoscimus, haec referente: „Idcirco apud eiusdem filias, commemoratis diu patris devexa senectute masculaeque prolis defectu, quae in paternum regnum succederet, ultro opem suam obtulisse, qua illum, siquidem ipsae vellent, in iuvenilem aetatem denuo restitueret." Regnum opulentiamque plurimi facienda esse ostendit hicce versus:

δρῶσι δ' οἱ διδόντες εἰς τὰ χρήματα.

Quaerente deinde Alcestide, quae, cum esset maxima natu, vice reliquarum verba faciebat *), quid fieri Medea ad efficienda ea, quae polliceretur, iuberet —

τί χρῆμα δρώσας; φράζε μοι σαφέστερον **) —

et Medea aperte ostendente dissecandum laniandumque patris corpus esse (*ἀρταμεῖν* fragm. XII.) et in lebete coquendum, virgines diritatem facinoris horrebant atque abominabantur ***). Quas primo obiurgatione ad voluntatem suam traducere studuit:

αἰνῶ· διδάξαι δ', ὦ τέκνον, σὲ βούλομαι,
ὅταν μὲν ἧς παῖς, μὴ πλέον παιδὸς φρονεῖν,
ἐν παρθένοις δὲ παρθένου τρόπους ἔχειν,
ὅταν δ' ὑπ' ἀνδρὸς χλαῖναν εὐγενοῦς πέσῃς,
— — — — — — —
τὰ δ' ἄλλ' ἀφεῖναι μηχανήματ' ἀνδράσιν.
— — — — — —
πρὸς κέντρα μὴ λάκτιζε τοῖς κρατοῦσί σου.

Confirmatur his verbis quod tradit Diodorus, senis specie sumta Medeam Peliae ac Peliadibus se obtulisse. Obstinate autem recusantibus virginibus, maiore miraculo edito scrupulum eximit pertinaciamque expugnat. Dicit enim

---

*) Hyginus l. l.

**) Vulgo *δράσας*, errore ex Medeae fabula, in qua eadem leguntur (v. 688.), nato.

***) Apud Diodorum *ἀπηνῶς* pro *προςηνῶς* reponendum esse res ipsa docet: *ἀπηνῶς δὲ τῶν παρθένων δεξαμένων τὸν λόγον, ἑτέραν αὐτὴν ἐπινοῆσαι πίστιν τῶν ὑπ' αὐτῆς λεγομένων.* Cf. Hyginum l. l.

se arietem, quem pretiosum domi alant, laniando coquendoque in agnum esse mutaturam. Ad quae perficienda statim cum Peliae filiabus in domum se confert.

Secutum est quartum chori carmen *), quo finito prodiit nuntius, qui de re gesta exponeret. Hanc narrationem Moses respicit hisce verbis: „His dictis pergit porro singillatim narrare, qua ratione res patrata fuerit: nempe ut Medea laniatum arietem in lebetem coniecerit ignemque subdiderit, utque, fervente cum motibus lebete, viventis arietis speciem ostenderit, eoque modo illusis filiabus Peliam laniandum curaverit **). Eratque, inquit, in lebete: et praeterea nihil addit." Prodierat igitur nuntius, simulatque membra senis in lebetem coniecta conspexerat. Eodem temporis momento etiam filias Peliae a lebete avocatas et in superiores aedium partes cum facibus ardentibus escendere a Medea iussas esse, Lunam rite in auxilium vocandam esse simulante, tradit Diodorus. Has igitur sub ipsum finem narrationis nuntii puto in tectis aedium cum facibus apparuisse, duce Medea, quae, obscuris quibusdam utens atque ambiguis precationibus, victoriam amicis optaret perniciemque hostibus. Quod Colchico sermone eas preces factas esse monet Diodorus, sic intelligendum est, eam illo quidem sermone se uti dixisse, sed graece locutam esse ***). Ceterum eas precationes satis longas fuisse ait Diodorus: moram enim Medeam intulisse, donec Argonautas venientes prospiceret. Horum adventum primo a Medea, priusquam de tecto descenderet, obscure significatum, deinde etiam a choro descriptum esse arbitror. Strictis enim gladiis in regiam irruerunt obviosque interfecerunt. Quinto igitur carmine pavorem trepidationemque chorus significavit. Prodiit deinde Alcestis, horrore perculsa,

*) Ex hoc carmine depromtum esse potest vocabulum ὄβρια, quo quorundam animalium proles significabatur (fragm. VIII.).

**) Alcestidem solam non sustinuisse patri manum afferre, affirmat Diodorus, contrarium tradente Hygino. Hoc illum de suo addidisse suspicor.

***) Cf. Iphig. Taur. 180.

de iis, quae praesens vidit, expositura: qua de re haec sunt verba Diodori: *τὰς δὲ τοῦ Πελίου θυγατέρας, ἄρτι καταβεβηκυίας ἀπὸ τοῦ στέγους πρὸς τὴν καθέψησιν καὶ παραδόξως ἐν τοῖς βασιλείοις ἰδούσας τόν τε Ἰάσονα καὶ τοὺς ἀριστεῖς, περιαλγεῖς ἐπὶ τῇ συμφορᾷ γενέσθαι· οὔτε γὰρ ἀμύνασθαι τὴν Μήδειαν ἔχειν ἐξουσίαν οὔτε τὸ πραχθὲν αὐταῖς μύσος δι' ἀπάτην διορθώσασθαι. Διόπερ ταύτας μὲν ὁρμῆσαι λέγεται στερίσκειν αὑτὰς τοῦ ζῆν· τὸν δὲ Ἰάσονα, κατελεήσαντα τὰ πάθη, παρακατασχεῖν αὐτὰς καὶ, θαῤῥεῖν παρακαλέσαντα, δεικνύειν, ὡς ἐκ κακίας μὲν οὐδὲν ἥμαρτον, ἀκουσίως δὲ δι' ἀπάτην ἠτύχησαν* *). Occupata igitur regia interfectisque satellitibus, ad Alcestidem prodiit Iason, simul Medeam et reliquas Peliae filias educens suorumque caterva stipatus. Is cum virgines consolatus esset et quae ipse cum Medea fecerat palam purgasset, Acasto quidem, Peliae filio, qui erat in numero Argonautarum, regnum paternum restituit, sororibus autem eius se ipsum prospecturum esse pollicitus est (matrimonia significans, in quae singulas principibus Argonautarum collocaturus erat), denique dixit se cum Argonautis in Isthmum Corinthium profecturum esse et perfectis Neptuno sacris quibusdam navem Argo eidem consecraturum. Quibus dictis concionem dimisit, omnesque discesserunt.

Ex hac Iasonis oratione quaedam fragmenta depromta sunt: et primum quidem ad purgationem facti atque accusationem Peliae pertinere videntur haecce:

οὐκ ἔστι τὰ θεῶν ἄδικ', ἐν ἀνθρώποισι δὲ
κακοῖς νοσοῦντα σύγχυσιν πολλὴν ἔχει.

Reliquis fragmentis gratum animum in Medeam sociosque declarat, neque se, ex periculis servatum rebusque secundis utentem, beneficiorum memoriam depositurum esse dicit:

ἐν τοῖσι μὲν δεινοῖσιν ὡς φίλοι φίλων!
ὅταν δὲ πράξωσ' εὖ, διωθοῦνται χάριν,
αὐτοὶ δι' αὑτοὺς εὐτυχεῖν ἡγούμενοι·
— — — — — —

*) Conatum pro facto ponens Hyginus Peliadas a patria profugisse refert.

> ἀλλ' ἥδε μ' ἐξέσωσεν, ἥδε μοι τροφός,
> μήτηρ, ἀδελφή, δμωΐς, ἄγκυρα, στέγη *).

Simul se felicem praedicat tali virorum principum consortio:

> ὁ γὰρ ξυνὼν κακὸς μὲν ᾖν τύχῃ γεγώς,
> τοιούςδε τοὺς ξυνόντας ἐκπαιδεύεται,
> χρηστοὺς δ' ὁ χρηστός· ἀλλὰ τὰς ὁμιλίας
> ἐσθλὰς διώκειν, ὦ νέοι, σπουδάζετε.

Idem argumentum etiam Sophocles tractaverat, exstantque narrationum varietates, quae huius dramate niti videantur, velut Apollodori atque Tzetzis ad Lycophr. 175. His enim testibus non recta ex Colchide redux ad Peliam ulciscendum se Iason accinxit, sed placide regem adiit, traditoque vellere aureo, Corinthum se contulit: inde, dimissis Argonautis initisque cum Medea ultionis consiliis, quum in Thessaliam reversus esset, tum demum Peliam a liberis interficiendum curavit: denique perpetrato facinore Iason cum Medea ab Acasto eiectus, Pelias autem sepultus est. Mutatis vestibus habituque sacerdotis etiam apud Sophoclem Medeam in scenam prodiisse, Iasone procul eventum exspectante, verisimile est. Eo enim chorus ῥιζοτόμων ducit, quem circum se congregaverat, et a quo nomen fabulae factum erat; cf. Welck. T. I. p. 340 seqq. et fragm. apud G. Dindorf. p. 53.

Tertia narratio apud Pausaniam VIII, 11. p. 620. et 621. reperitur. Ibi Medea se simultatem cum Iasone exercere simulat, revera cum eo in perniciem Peliae liberorumque eius coniurata: quem dum ex sene iuvenem se facturam esse pollicetur, hoc agere videtur, ut Iason regni successione excludatur. Simul suis manibus opus perficit, ipsa Peliam occidens et in aenum coniiciens. Miserrime interfectus, etiam sepultura destituitur; filiae autem in Arcadiam confugiunt. Dignum est memoratu, quod de nominibus filiarum Pausanias adiicit: ὀνόματα δὲ αὐτῶν ποιητὴς μὲν ἔθετο οὐδείς, οἷά γ' ἐπελεξάμεθα ἡμεῖς, Μίκων δὲ ὁ ζωγράφος Ἀστερόπειάν τε εἶναι καὶ Ἀντινόην ἐπὶ ταῖς εἰκόσιν αὐτῶν ἐπέγραψε. Hyginus unde nomina

---

*) Fragm. inc. CLXXXV.

Alcestidis, Pelopiae, Medusae, Isodoces, Hippothoes hauserit, incertum est. Tragoediae enim institutum mutas personas produci postulabat. Ad Pausaniae narrationem proxime accedunt quae Ovidius Met. VII, 297 seqq. exposuit, qui tamen quaedam etiam ab Euripide potest Sophocleque sumsisse.

Euripidis opus quanta inventionis praestantia, quanta oculorum delectatione animorumque commotione retinere potuerit spectatores, facile etiam ex his indiciis, quae exstant, intelligitur.

Auctori Christi patientis cognitam fuisse hanc fabulam ex his eius versibus colligo (933—938.):

λέβητι χρυσέῳ δὲ πέπτων μοι δέμας,
σοφῇ προμηθείᾳ με ξενίσῃ ξένως·
λυγρὸν γὰρ ἀπὸ γῆρας εὐφυῶς ξέσας
ἀνθρωπολοιγοῦ παμπαλαιᾶς μοι λύπης,
κοῦρον φίλον θήσειεν ἡβόωντά με·
ὡς νῦν κάκιστον γῆρας ἅπαντας τρύχει.

Unde plura poetae disiecta membra in illo centone latere verisimile est.

B. Phoenix.

Argumentum exstat apud Apollodorum III, 13, 8: *Φοῖνιξ δ' Ἀμύντορος ὑπὸ τοῦ πατρὸς ἐτυφλώθη, καταψευσαμένης φθορὰν Φθίας τῆς τοῦ πατρὸς παλλακίδος. Πηλεὺς δὲ αὐτὸν πρὸς Χείρωνα κομίσας, ὑπ' ἐκείνου θεραπευθέντα τὰς ὄψεις, βασιλέα κατέστησε Δολόπων.* Paullo accuratius de eadem re docemur epigrammate Cyziceno tertio (cf. Iacobs. Anthol. T. III. part. III. p. 620 seqq.): *ὁ τρίτος ἔχει τυφλούμενον Φοίνικα ὑπὸ πατρὸς Ἀμύντορος καὶ κωλύουσαν Ἀλκιμέδην τὸν οἰκεῖον ἄνδρα·*

Ἀλκιμέδη ξύνευνον Ἀμύντορα παιδὸς ἐρύκει
Φοίνικος ἠδ' ἐθέλει παῦσαι χόλον γενέτου·
ὅττι περ ἤχθετο πατρὶ σαόφρονος εἵνεκα ματρός,
παλλακίδος δούλης λέκτρα προσιεμένῳ·
κεῖνος δ' αὖ δολίοις ψιθυρίσμασιν ἤχθετο κούρῳ,
ἦγε δ' ἐς ὀφθαλμοὺς λαμπάδα παιδολέτιν.

Etiam scholiasta Lycophronis ad v. 421., cuius verba cum Apollodori verbis fere congruunt, quaedam accuratius indicat: *φυγὼν δὲ ὁ Φοῖνιξ ἦλθε πρὸς Πηλέα, καὶ ὃς ἀπαγαγὼν αὐτὸν πρὸς τὸν Χείρωνα ἔπεισεν ὑγιῆ γενέσθαι ὑπ' αὐτοῦ*: itemque *γνοὺς αὐτὸν ὁ πατὴρ — κατηράσατο μὴ τεκεῖν παῖδας*. Patet ex his non a Peleo ipso abductum esse Phoenicem, id quod coniecit Welckerus, sed solum cum paedagogo e patria abisse. Extrema autem Tzetzis verba cum Ennii fragm., quod est apud Cic. Orat. c. 46, conspirant.

Fragmenta exstant paucissima, quorum tamen numerus augetur reliquiis fabulae Ennianae, de Euripidis exemplari expressae.

Prooemio docendum fuit illud:

ὅττι περ ἤχθετο πατρὶ σαόφρονος εἵνεκα ματρός,
παλλακίδος δούλης λέκτρα προσιεμένῳ.

Primam igitur matrem Phoenicis Alcimeden prodisse puto, ac de turpi senis libidine conquestam esse:

„*Stultu' est, qui cupida cupiens cupienter cupit.*"

Cum senex virgini acerbus sit, tum non minus virginem seni molestam esse dicit, quod ei soleat imperare:

μοχθηρόν ἐστιν ἀνδρὶ πρεσβύτῃ νέα,
*ἡβῶσαν ὅστις οὐκέθ' ὡραῖος γαμεῖ *)·*
δέσποινα γὰρ γέροντι νυμφίῳ γυνή.
— — — — —
πικρὸν νέᾳ γυναικὶ πρεσβύτης ἀνήρ.

Ex quibus coniicias fere eadem, quae agantur apud Homerum (Il. IX, 448—495.), acta esse etiam apud Euripidem ab hac femina:

— *ἡ δ' αἰὲν ἐμὲ λισσέσκετο γούνων*
παλλακίδι προμιγῆναι, ἵν' ἐχθήρειε γέροντα.

Neque tamen Phoenix *τῇ πίθετο καὶ ἔρεξεν*: testantur enim et schol. et Eustath. ad Il. IX, 447. Culpa vacasse Phoenicem Euripidis: *καὶ Εὐριπίδης δὲ ἀναμάρτητον*

---

*) Vulgo *μοχθηρόν ἐστιν ἀνδρὶ πρεσβύτῃ τέκνα διδωσιν, ὅστις κτλ.*, quod absurdum est. Aliorum coniecturas vide ap. Matth. p. 289 seq. Cf. etiam Valck. diatr. p. 273.

(*ἄπταιστον*) *εἰςάγει τὸν ἥρωα ἐν τῷ Φοίνικι.* Nihilominus pater, hoc coniectans (*δϊσθείς*) ex eo, quod minus se iucundum pellici esse sentiebat (nam *πικρὸν νέᾳ γυναικὶ πρεσβύτης ἀνήρ*), continuo pro exploratis habere coepit quae inquirenti pellex indicavit. Sed haec postmodum evenerunt. Nullum equidem matris filiique de re tam lubrica colloquium a poeta exhibitum fuisse statuo; potius pellicem ipsam prodisse puto, atque altercatione reginae exacerbatam esse, ut Phoenicem, quod et cum matre conspirare et solus impotentis mulieris ambitioni obstare videbatur, perdere constitueret. Utramque enim feminam in scenam productam esse inde patet, quod nomina utriusque commemorantur, neque reliquis actionibus earum adhibendarum ullam opportunitatem fuisse video. Tum Alcimedae non leviores, quam Phthiae, in conflandis malis partes fuisse, ex indicio pictoris coniicio Cyziceni, qui repraesentans ea, quae intus sunt acta, profecto non videtur Alcimedae personam adhibiturus fuisse, nisi eadem antea in scena versata rem ipsa intricasset. Iram Phthiae altercando excitatam haec declarant:

„*Quam mi ex ore orationem duriter dictis dedit!*"*)

Iam ante feminarum altercationem prodeundum fuit choro, quem compositum fuisse ex iis, quos *ἔτας καὶ ἀνεψιοὺς* adolescentis nominavit Homerus, inde apparet, quod *amici* ab Phoenice ipso appellantur. Horum in consortio honestissimis studiis illum operam dedisse, et ex iis, quae in defensione adolescentis commemorantur, et ex his chori verbis intelligitur:

φθόνον οὐ σέβω, φθονεῖ-
σθαι δ' ἐθέλοιμ' ἂν ἐπ' ἐσθλοῖς.

Interim, dum talia a choro canuntur, intus a pellice seni insusurrantur illa *δόλια ψιθυρίσματα*, quibus hic vehementissime exacerbatus statim ad sumendum atrocissimum supplicium animum applicat. Prodit in scenam senex recenti dolore furens iamque supplicium a se paratum esse dicens:

---

*) Vulgo laesis numeris: *Quam tibi ex ore* etc.

δμωσὶν δ' ἐμοῖσιν εἶπον, ὡς καυτήρια
εἰς πῦρ τιθῶσι καὶ διηπέτη, θενεῖν *).

Venientem deinde cum paedagogo Phoenicem, ut sodalium ludis se adiungat, patris accusatio excipit, cui haec subiungitur exsecratio:

„*Neque tu unquam in gremium extollas*
liberum ex te genus **)."

Phoenix contra:

„*Saeviter suspicionem ferre falsam futilum est.*"
— — — — — — „*Tum*
Tu isti credere, atque exerce linguam,
ut argutarier
Possis" — — — — — —

Cum his conspirant graeca:

τἀφανῆ τεκμηρίοισιν εἰκότως ἁλίσκεται ***).

Ex altercatione ad orationum contentionem transitur. Diserta filii defensione non minuitur, sed confirmatur, patris suspicio:

ὅςτις λέγειν μὲν εὐπρεπῶς ἐπίσταται,
τὰ δ' ἔργα χείρω τῶν λόγων παρέσχετο ****),
— — — — — —
— — *οἱ πεῖραν οὐ δεδωκότες,*
μᾶλλον δοκοῦντες, ἢ πεφυκότες, σοφοί.

Interponit deinde se paedagogus:

ὦ δέσποτ', αἶνός ἐστι τοῖς σοφοῖς βροτῶν †),
χρόνῳ σκοπεῖσθαι τῆς ἀληθείας πέρι
— — — — — —

---

*) Erotianus p. 132: *Διηπέτης ἀντὶ τοῦ διαυγὴς καὶ καθαρός, ὡς καὶ Εὐριπίδης ἐν Φοίνικι λέγων· δμωσὶ δ' ἐμοῖσιν εἶπον, ὡς ταυτηρίαις πυρίδες* (*ΤΑΥΤΗΡΙΑΙΣΠΥΡΙΔΕΣ*) *καὶ διηπέτη κτεῖναι.*

**) Cic. Orat. c. 46. §. 155. Cf. Il. IX, 455. et Tzetzis l. supra laudatum.

***) Interpretationem apposuit Clem. Alex. (fragm. V.): *ἃ δ' ἐστὶν ἀφανῆ, ἀνάγκη τοὺς διδάσκοντας τεκμηρίοις καὶ τοῖς εἰκόσι ζητεῖν.*

****) Paedagogi orationi, quae sequitur, annexa haec leguntur ap. Stobaeum: vide Matth. p. 291.

†) Vulgo *ὦ δέσποτ' ἄναξ, ἔστι κτλ.*

τὸ δ' ὠκὺ τοῦτο καὶ τὸ λαιψηρὸν φρενῶν
εἰς συμφορὰν ἔστησε πολλὰ δὴ βροτούς *).
— — — — — —
ἤδη δὲ πολλῶν ᾑρέθην λόγων κριτὴς
καὶ πόλλ' ἁμιλληθέντα μαρτύρων ὕπο
τἀναντί' ἔγνων συμφορᾶς μιᾶς πάρα.
κἀγὼ μὲν οὕτω, χὤςτις ἔστ' ἀνὴρ σοφός,
λογίζομαι τἀληθές, εἰς ἀνδρὸς φύσιν
σκοπῶν, δίαιταν ἥνπερ ἐμπορεύεται·
ὅςτις δ' ὁμιλῶν ἥδεται κακοῖς ἀνήρ,
οὐπώποτ' ἠρώτησα, γιγνώσκων, ὅτι
τοιοῦτός ἐστιν, οἷςπερ ἥδεται ξυνών.
καὶ τῷδε δηλώσαιμ' ἄν, εἰ βούλοιο σύ,
τἀληθές, ὡς ἔγωγε καὐτὸς ἄχθομαι **),
— — — — — —
τὸν σὸν δὲ παῖδα σωφρονοῦντ' ἐπίσταμαι
χρηστοῖς θ' ὁμιλοῦντ' εὐσεβεῖν τ' ἠσκηκότα.
πῶς οὖν ἂν ἐκ τοιοῦδε σχήματος κακὸς
γένοιτ' ἄν; οὐδεὶς τοῦτό μ' ἂν πίθοι ποτέ ***).

His sic actis, Phoenix ad supplicium rapitur, choro adolescentis calamitatem deplorante, pellicis malitiam detestante:

— ἀμνήστευτος γυνή.

---

*) Fragm. dub. 20. p. 442. Matth. et fragm. inc. 8. p. 366. ibid.

**) Servavit haec Euripidis, quem οὐδενὸς ἧττον σοφὸν appellat, Aeschin. c. Timarch. p. 21, 32. (152.), idemque interpretatus est: ἤδη πολλῶν πραγμάτων φησὶ γεγενῆσθαι κριτής, καὶ τὰς κρίσεις οὐκ ἐκ τῶν μαρτύρων, ἀλλ' ἐκ τῶν ἐπιτηδευμάτων καὶ τῶν ὁμιλιῶν φησι ποιεῖσθαι, ἐκεῖσε ἀποβλέπων, πῶς τὸν καθ' ἡμέραν βίον ζῇ ὁ κρινόμενος καὶ ὄντινα τρόπον διοικεῖ τὴν ἑαυτοῦ οἰκίαν, ὡς παραπλησίως αὐτὸν καὶ τὰ τῆς πόλεως διοικήσοντα, καὶ τίσι χαίρει πλησιάζων· καὶ τελευτῶν οὐκ ὤκνησεν ἀποφήνασθαι τοιοῦτον αὐτὸν εἶναι, οἷςπερ ἥδεται ξυνών. Postremos duos versus ex Stobaeo recepimus, qui eadem verba transscripsit. Praeterea hic locus rhetoribus omnibus familiarissimus fuit, quorum testimonia collegerunt Welck. p. 805. not. 5. et Matth. p. 291.

***) Matth. fragm. Hipp. I. p. 190. Cf. Bergk. ap. Welck. p. 1598., cuius recepi emendationem σχήματος, quum vulgo scriberetur σώματος.

Deinde miseria (τὰ τρύχη) repraesentabatur Phoenicis, effossis luminibus errantis (τοῦ τυφλοῦ Φοίνικος Aristoph. Acharn. 421.) *). Tribuendum ei esse censeo fragm. inc. 53. p. 375. Matth.:

δεινὴ μὲν ὀργὴ κυμάτων θαλασσίων,
δειναὶ δὲ ποταμοῦ καὶ πυρὸς θερμοῦ πνοαί,
δεινὸν δὲ πενία, δεινὰ δ' ἄλλα μυρία·
ἀλλ' οὐδὲν οὕτω δεινόν, ὡς γυνή, κακόν,
οὐδ' ἂν γένοιτο γράμμα τοιοῦτ' ἐν γραφῇ,
οὐδ' ἂν λόγος δείξειεν· εἰ δέ του θεῶν
τόδ' ἐστὶ πλάσμα, δημιουργὸς ὢν κακῶν
μέγιστος ἴστω καὶ βροτοῖσι δυςμενής.

Ab ultionis cogitatione vel violanda pietate longissime abest:

„*Plus miser sim, si scelestum faxim quod dicam fore.*"

— — — — — — — —

„*Ut quod factum est futile, amici, vos feratis fortiter.*"

Summum enim bonum virtutem esse docet, neque praeter peccata quidquam in malis ponendum:

„*Sed virum virtute vera vivere animatum addecet,*
Fortiterque innoxium vacare ad adversarios:
Ea libertas est, qui pectus purum et firmum gestitat **):
Aliae res obnoxiosae nocte in obscura latent."

Itaque ne suae quidem vitae vim afferre constituit:

καίτοι ποτ' εἴ τιν' εἰςίδοιμ' ἀνὰ πτόλιν
τυφλὸν προηγητῆρος ἐξηρτημένον,
ἀδημονοῦντα συμφοραῖς, ἐλοιδόρουν,
ὡς δειλὸς εἴη θάνατον ἐκποδὼν ἔχων.

---

*) Ovid. A. A. I, 337: „Flevit Amyntorides per inania lumina Phoenix." Id. ibid. 261: „Id quod Amyntorides videas."

**) Cf. Horat. Ep. I, 1, 60: „Hic murus aeneus esto, Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa."

καὶ νῦν λόγοισι τοῖς ἐμοῖς ἐναντίως
πέπτωχ' ὁ τλήμων. ὦ φιλόζωοι βροτοί,
οἳ τὴν ἐπιστείχουσαν ἡμέραν ἰδεῖν
ποθεῖτ', ἔχοντες μυρίων ἄχθος κακῶν.
οὕτως ἔρως βροτοῖσιν ἔγκειται βίου.
τὸ ζῆν γὰρ ἴσμεν, τοῦ θανεῖν δ' ἀπειρίᾳ
πᾶς τις φοβεῖται φῶς λιπεῖν τόδ' ἡλίου *).

Convenit in tam generosum iuvenem etiam patria aequo animo carere: quare ei fragm. 38. p. 370. Matth. tribuere non dubito **):

ἅπας μὲν ἀὴρ αἐτῷ περάσιμος,
ἅπασα δὲ χθὼν ἀνδρὶ γενναίῳ πατρίς.

Quae sic reddidit Ovidius Fast. I, 439:

„*Omne solum forti patria est, ut piscibus aequor,*
Ut volucri vacuo quidquid in orbe patet."

Suavissimam tamen patriam terram esse fatetur:

σὺ δ', ὦ πατρῴα χθὼν ἐμῶν γεννητόρων,
χαῖρ'· ἀνδρὶ γάρ τοι, κἂν ὑπερβάλλῃ κακοῖς,
οὐκ ἔστι τοῦ θρέψαντος ἥδιον πέδον.

Ducente paedagogo, prosequentibus eum cum bonis votis et precationibus amicis, Phthiam ad Peleum amicum proficiscitur. Interiiciebatur deinde satis longum temporis spatium, donec paedagogus e Phthia reversus doceret, quomodo Phoenix a Peleo receptus, ad Chironem ductus et restituto lumine oculorum ***) rex Dolopum factus, simulque ei ad levandum orbitatis dolorem Achilles curandus educandusque commissus sit. In his quam accuratissime Homeri vestigiis Euripidem institisse suspicor; cf. Il. IX, 479—495. Testimonium huius narrationis exstat fragm.

---

*) Cf. Hipp. 193:

δυςέρωτες δὴ φαινόμεθ' ὄντες
τοῦδ', ὅτι τοῦτο στίλβει, κατὰ γᾶν,
δι' ἀπειροσύναν ἄλλου βιότου
κοὐκ ἀπόδειξιν τῶν ὑπὸ γαίας,
μύθοις δ' ἄλλως φερόμεσθα.

**) Cf. Valck. diatr. p. 270.

***) Propert. II, 1, 60:

„*Tarda Philoctetae sanavit crura Machaon,*
Phoenicis Chiron lumina Phillyrides".

Ennii, quo in summo Pelio constitutus Phoenix recepto sensu oculorum repente in loca circumiacentia prospexisse commemoratur:

„*Ibi tum derepente ex alto in altum despexit mare.*"

Simul Chironis divinatione Phoenicis virtutem a crimine liberatam esse consentaneum est. Clausula autem huius narrationis haec fuisse videtur:

μέγιστον ἄρ' ἦν ἡ φύσις· τὸ γὰρ κακὸν
οὐδεὶς τρέφων εὖ χρηστὸν ἂν θείη ποτέ.

Relinquebatur Amyntori orbitas atque poenitentia:

ὦ γῆρας, οἷον τοῖς ἔχουσιν εἶ κακόν.

— — — — — —

γυνή τε πάντων ἀγριώτατον κακόν.

Sumtum a pellice supplicium esse plane mihi necessarium esse videtur. Neque, quin Amyntor mortem sibi consciverit, dubito, nisi forte dei alicuius interventu servatus est, qui quidem etiam de Alcimedae vita potuit decernere. Sed de hoc postremo dramatis actu nihil proditum est memoriae.

Maximi momenti est ad perspiciendas fabularum Euripidis caussas narratio, quae de daemone Anagyrasio apud Suidam et in cod. Coislin. ap. Gaisf. Prov. p. 123. invenitur. Anagyrus pagus erat tribus Erechtheae, in quo erat lucus araque daemoni Anagyrasio sacer. Hoc fanum quum senex quidam violasset, heros sive daemon effecit, ut pellex senis filium eiusdem impotenti amore deperiret. Quae quum adolescentem ad voluntatem suam non potuisset perducere, stupri intentati eum criminata est apud patrem. Is eum privavit oculis caecatumque in insula exposuit parva sterilique. Deinde indignatione popularium ignominiaque coactus senex, domo incensa, cum omnibus bonis se combussit, pellex in puteum se praecipitavit. Addit Suidas: *ἱστορεῖ δὲ Ἱερώνυμος ἐν τῷ περὶ τραγῳδοποιῶν, ἀπεικάζων τούτοις τὸν Εὐριπίδου Φοίνικα.* Verba Hieronymi haec fuerunt (vide eundem s. v. *ἐναύειν*): *ἐντεῦθεν Εὐριπίδης ἐναυσάμενος τὸν λόγον ἅπαντα εἶτα (μέντοι) τῷ Φοίνικι περιτίθησι.* Recte quin Hieronymus iudicaverit, non est dubitandum. Intelligitur autem ex hoc

exemplo, qua ratione noster fabularum materiam ex praesenti hominum vita decerpere et recentibus factis antiquas fabulas accommodare sit solitus. De caecitate enim Phoenicis ante Euripidem nemo cogitasse videtur, neque facile huius mutationis caussa inveniretur, nisi eam aliunde inlatam esse ab Hieronymo doceremur. Ceterum hoc demum temperamento invento fabulam, quam refert Homerus, tragoediae aptam fuisse manifestum est. Egregie hoc quoque novavit, quod insontem effinxit adolescentem, id quod duabus de caussis ab eo factum esse videtur, quarum est altera, quod studium amoremque spectatorum huius personae summum conciliari volebat, altera, quod virtutis honestatisque exemplar proponendo virtutem sese esse contentam, quemadmodum ad bene, sic etiam ad beate vivendum, ostendere studebat, cuius generis homines m e n d i c o s m u t i l o s que appellare collibuit Aristophani. Praeterea dignus fuit Achillis, summi viri, educator, qui turpitudine vacaret: neque enim Euripidis aetate homines talia, qualia matre suadente Phoenix commisisse dicitur, tam benigne, quam qui Homerum audiverunt, excusaturi fuisse videntur.

Fere praestantissimae Euripidis fabulae sunt eae, in quibus inveniendis neminem habuit, quem imitaretur, et intactas a reliquis materias ingenii sollertia primus tragoediae accommodavit. Et magnam fuisse Phoenicis laudem testis est Ennius, qui latine reddidit, testis Ovidius, pluribus locis ad illum respiciens, itemque Propertius, Cicero, Aeschines, Demosthenes, Plinius (epist. IV, 26.), Arrianus (diss. Epict. I. c. 28. p. 149.), Diodorus Sic. (XII, 14.), Clemens Alex. aliique multi. Testis denique est etiam Aristophanes, qui quidem in comoedia, quam inscripsit *'Ανάγυρος*, non solum Hippolytum, sed etiam Phoenicem in risum detorsisse videtur; cf. Bergk. fragm. Aristoph. p. 71 seqq. In theatris quanta gloria hoc drama floruerit, ex Demosthenis oratione de falsa leg. p. 418. intelligere licet, quo loco, quum versus illos celeberrimos de moribus ex consortio hominum aestimandis dictos in Aeschinem retorqueret, commemoravit Phoenicis personam a Molone aliisque artificibus scenicis, qui primas partes sustinerent,

agi solitam, non a Theodoro unquam aut Aristodemo, reges tyrannosque tertio loco agentibus, repraesentatam esse. Miratur Valckenarius, quod, cum toties pudicus laudetur Hippolytus, tam rara Euripidei facta Phoenicis mentio sit, atque eius rei caussam in Homero quaerit, cuius auctoritatem videt omnibus debuisse aliorum narrationibus praevalere.

Scripserunt et Sophocles et Ion Phoenices, sed neuter idem atque Euripides argumentum tractasse videtur; cf. Welck. p. 140. et 955.

C. Stheneboea.

Argumentum huius fabulae nuper a Walzio inventum est, margini adscriptum cod. Medicei, qui Gregorii Corinthii scholia ad Hermogenem *περὶ μεθόδου δεινότητος* continet (XXX, 13.), initiumque eius cum vulgo communicatum in Rhet. Graec. T. VII. p. 1321. Plurimum autem ad cognoscendam dramatis structuram contulit Welckerus: nam quum folii ruptura lacunosi litteras omnes diligentius imitandas reddendasque curasset, coniecturis lacunas explendo locum totum expedivit. De quibus tamen supplementis non ubique mihi cum viro praestantissimo convenit, quam discrepantiam in notis indicabo. Verba igitur Gregorii haec sunt: *Ταῦτα λέγει Εὐριπίδης ἐν Σθενεβοίᾳ τῷ δράματι, εἰςάγων τὸν Βελλεροφόντην γνωμολογοῦντα. Ἔστι δὲ ἡ ὑπόθεσις αὕτη. Προῖτος ἦν Ἀκάμαντος υἱός, Ἀκρισίου δὲ [ἀδελφός], βασιλεὺς δὲ Τίρυνθος· γήμας δὲ Σθενέβοιαν, ἐξ αὐτῆς ἐγέννησε παῖδας. Βελλεροφόντου δὲ φεύγοντος ἐκ Κορίνθου διὰ φόνον, αὐτὸν μὲν ἥγνισε τοῦ μύσους, ἡ γυνὴ δὲ αὐτ[οῦ τὸν ξένον μὲν] ἠγάπησε, τυχεῖν δὲ οὐ δυναμένη τοῦ ἐπιθυμηθέντος, διέβαλλεν, ὡς ἐπιτεθέντα αὐτῇ, τὸν Κορίνθιον. Πεισθεὶς δὲ ὁ Προῖτος, ἐξέπεμψεν αὐτὸν εἰς Καρίαν, ἵνα ἀπόληται διὰ τὰ [γράμματα, ἃ] ἐκέλευσε πρὸς Ἰοβάτην διακομίζειν. ὁ δὲ τοῖς γράμμασι ἀκούσας πράττει* (scribe *ὑπακούσας πράττει τάδε*)*· προςέταξεν αὐτῷ διακινδυνεῦσαι πρὸς τὴν*

Χίμαιραν. Ὁ δὲ ἀγωνισάμενος τὸ θηρίον ἀνεῖ[λε, καὶ αὐτίκα] *) *ἐπιστρατεύσας εἰς τὴν Τί[ρυνθον, κατε]* **) *μέμψατο τὸν [Προῖτον· ἠξίωσε] δὲ καὶ τὴν Σθενέβο[ιαν εἰς τιμωρίαν] ἀπάξειν* ***). *Μαθὼν δὲ τὸν Προῖτον πρὸ Τί[ρυνθος* sive *Τιρύνθου]* ****) *ἐπὶ β[οηθείᾳ] ἀναχωρῆσαι, ἀνα[βιβάσας ἐπὶ τὸν] πήγασον τὴν Σθενέβο[ιαν, ὡς ἕξων γυναῖκα]* †), *ἐπὶ τὴν θάλασσαν ἤρ[θη εἰς ὕψος. Τὴν] δὲ κατὰ Μῆλον τὴν νῆσον [εἰς θάλασσαν ἔῤ]ῥιψεν αὐτὴν* (scribe *ἔῤῥιψε, καὶ αὐτὴν*) *μὲν ἀποθ[ανοῦσαν ἐκεῖ] ἁλιεῖς ἀναλαβόντες [ἔφερον] εἰς Τίρυνθον, πάλιν δὲ ἐπιστ[ρεψάμενος ὁ] Βελλεροφόντης πρὸς τὸν Προῖτον αὐτὸς ὡμολόγησε πεπραχέναι ταῦτα· δὶς γὰρ ἐπιβουλευθέντα ὑπ' ἀμφοτέρων, δίκην εἰληφέναι τὴν πρέπουσαν, τῆς μὲν εἰς τὸ ζῆν, τοῦ δὲ εἰς τὸ λυπεῖσθαι.* Cum exercitu igitur Tirynthum reversus est (*ἐπιστρατεύσας*) Bellerophon: quare non est dubitandum, quin chori munus vel omnibus militibus vel parti eorum delegatum fuerit. Evocato ex aedibus Proeto, Bellerophontes primum accusando videtur arguendoque efficere studuisse, ut Proetus uxorem, quae non minus marito quam hospiti se iniquam praestitisset, ad supplicium sumendum sibi traderet. Sed quum Proetus, promissis concessisque in speciem iis, quae hospes postulabat, dolum pararet, vixque dimissus ex Belle-

---

*) Welck. *καὶ πάλιν.*

**) W. *εἰς τὴν τιμωρίαν.*

***) W. *κατεμέμψατο τὸν Προῖτον αὐτὸν δὲ καὶ τὴν Σθ. ἀπειλήσας ἀπάξειν.*

****) Lacunam reliquit W. Idem mox *ἐπὶ βωμὸν Διός* pro *ἐπὶ βοηθείᾳ.*

†) W. *Σθενέβοιαν, σὺν αὐτῇ ἐπὶ τὴν θάλασσαν κτλ.* Schol. ad Arist. Pac. v. 140. et Suidam secutus sum, quorum hic s. v. *τραγικώτερος* haec cum illius verbis congruentia refert: *Ἀριστοφάνης· „οὐκοῦν ἔχρησε πηγάσου ζεῦξαι πτερόν, ὅπως ἐφαίνου τοῖς θεοῖς τραγικώτερος;" Αἰνίττεται δὲ τὰ περὶ Ἰκάρου λεγόμενα, ἢ ἐπεὶ δοκεῖ ὁ Βελλεροφόντης τὴν τοῦ Προίτου γυναῖκα μετὰ τὴν τῆς Χιμαίρας ἀναίρεσιν, ἐπανελθὼν εἰς Κόρινθον* (scribe *Τίρυνθον*), *ἐξαπατῆσαι, καὶ ὡς γυναῖκα* (schol. *καὶ ἕξον*) *ἐπιβιβάσας τοῦ* (*ἵππου*) *πηγάσου εἰς μέσην ῥῖψαι τὴν θάλασσαν.*

rophontis manibus hoc agere diceretur, ut arcessitis auxiliis vim sive palam armis collatis sive ex insidiis propulsaret, iam Bellerophontes operam dare, ut Stheneboeam ipsam fraude deceptam in potestatem suam redigeret, constituit. Hoc est illud, quod bis sibi insidias structas esse (δὶς γὰρ ἐπιβουλευθέντα) Bellerophon queritur.

His praemissis, actionum continuationem qualem fuisse putem, ostendam. Prooemio series rerum Bellerophonti usque ad reditum eius exponenda fuit. Tum cum nutrice Stheneboeae facto colloquio simulandum, venisse se, ut, decepto marito atque a domo ablegato, illam in Lyciam secum abduceret, habiturus ibi pro uxore. Qua fraude quum Stheneboeam per nutricem decepisset, tum demum Proetus in colloquium evocandus fuit. Et prooemii quidem frustula haec servantur:

Οὐκ ἔστιν ὅςτις πάντ' ἀνὴρ εὐδαιμονεῖ·
ἢ γὰρ πεφυκὼς ἐσθλὸς οὐκ ἔχει βίον,
ἢ δυςγενὴς ὢν πλουσίαν ἀροῖ πλάκα.

De sua conditione haec Bellerophontem dicere facile est intellectu; deinde ad Proetum respicit, haec subiiciens:

πολλοὺς δὲ πλούτῳ καὶ γένει γαυρουμένους
γυνὴ κατῄσχυν' ἐν δόμοισι νηπία.

Denique ad labores suos pugnamque cum Chimaera feliciter pugnatam haec pertinere videntur:

ἄνευ τύχης γάρ, ὥςπερ ἡ παροιμία,
πόνος μονωθεὶς οὐκέτ' ἀλδαίνει βροτούς.

A nutrice vehementiam amoris, quo Stheneboea Bellerophontem deperiret, multis verbis descriptam esse haec sunt testimonia:

— — — ποιητὴν ἄρα
Ἔρως διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν *).
— — — — — —
πεσὸν δέ νιν λέληθεν οὐδὲν ἐκ χερός,

*) Interpretatur Plutarchus Symp. p. 296. E. (T. II, 405. F.): ἐνόησεν, ὅτι ποιητικὴν καὶ μουσικὴν ἔρως δύναμιν οὐκ ἐντίθησιν, ἐνυπάρχουσαν δὲ κινεῖ καὶ ἀναθερμαίνει λανθάνουσαν καὶ ἀργοῦσαν.

ἀλλ' εὐθὺς αὐδᾷ· „τῷ Κορινθίῳ ξένῳ" *).

— — — — — —

ἵησι λάταγας „τῷ Κορινθίῳ ξένῳ" **).

— — — — — —

τοιαῦτ' ἀλύει· νουθετούμενος δ' ἔρως
μᾶλλον πιέζει.

Nutrice in domum regressa milites prodeunt, qui praesidiis dispositis se ad reliqua exsequenda praesto esse ostendunt.

Sequitur Proeti accusatio atque confutatio:

τέκτων γὰρ οὖν ἔπρασσες οὐ ξυλουργικά ***).

Simulat hic poenitentiam, simulat indignationem: tum Bellerophontem, ut, in priorem hospitii amicitiaeque locum restitutus, rursus communibus penatibus secum uti velit, benigne invitat. His actis extra portas proficiscitur, simulans quidem se Stheneboeam Bellerophonti abducendam committere, revera autem militum manum congregaturus, quorum opera illum cum Stheneboea redeuntem invadat praedamque hosti rursus eripiat. Deceptus enim uxoris blandimentis, ut solent infidelissimae quaeque mulieres studiosissime maritos obsequio et simulatione amoris ad arcendam omnem suspicionem devincire, plus illius quam hospitis tribuit dictis.

Interpositum est alterum chori carmen:

τίς ἄνδρα τιμᾷ ξειναπάταν;

Quo cantato iteratae proditionis nuntius Bellerophonti allatus est. Quamobrem eluso Proeto Stheneboeam in Pegasum tollere sublimemque abducere constituit. Itaque mulieri, quum ad colloquium prodisset, maris monstra tam immania itinerisque pericula tam atrocia repraesentavit, ut ad Pegasi auxilium ultro confugeret:

---

*) Athen. X. p. 427. E: *τοῖς τετελευτηκόσι τῶν φίλων ἀπένεμον τὰ πίπτοντα τῆς τροφῆς ἀπὸ τῶν τραπεζῶν· διὸ καὶ Εὐριπίδης περὶ τῆς Σθενεβοίας φησίν, ἐπειδὴ νομίζει τὸν Βελλεροφόντην τεθνάναι.*

**) Hesych. *Κορίνθιος ξένος, ἐπὶ τῶν τὰς λάταγας ῥιπτούντων, ἀπὸ τῆς παρ' Εὐριπίδῃ Σθενεβοίας, τῷ Βελλεροφόντῃ ἐπιχεούσης.* Cf. Welck. p. 780.

***) Fragm. inc. 141. p. 395. Matth.

πέλας δὲ ταύτης δεινὸς ἵδρυται κρότος,
ἔνθηρος ᾗ λῃσταῖσι φρουρεῖται πόρος,
κλύδωνι δεινῷ καὶ βροτοστόνῳ βρέμων·
πτηνὸς πορεύσει πῶλος *) — — —

quae respexit Aristoph. Pac. 126., ubi haec quoque verba ex Euripideis depravata esse videntur:

τί δ', ἢν ἐς ὑγρὸν πόντιον πέσῃ βάθος;
πῶς ἐξολισθεῖν, πτηνὸς ὤν, δυνήσεται;

His compositis ambo intro abeunt, ad profectionem se paraturi, locusque fit tertio chori carmini, cui *σύστημα ἐπιφθεγματικὸν* subiunctum esse potuit, quo Bellerophon cum Stheneboea in aerem cummaxime evolans salutaretur.

Proximum actum primum sollicitudine trepidationeque nutricis, desiderantis dominam, tum Proeti reversi, qui Bellerophontem cum uxore Pegaso insidentem volantemque per aerem ipse conspexisset, iracundia, denique famuli alicuius, qui testis fuisset conscensionis in Pegasum colloquiique inter hanc rem facti, relatione confectum fuisse suspicor. Post quartum deinde chori carmen corpus Stheneboeae a piscatoribus exceptum regi moerenti reportatum est. Narrationis horum pars servata haec est:

— — βίος δὲ πορφυροῦς θαλάσσιος,
οὐκ εὐτράπεζος, ἀλλ' ἐπάκτιοι φάτναι,
ὑγρὰ δὲ μήτηρ, οὐ πεδοστιβὴς τροφός,
θάλασσα. τήνδ' ἀροῦμεν, ἐκ ταύτης βίος
βρόχοισι καὶ πέδαισιν οἴκαδ' ἔρχεται.

Proeti verba haec fuerunt:

κομίζετ' εἴσω τήνδε· πιστεύειν δὲ χρὴ
γυναικὶ μηδέν, ὅςτις εὖ φρονεῖ βροτῶν.

Reliqua huius actus pars in mariti lamentis versata esse videtur, quibus quidem finem imposuit Bellerophon rediens, quem noli credere in terram descendisse, sed dei instar, per machinam demissi, in tecto aedium constitisse,

---

*) Schol. Venet. ad Arist. Pac. 123: ὁ λόγος ἐκ Σθενεβοίας Εὐριπίδου κτλ. Ἔστι δὲ ἐν τῇ Σθενεβοίᾳ παρὰ τραγικῷ οὕτως· πέλας δὲ ταύτης δεινὸς ἵδρυται κράτ ἔνθηρος ᾗ λῃστὴς φρουρεῖται κλύδωνι δεινῷ βροτοστόνῳ βρέμει πτηνὸς πορεύγει.

Proeto perfidiam exprobrantem suaque facta ipsum purgantem. Cuius orationi haec infuisse

ὁ δ' εἰς τὸ σῶφρον ἐπ' ἀρετήν τ' ἄγων ἔρως
ζηλωτὸς ἀνθρώποισιν, ὧν εἴην ἐγώ —

testis est Gregorius l. l.

Stheneboea etsi amoris furore excusatur, tamen et nefanda fraus, quam machinata est Bellerophonti, et dementia, qua neque mariti neque liberorum ratione habita abiectoque pudore, insidens equo alato atque amplexa amasium, a domo penatibusque profugit, tantam animis honestis indignationem movet, ut verum esse credendum sit quod Aristophanes (Ran. 1050.) affirmat, honestas matronas mortem sibi conscivisse, loco Stheneboeae fractas pudore,

ὅτι γενναίας καὶ γενναίων ἀνδρῶν ἀλόχους ἀνέπεισας κώνεια πιεῖν, αἰσχυνθείσας διὰ τοὺς σοὺς Βελλεροφόντας *).

Neque probandus est Proetus uxori obnoxius et retinendae feminae infidae caussa quidvis patiens agensque. Eiusmodi igitur hominum dolor non vehementissime spectatores movere potuit, praesertim quum viderent a iuvene et honestissimo et generosissimo et nefandis iniuriis laeso poenam sumi eam, quam adulteras pati decebat. Potuit autem nihilominus his rebus metus atque misericordia moveri, si vis amoris tanta veritate fuit ad vivum expressa, ut dementis instar mulier abripi videretur ad committenda ea, quae ipsa, si sana fuisset, vehementissime horruisset. Miseret nos Medeae liberos trucidantis: quidni etiam Stheneboeae sortem, repraesentante Euripide, quo neminem in exprimendis animi perturbationibus constat acriorem fuisse, miserabilem hominibus visam esse putemus? Eamque rem sic se habuisse multa sunt documenta. Quanto enim studio hoc drama spectatum a Graecis lectitatumque sit, inde

---

*) Duorum dramatum argumenta permutans schol. ad hunc locum notavit: *πολλαὶ γὰρ τὴν Σθενέβοιαν μιμησάμεναι πιοῦσαι κώνειον ἐτελεύτησαν.* In Bellerophonte, non in Stheneboea, hoc mortis genere mulier perierat. Sed videtur Aristophanes ipse consulto utramque rem miscuisse.

aestimare licet, quod plura dicta eius in proverbia abierunt, velut illud τῷ Κορινθίῳ ξένῳ, testante Hesychio, Cratino ap. Athen. XI. p. 782. atque Aristophane Thesm. 403: ἀνὴρ ἐρωτᾷ· τῷ κατέαγεν ἡ χύτρα; οὐκ ἔσθ' ὅπως οὐ τῷ Κορινθίῳ ξένῳ. Non minori celebritate utebatur versus dramatis primus: οὐκ ἔστιν ὅςτις πάντ' ἀνὴρ εὐδαιμονεῖ, quum paucissimis verbis totius vitae rationem ostendere videretur; vide eum laudantes Nicostratum Comicum in Stob. Serm. 103., Diphilum ibid. p. 106., Chrysippum περὶ ἀποφατ. p. 7. Bergk., Plutarchum Consol. p. 103. B. Tum eorum, quae de amoris natura dicta sunt, veritas omnium tulerat consensum, ut Platonis in Symp. 196. E, Plutarchi Amat. p. 762. B, de Pyth. orac. p. 405. F, Symp. p. 622. C, Aristidis T. I. p. 30. (55.) et 198. (345.), Galeni de dogm. Hippocr. Respexerunt ad eadem comicorum Menander, Euripidis admirator, in Poenulo:

χρεία διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ, σοφὸν
Καρχηδόνιον.

(cf. Meinek. p. 93.) atque Aristophanes, obtrectator eiusdem, in Vesp. 1074:

ῥᾳδίως ἐγὼ διδάξω, κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν.

itemque v. 111., ubi amoris furorem in iudiciorum furorem permutavit:

τοιαῦτ' ἀλύει, νουθετούμενος δ' ἀεὶ
μᾶλλον δικάζει.

Unde honorem operis, non contemtum, alludendi caussam fuisse intelligere etiam obstinatissimis licet. Fere enim, quo maiori gloria fabulae Euripidis florebant, hoc frequentius Aristophanes respexit, velut huius praeter locos, quos diximus, etiam in Pac. v. 126. et in Ran. v. 1050. et 1217. memor fuit. Artificibus quoque Euripidis opus materiam imitandi suppeditasse cognosces ex amphorae pictura, quam commemoravit Welck. p. 782. not. 3. Ostenditur enim Bellerophon in mare praecipitans Stheneboeam. Ipse rubris vestibus indutus rubroque pileo, pallio ventis agitato, opposita fronti manu prospectat mulierem de equo praecipitatam. Pegasus albo colore variisque pennis distinctus est. Mare significatur persona Sirenis, quae vultu

mammisque humanis brachiisque polypodis insignis est. Supra Stheneboeam columba volitans amoris vim significare videtur.

Stheneboeae Bellerophontisque fabularum eandem rationem, quam Hippolyti prioris alteriusque, fuisse video. In illa enim non minus, quam in priori Hippolyto, repraesentantur feminae amoris furore tam vehementi abreptae, ut ne pudoris quidem ullum respectum habeant, sed altera in equum sublata, altera vestibus virilibus sumtis quidvis audeant, dummodo quod cupiunt consequantur. Contra alterius Hippolyti Phaedra tanta est verecundia, ut ne nutrici quidem, nisi invita, amorem fateatur et perire prius, quam cupidini indulgere constituerit. Et Stheneboea Bellerophontis nonnisi semel pudoris honestatisque oblita est, quo tempore adolescenti amorem significavit, postmodo honestissimo exemplo ingenuis Atheniensium matronis auctrix est cicutam potius bibendi, quam ut tantae turpitudinis convictae velint maritorum, quorum fidem fefellerint, vultus exprobrationesque ferre. Ulciscendi studium utrique par est, et quidem ex falsa suspicione utrique ductum, quum rem ab adolescentibus, nulla necessitate coactis, ad maritos suos delatam esse opinentur. Unde palinodiam priorum dramatum non minus Bellerophontem quam alterum Hippolytum fuisse coniicio, idque etiam nominis communitate indicatum fuisse ex Aristophane cognosco, qui manifesto Bellerophontis nomen ei fabulae tribuit, quam posteriores Stheneboeam appellare solebant:

— *αἰσχυνθείσας διὰ τοὺς σοὺς Βελλεροφόντας.*

Has autem palinodias ante Ol. 83, 3, quo anno Aristophanis Acharnenses acti sunt, in scenam delatas fuisse constat: nam de Bellerophonte quaedam in Acharnensibus commemorantur, Hippolytum autem Ol. 87, 4. actum esse in argumento eius tragoediae traditum est. Sequitur, ut Stheneboea et Hippolytus, qui cognominatur velatus, fabulae aliquanto prius cum vulgo communicatae sint, et quidem longius spatium inter mutatam eiusdem materiae tractationem intercessisse, et priorum memoriam iam quodammodo obscuratam fuisse, quum variatae exhiberentur, necesse est.

Quod ita esse apparet etiam ex Aristophane, qui quo tempore comoedias docere coepit, dicteria illa de Stheneboea iam in ore erant omni populo.

D. Danae.

Spurium esse prologum, quem ex bibl. Paris. membranis Commelinus edidit, Iacobsius criticis omnibus merito persuasit *). Veri autem prooemii initium illud fuisse suspicor, quod in Ranis v. 1237. Aristophanes posuit:

Αἴγυπτος, ὡς ὁ πλεῖστος ἔσπαρται λόγος,
σὺν παισὶ πεντήκοντα ναυτίλῳ πλάτῃ
Ἄργος κατασχὼν — — — — —

Ad quae verba haec notavit scholiasta: *Ἀρχελάου αὕτη ἡ ἀρχή, ὥς τινες ψευδῶς· οὐ γὰρ φέρεται νῦν Εὐριπίδου λόγος οὐδεὶς τοιοῦτος. Οὐ γάρ ἐστι, φησὶν Ἀρίσταρχος, Ἀρχελάου, εἰ μὴ αὐτὸς μετέθηκεν ὕστερον, ὁ δὲ Ἀριστοφάνης τὸ ἐξ ἀρχῆς κείμενον εἶπε.* At neque Aristophanes Archelai prologo abuti potuit, dramatis in Macedonia ante ipsum obitum Euripidis compositi, neque huic immutandi eiusdem potestas fuit. Relinquitur igitur, ut initium illud prologi, quo abusus est Aristophanes, ad Danaen referamus, eiusque fabulae prooemium vel totum vel ex parte iam Aristarchi temporibus desideratum esse statuamus, quae potest etiam caussa fuisse supponendi spurii. De materia prooemii Apollodorus nos et Horatius docent, quorum ille haec memoriae prodidit: *καὶ γίνεται Ἀκρισίῳ μὲν ἐξ Εὐρυδίκης τῆς Λακεδαίμονος Δανάη —— Ἀκρισίῳ δὲ περὶ παίδων γενέσεως ἀῤῥένων χρηστηριαζομένῳ (ὁ θεὸς) ἔφη γενέσθαι παῖδα ἐκ τῆς θυγατρός, ὃς αὐτὸν ἀποκτενεῖ* **). *Δείσας οὖν Ἀκρίσιος τοῦτο, ὑπὸ γῆν θάλαμον κατασκευάσας χάλκεον, τὴν Δανάην ἐφρούρει* ***). *Ταύτην μέν, ὡς ἔνιοι λέγουσιν, ἔφθειρε Προῖτος, ὅθεν αὐτοῖς καὶ ἡ στάσις ἐκινήθη, ὡς δὲ ἔνιοί φασι, Ζεύς, με-*

*) Cf. Matth. p. 138. Welck. p. 636 seqq.
**) Cf. Hygin. c. 63.
***) Cf. Nicephorum in Walzii Rhet. gr. T. I. p. 437 seq.

ταμορφωθεὶς εἰς χρυσὸν καὶ διὰ τῆς ὀροφῆς εἰς τοὺς Δανάης εἰςρυεὶς κόλπους, συνῆλθεν. Horatius autem Od. III, 16, 1 seqq.:

Inclusam Danaen turris ahenea
Robustaeque fores et vigilum canum
Tristes excubiae munierant satis
Nocturnis ab adulteris,
Si non Acrisium, virginis abditae
Custodem pavidum, Iupiter et Venus
Risissent: fore enim tutum iter et patens
Converso in pretium Deo.

Haec enim de Euripide petita esse ex Aristophanis Thesm. v. 414. cognosci potest:

εἶτα διὰ τοῦτον ταῖς γυναικωνίτισιν
σφραγῖδας ἐμβάλλουσιν ἤδη καὶ μοχλοὺς
τηροῦντες ἡμᾶς, καὶ προςέτι Μολοττικοὺς
τρέφουσι μορμολυκεῖα τοῖς μοιχοῖς κύνας.

Recte etiam interpolator:

ἐν παρθενῶσι δ' εὐθύς, οἷς ἐδείματο,
δίδωσιν Ἀργείαισιν εὔφρουρον κόραις,
εἰς ἀνδρὸς ὄψιν εὐλαβούμενος μολεῖν.

Gynaeceum aeneum aedificaverat et custodes praeter canes etiam virgines imposuerat, quas quidem chori munere in hac fabula functas esse consentaneum est. Ad haec theatro exponenda neque Mercurio neque (quod quis ex Horatio colligat) Venere neque ullo omnino deo opus fuit: commodissime enim omnia a nutrice et sciri et demonstrari potuerunt. Formositatem virginis laudans nutrix, tantam ei inesse ait venustatem, ut ipsa contemplando vix possit satiari:

Contemplo placide formam et faciem virginis
Duellae.

Naevii hoc est fragmentum, cuius fabulam, de Euripidis dramate manifesto expressam, non debuit Welckerus negligere. Praeterea partem prooemii hanc fuisse arbitror:

οὐκ ἔστιν οὔτε τεῖχος οὔτε χρήματα
οὔτ' ἄλλο δυςφύλακτον οὐδὲν ὡς γυνή.

Prologo acto, prodierunt famulae custodesque virginis, quibus chori partes delatae erant, quae de tristi officio

suo, de Danaes misera sorte, de regis suspiciosi iniquitate queri potuerunt, aut etiam de stupro dominae inter se sciscitari.

Auro universam iam familiam, neque minus etiam matrem virginis, corruptam fuisse statuendum est. Cognito igitur filiae dedecore mater praeter pietatem etiam lucri studio ad tegendum stuprum decipiendumque regem impellebatur. Statim igitur post parodum reginam a nutrice de gravitate sive etiam de partu filiae edoctam simulque ei persuasum esse puto, ut vellet infantem a se ipsa partu editum esse fingere regisque ante pedes pro filio tollendum ponere:

„*Eam nunc esse inventam probri compotem*
Scis?"

His rebus cognitis, regina de inopia atque imbecillitate generis mulierum conqueritur; nutrix vires et potentiam virorum dolo eludendas esse ostendit:

συμμαρτυρῶ σοι· πανταχοῦ λελείμμεθα
πᾶσαι γυναῖκες ἀρσένων ἀεὶ δίχα

— — — — —

ἦν γάρ τις αἶνος, ὥς γυναιξὶ μὲν τέχναι
μέλουσι, λόγχῃ δ' ἄνδρες εὐστοχώτεροι·
εἰ γὰρ δόλοισιν ἦν τὸ νικητήριον,
ἡμεῖς ἂν ἀνδρῶν εἴχομεν τυραννίδα.

Fraude composita, intro abit regina sive ad praeparanda quae necessaria esse videntur, sive ad praestandam puerperae operam. Prodit rex, conspectaque nutrice, monet et hanc et reliquas famulas, ut quam diligentissima cura et mores et famam virginis custodire tuerique velint. Nasci enim infamiam virginibus, simulatque aliqua sola in publico versans conspiciatur:

„*Desubito famam tollunt, si quam solam*
videre in via".

Hoc finito colloquio interponi illa *παράβασις* potuit, cuius et Pollux et Plutarchus mentionem fecerunt. Illius verba haec sunt: *τῶν δὲ χορικῶν ᾀσμάτων τῶν κωμικῶν ἕν τι καὶ ἡ παράβασις, ὅταν ὁ ποιητὴς πρὸς τὸ θέατρον βούληται λέγειν, ὁ [δὲ] χορὸς παρελθὼν λέγῃ ταῦτα. Ἐπιεικῶς δὲ αὐτὸ ποιοῦσιν οἱ κωμῳδοποιηταί. Τραγικὸν δὲ*

οὐκ ἔστιν, ἀλλ' Εὐριπίδης αὐτὸ πεποίηκεν ἐν πολλοῖς δράμασιν. Ἐν μέν γε Δανάῃ (codd. *Δαναΐδι*) *τὸν χορόν, τὰς γυναῖκας, ὑπὲρ αὐτοῦ τι ποιήσας παρειπεῖν, ἐκλαθόμενος, ὡς ἄνδρας λέγειν ἐποίησε τῷ σχήματι τῆς λέξεως τὰς γυναῖκας.* Duas res multum inter se diversas miscuisse videtur grammaticus. Quod enim in multis tragoediis factum esse ab Euripide ait, et ne Sophoclem quidem eiusmodi parabasibus abstinuisse testatur, intelligendum est carminum genus illud dici, quo feminae tanquam viri de rebus difficilioribus sublimioribusque, quarum scientia atque indagatio captum feminarum superare videatur, inducantur disserentes et masculino plerumque genere verborum, quae ad ipsas referantur, utentes: qualia carmina et in Medea Euripidis et in reliquarum fabularum, quae exstant, plerisque inesse videmus. Sed ultra hunc modum vulgarem in hac tragoedia processerat Euripides, quum non solum suam personam in chorum transtulisset et suo loco altiora quaedam cogitata explicanda feminis tribuisset, sed etiam de se ipso, de studio suo et facultate, de operibus ad docendum delectandumque theatrum aptis, de suscepto dramatici poetae munere verba fecisset, chori persona abutens. Neque id carmine, sed iusta oratione, factum esse Plutarchus (fragm. inc. 132.) docet, simul exordium illius in medium proferens: *ὁ γοῦν Εὐριπίδης εἰπών·*

„*εἰ δ' ἦσαν ἀνθρώποισιν ὠνητοὶ λόγοι,*
οὐδεὶς ἂν αὑτὸν εὖ λέγειν ἐβούλετο·
νῦν δ' — ἐκ βαθείας γὰρ πάρεστιν αἰθέρος
λαβεῖν ἀμισθὶ — πᾶς τις ἥδεται λέγων
τά τ' ὄντα καὶ μή· ζημίαν γὰρ οὐκ ἔχει,"

φορτικωτάτῃ κέχρηται μεγαλαυχίᾳ, συγκαταπλέκων τοῖς τραγῳδουμένοις πάθεσι καὶ πράγμασι μηδὲν προσήκοντα τὸν περὶ αὑτοῦ λόγον.

Sed cantum quoque huic orationi subiunctum fuisse verisimile est. Interim infantem a filia in gynaeceo partu editum esse putandum est. Reverso igitur in scenam regi mox infans affertur et ante pedes tollendus deponitur, praesente regina et a se editum esse simulante. Summa laetitia Acrisius effertur tam inopinatam felicitatem ea de-

mum aetate, qua sperari minime poterat, adeptus et in limine vitae tandem nactus bonum id, cuius desiderio per totum matrimonii tempus flagraverat:

γύναι, φίλον μὲν φέγγος ἡλίου τόδε,
καλὸν δὲ πόντου χεῦμ' ἰδεῖν εὐήνεμον,
γῆ τ' ἠρινὸν θάλλουσα πλούσιόν θ' ὕδωρ,
πολλῶν τ' ἔπαινον ἔστι μοι λέξαι καλῶν·
ἀλλ' οὐδὲν οὕτω λαμπρὸν οὐδ' ἰδεῖν καλόν,
ὡς τοῖς ἄπαισι καὶ πόθῳ δεδηγμένοις
παίδων νεογνῶν ἐν δόμοις ἰδεῖν φάος.

Iuventutem sibi restitui optat, quo et commodius educare puerum et certius adultum videre queat:

καὶ νῦν παραινῶ πᾶσι τοῖς νεωτέροις,
μὴ πρὸς τὸ γῆρας τοὺς γάμους ποιουμένους
σχολῇ τεκνοῦσθαι παῖδας (οὐ γὰρ ἡδονή,
γυναικί τ' ἐχθρὸν χρῆμα πρεσβύτης ἀνήρ),
ἀλλ' ὡς τάχιστα· καὶ γὰρ ἐκτροφαὶ καλαὶ
καὶ συννεάζων ἡδὺ παῖς νέῳ πατρί.

Masculam autem prolem solam dicit et propagandae stirpi aptam et quasi domus columen esse, filias non esse parentum proprias, sed alienis emancipari:

γυνὴ γὰρ ἐξελθοῦσα πατρῴων δόμων
οὐ τῶν τεκόντων ἐστίν, ἀλλὰ τοῦ λέχους·
τὸ δ' ἄρσεν ἕστηκ' ἐν δόμοις ἀεὶ γένος,
θεῶν πατρῴων καὶ τάφων τιμάορον.

Nunc demum se metu eorum, quae praedixit oraculum, liberatum esse arbitratur, quamobrem etiam filiam evocari iubet, quae communi gaudio fruatur fovens fraterculum. Qua opportunitate oblata Danae rogat, ut parvuli curatio sibi plane permittatur:

τάχ' ἂν πρὸς ἀγκάλαισι καὶ στέρνοις ἐμοῖς
πηδῶν ἀθύροι καὶ φιλημάτων ὄχλῳ
ψυχὴν ἐμὴν κτήσαιτο· ταῦτα γὰρ βροτοῖς
φίλτρον μέγιστον, αἱ ξυνουσίαι, πάτερ.

His aliisque dictis, intro ferentes infantem abeunt. Locus fit tertio chori carmini.

Subito rex omnem familiam auri copia abundantem videt. Rem novam admiratus ex uxore quaerit, quae non infitiatur illud per impluvium delapsum et quasi imbrem

sparsum effusumque esse. Rex etsi nihil doli mali suspicatur, tamen timet periculum et e manibus famulorum irritamenta malorum removenda esse censet:

— „*auri iubeo fonte lavere minimi*
Manum *)."

Patrocinium pecuniae suscipit regina:

χρυσοῦ σὲ πλήθει, τούςδε δ' οὐ, χαίρειν χρεών;

Ad haec rex:

σκαιὸν τὸ πλουτεῖν, κἄλλο μηδὲν εἰδέναι **).

Mox continua oratione, quam perniciosae sint divitiae, demonstrat:

κρείσσων γὰρ οὔτις χρημάτων πέφυκ' ἀνήρ,
πλὴν εἴ τις· ὅςτις δ' οὗτός ἐστιν, οὐχ ὁρῶ.

— — — — — — —

φιλοῦσι γάρ τοι τῶν μὲν ὀλβίων βροτοὶ
σοφοὺς τίθεσθαι τοὺς λόγους, ὅταν δέ τις
λεπτῶν ἀπ' οἴκων εὖ λέγῃ πένης ἀνήρ,
γελᾶν· ἐγὼ δὲ πολλάκις σοφωτέρους
πένητας ἄνδρας εἰςορῶ τῶν πλουσίων
καὶ θεοῖσι μικρὰ χειρὶ θύοντας τέλη
τῶν βουθυτούντων ὄντας εὐσεβεστέρους.

— — — — — —

ὅςτις δόμους μὲν ἥδεται πληρουμένους,
γαστρὸς δ' ἀφαιρῶν σῶμα δύστηνος κακοῖ,
τοῦτον νομίζω καὶ θεῶν συλᾶν βρέτη
τοῖς φιλτάτοις τε πολέμιον πεφυκέναι.

Contra patrocinium pecuniae regina suscipit, studiose hoc agens, ne deliciis suis vel ipsa vel famulae priventur:

ἆρ' οἶσθ', ὅθ' οὕνεχ' οἱ μὲν εὐγενεῖς βροτῶν,
πένητες ὄντες, οὐδὲν ἐμφαίνουσ' ἔτι,
οἳ δ' οὐδὲν ἦσαν πρόσθεν, ὄλβιοι δὲ νῦν,
δόξαν φέρονται τοῦ νομίσματος χάριν
καὶ συμπλέκοντες σπέρμα καὶ γάμους βροτῶν;
δοῦναι δὲ μᾶλλον πλουσίῳ πᾶς τις κακῷ
πρόθυμός ἐστιν, ἢ πένητι κἀγαθῷ,
κακὸς δ' ὁ μὴ 'χων, οἱ δ' ἔχοντες ὄλβιοι.

---

*) Vulgo: **animi** — lavere **nemini**.
**) Fragm. inc. 64.

Vincit regina securumque reddit maritum. Itaque, liberatus scrupulo, ad visendum infantem dulcissimum se in gynaeceum confert. Chorus laudes auri divitiarumque canit illo carmine, cuius pars in Diodori excerptis Vaticanis p. 135. (Matth. p. 447.) servatur:

ὦ χρυσέ, βλάστημα χθονός,
οἷον ἔρωτα βροτοῖσι φλέγεις,
πάντων κράτιστε, πάντων τύραννε·
πολεμεῖς δ', Ἄρεος
κρείσσον' ἔχων δύναμιν, τᾷ πάντα θέλγεις.
ἐπὶ γὰρ Ὀρφέως μελῳδοῖς ἀοιδαῖς
εἵπετο δένδρεα καὶ θηρῶν ἀνόητα γένη,
σοὶ δὲ καὶ χθὼν πᾶσα καὶ πόντος
καὶ ὁ παμμήστωρ Ἄρης.

Feliciter omnia cessisse videbantur, suspicione liberatus erat rex, secura reddita virgo, compositae erant res et quasi in portum deducta navis, quum subito ex ipsa securitate et socordia incendium exitiale exortum est. Rex enim, quum videns parvulum nunquam satiari posset et saepe aut per fissuram forium, qua clavis immittebatur, aut per impluvium, quo aurum delapsum erat, in gynaeceum introspiceret, forte animadvertit filiam parvulo mammam praebentem et maternum amorem non solum osculis blanditiisque, sed verbis quoque, nullam dubitationem relinquentibus, significantem, ut plenissime de universa caussa edoceretur. Itaque fraude cognita, vehementer animo commotus, primum in uxorem severissime inquirit et convictae sceleris supplicium constituit:

μοχθοῦμεν ἄλλως θῆλυ φρουροῦντες γένος·
ἥτις γὰρ αὐτὴ μὴ πέφυκεν ἔνδικος,
τί δεῖ φυλάσσειν κἀξαμαρτάνειν πλέον;)*
— — — — — —
σὺ δ' εἰ κατ' οἴκους εὐνοοῦσ' ἐτύγχανες,
οὐκ ἄν ποτ' ἦλθες εἰς τόδε θράσους.

Deinde filiam in iudicium vocat: excusationem amoris respuit:

---

*) Fragm. inc. 55. Cf. Welck. p. 1592.

ἔρως γὰρ ἀργὸν κἀπὶ τοῖς ἀργοῖς ἔφυ·
φιλεῖ κάτοπτρα καὶ κόμης ξανθίσματα *),
φεύγει δὲ μόχθους· ἓν δέ μοι τεκμήριον·
οὐδεὶς προςαιτῶν βίοτον ἠράσθη βροτῶν,
ἐν τοῖς δ' ἔχουσιν ἐμπέφυχ' ἡβῶν ἀεί **).

Ceterum magno et fidenti animo caussam dicit Danae, freta nimirum eius, qui stupravit, potentia —

„*Manubias suppetat pro me*"
— — — — — —
„*Omnes formidant homines eius valentiam*" —

neque se, imbellem virginem, summi Iovis voluntati adversari potuisse Semelae exemplo confirmat —

— „*quam quondam fulmine icit Iupiter*"—

denique etiam minis patrem terrere conatur, adeo ut audaciam mulieris chorus admiretur:

φεῦ, τοῖσι γενναίοισιν ὡς ἁπανταχοῦ
πρέπει χαρακτὴρ χρηστὸς εἰς εὐψυχίαν.

Sed pater nihil curans minas —

„*Etiam minitas? mitte ea, quae mea sunt mage, quam tua*" —

et magis etiam contumacia illius exacerbatus, poenam sceleris continuo constituit:

„*Quin, ut quisque est meritus, praesens pretium pro factis ferat.*"

De hac dramatis parte hoc docet Apollodorus: *αἰσθόμενος δὲ Ἀκρίσιος ὕστερον ἐξ αὐτῆς γεγεννημένον Περσέα, μὴ πιστεύσας ὑπὸ Διὸς ἐφθάρθαι τὴν θυγατέρα, μετὰ τοῦ παιδὸς εἰς λάρνακα βαλὼν ἔῤῥιψεν εἰς θάλασσαν.* Haec enim, sicut priora, ex Euripide petita esse Malalas p. 34. ed. Nieb. ostendit: *περὶ ἧς ἐμυθολόγησεν Εὐριπίδης ὁ σοφώτατος ἐν τῇ συντάξει τοῦ αὐτοῦ δράματος ἐν κιβωτίῳ τινὶ βληθεῖσαν καὶ ῥιφεῖσαν τὴν Δανάην, ὡς φθαρεῖσαν ὑπὸ Διὸς μεταβληθέντος εἰς χρυσόν.*

---

*) Suspicabar scribendum esse *ξενίσματα*, sed vide Meinek. ad fragm. Menandri p. 235.

**) Codd. *ἡβητὴς πέφυχ' ὅδε.* Coniecturas variorum collegit Matthiaeus.

Tum vero, destitutam se auxilio esse videns, virgo frangitur animo et ad preces convertitur:

„*Excidit orationis omnis confidentia*"

— — — — — — —

„*Indigne exigor patria innocens.*"

Abducta virgine et in mare cum filiolo abiecta, sumtoque etiam de reliquis, qui sceleris socii atque participes fuerunt, supplicio, dolori indulget Acrisius, deque mutabilitate rerum humanarum, a laetitia in aegritudinem subito praecipitatus, conqueritur:

εἰς ταὐτὸν ἥκειν φημὶ ταῖς βροτῶν τύχαις
τόνδ', ὃν καλοῦσιν αἰθέρ', ᾧ τάδ' ἔστι δή.
οὗτος θέρους τε λαμπρὸν ἐκλάμπει σέλας
χειμῶνά τ' αὔξει, συντιθεὶς πυκνὸν νέφος,
θάλλειν τε καὶ μή, ζῆν τε καὶ φθίνειν ποιεῖ.
οὕτω δὲ θνητῶν σπέρμα· τῶν μὲν εὐτυχεῖ
λαμπρὰ γαλήνη, τῶν δὲ συννεφεῖ πάλιν,
ζῶσίν τε σὺν κακοῖσιν, οἱ δ' ὄλβου μέτα
φθίνουσ', ἐτείοις προςφερεῖς μεταλλαγαῖς.

Ad hunc deinde consolandum praedicendamque filiae et nepotis salutem et futuram Persei gloriam Minerva descendit. Tranquillitatem maris a Neptuno effectam esse, ut tuto cista, regente cursum Iove, in Seriphum insulam deferri possit, ostendit:

ἀκύματος δὲ πορθμὸς ἐν φρίκῃ γελᾷ *).

De venustate huius fabulae quidquam monere superfluum esse puto. Celebritatis eiusdem testimonia exstant Aristophanis, Naevii, Horatii, Plutarchi aliorumque, quos supra nominavimus.

---

*) Fragm. inc. n. 208.

III.

De philosophia Euripidis naturali.

De vitis tragicorum poetarum fere quaecunque ab antiquis grammaticis tradantur, ea partim ex illorum ipsorum operibus coniiciendo collecta, partim ex comicorum criminationibus hausta esse video. Quamobrem ad intelligenda quidem veterum iudicia cernendasque hominum opiniones summi mihi momenti esse, ad vitas ipsas cognoscendas exigui videntur. Constitui igitur fontes potius ipsos, quam rivulorum inde deductorum limum adire, neque quidquam ex his haurire, nisi purum sincerumque esse, collatum cum illis, inveniatur. Velut Anaxagorae audiendo Euripidem operam dedisse amplexumque esse quae in rerum naturam inquirendo vir summus de deorum natura, de hominum superstitionibus deque ostentorum vanitate docuisset, ex carminum Euripidis natura, etiamsi scriptorum nemo notasset, perspicere liceret. Neque minori ille ardore etiam ad reliquas philosophiae partes, m o r a l e m dico et r a t i o n a l e m, quae dialecticen et rhetoricen comprehendit, incubuit. Quamobrem, principes cuiusque auctoresque ponentes, hanc a Protagora, illam a Prodico et Socrate (quorum tamen hic quindecim fere annis, quam Euripides, minor fuit natu) traditam ei esse grammatici affirmant: *ἀναγνοὺς δὲ ἐπὶ τραγῳδίαν ἐτράπη καὶ πολλοὺς προςεξεῦρε λόγους, φυσιολογίας, ῥητορείας, ἀναγνωρισμούς, ὡς δὴ ἀκουστὴς γενόμενος Ἀναξαγόρου καὶ Προδίκου καὶ Πρωταγόρου, καὶ Σωκράτους ἑταῖρος* (cod. Mediol. coll. Ambros. itemque cod. Havn.). — *Ἔπειτα εἰς λόγους ὡρμηκὼς ἐφοίτησε παρὰ Ἀναξαγόρᾳ καὶ Προδίκῳ καί τισιν ἄλλοις* (Thom. Mag.) *). De quibus studiorum generibus singulis deinceps

*) His testibus adde quos Valcken. diatr. p. 25 seqq. collegit, Gell. XV, 20., Cic. Tusc. III, 14., Diodor. Sic. I. p. 46.,

disputaturi sumus: hoc quidem loco naturali philosophiae quantum Euripides tribuerit explicare constituimus. Disseruit autem pridem de hac re doctissime Valckenarius in diatriba p. 34 seqq. *) idemque versus Euripidis, quibus sententia eius declarari videretur, et scriptorum testimonia collegit. Quamobrem nos, ne acta agere videamur, tantum de rebus divinis quid Euripides statuerit, exquisituri sumus. Et Valckenarius quidem, quid effici testimoniis putaret, his verbis enuntiavit: „Deorum, quales a Graecis vulgo colerentur, contemtor Euripides unicum agnovisse deum videtur *αὐτοφυῆ*, mentem puram, aeternam atque adeo infinitam, nulliusque rei indigam: non ille, quae aliorum fuit opinio, deum mentem esse censuit, quae, materiae velut infusa ac cum illa arcte coniuncta, hanc molem instar spiritus agitaret, sed puram et a materia longe semotam: cui materiae, natura sua quiescenti et confusae, mens ista divina motum indiderit atque ornatum, creatrix coeli et terrae. Coelum autem, sive Aethera, et Terram velut duo elementa consideravit, ex quibus omnia in hoc universo nascerentur, et in quae omnia, cum viderentur mori, in suum quodque, revolverentur." Equidem haec testimoniis inesse nego. Unum tantum pro certo habuit Euripides, non temere ac fortuito res aut principio natas esse aut perpetuo gigni, neque sine summi alicuius numinis procuratione res humanas administrari. Ceterum illud numen vel illa vis qualis esset vel quonam nomine appellanda, dubitabat. Cf. Troad. 877:

ὦ γῆς ὄχημα κἀπὶ γῆς ἔχων ἕδραν,
ὅςτις ποτ' εἶ σύ, δυςτόπαστος εἰδέναι,
Ζεύς, εἴτ' ἀνάγκη φύσεος, εἴτε νοῦς βροτῶν,
προςευξάμην σε· πάντα γάρ, δι' ἀψόφου
βαίνων κελεύθου, κατὰ δίκην τὰ θνήτ' ἄγεις.

---

schol. Apoll. Rhod. IV, 269., schol. Pind. Ol. I, 97., Diog. Laert. II, 10. 45., Vitruv. praefat. lib. VIII., Dionys. Hal. Rhet. p. 85, 21., Strab. XIV. p. 444.

*) Adde, si lubet, Wideburgi scriptionem de phil. Euripidis morali, Helmst. 1805. Archives litteraires, Parisiis 1805. N. XV. p. 417 seqq. Zimmermann, de theol. Eur. in Mus. Helvet. anni 1750. p. 17. Muller. Euripides deorum popularium contemtor, Bresl. 1826.

Non dedecet poetam inconstantia, qua ne summi quidem philosophi vacasse videntur, quum iidem modo menti divinum tribuerent principatum modo coelo vel aetheri vel coeli cuidam ardori, modo fatali rerum necessitati sive sempiternae rerum futurarum veritati, modo legi perpetuae atque aeternae, quae quasi dux vitae et magistra officiorum esset, quumque, Iovem sive aethera deum esse dicentes, eundem et Neptunum, et Vestam sive terram, et Orcum, et fatalem necessitatem, et mentis infinitae vim rationemque appellarent *). Sed ego istam inconstantiam minus ex ipsorum, quos arguimus, dubitationibus, quam ex eorum, qui minus sensum verborum perciperent, erroribus natam esse arbitror. Videntur enim omnes illi philosophi vim quandam, qua omnia regerentur, non separatam a rebus corporibusque, sed in natura ipsa sitam et per omnia manantem, variis nominibus significasse. Quorum in numero Euripidem propter eandem inconstantiae suspicionem pono. Nam saepissime quidem aethera, undique circumfusum omniaque cingentem atque circumplexum, Iovem esse dixit:

ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ τόνδ' ἄπειρον αἰθέρα,
καὶ γῆν πέριξ ἔχοντ' ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις;
τοῦτον νόμιζε Ζῆνα, τόνδ' ἡγοῦ θεόν.

— — — — — —

κορυφὴ δὲ θεῶν ὁ περὶ χθόν' ἔχων
φαεννὸς αἰθήρ.

Sed alio loco non aetherem ipsum Iovem, sed habitationem Iovis esse declaravit:

ὄμνυμι δ' ἱερὸν αἰθέρ', οἴκησιν Διός,

unde mentem totius naturae atque animum aetheris nomine appellatum esse apparet. Eundem Haden sive Orcum appellari posse in Cretensibus ostendit:

σοὶ τῷ πάντων μεδέοντι χλόην
πέλανόν τε φέρω, Ζεὺς εἴτ' Ἀΐδης
ὀνομαζόμενος στέργεις —
σὺ γὰρ ἔν τε θεοῖς τοῖς οὐρανίδαις
σκῆπτρον τὸ Διὸς μεταχειρίζων
χθονίων θ' Ἅιδῃ μετέχεις ἀρχῆς.

---

*) Cf. Cic. N. D. I, 13, 15.

In Menalippa denique, qui sit Iuppiter, ignorari fatetur:

Ζεύς, ὅςτις ὁ Ζεύς, οὐ γὰρ οἶδα, πλὴν λόγῳ
κλύων,

addit ibidem deum neque ullo corpore neque certo loco includi, sed ubique praesentem esse et videre omnia, quum ipse a nemine conspiciatur. Denique animum deum esse dixit teste Cicerone Tusc. I, 26, 64: „Ergo animus, ut ego dico, divinus, ut Euripides dicere audet, deus est." Quibus addas schol. Pind. Nem. VI, 7: *θεὸς γάρ τις ἐν ἡμῖν κατὰ τὸν Εὐριπίδην.*

Unum deum naturalem esse quum sibi persuasisset Euripides, nihil obstabat, quominus multos daemonas vel deos populares esse crederet, quos, maiorum institutis acceptos, pie colendos esse statueret: cuius generis inter Thraces fuit Rhesus, qui moriens neque exstinctus est neque ad inferos descendit (*οὐκ εἶσι γαίας ἐς μελάγχιμον πέδον*), neque in lumine versari desiit (*ἀνθρωποδαίμων κείσεται βλέπων φάος*); itemque Bacchus et Apollo, qui statim, cum nati essent, se divina stirpe ortos esse factis probarunt magnaque utilitate ad vitae cultum inventa honores divinos adepti sunt. Verumtamen diversa vocabuli vi his atque summo numini divinitatem tribui, his verbis significavit:

ἀλλά σοι λέξαι θέλω·
εἰ θεοί τι δρῶσι φαῦλον, οὐκ εἰσὶν θεοί.

itemque

ἐγὼ δὲ τοὺς θεοὺς οὔτε λέκτρ', ἃ μὴ θέμις,
στέργειν νομίζω, δεσμά τ' ἐξάπτειν χεροῖν
οὔτ' ἠξίωσα πώποτ' οὔτε πείσομαι,
οὐδ' ἄλλον ἄλλου δεσπότην πεφυκέναι.
δεῖται γὰρ ὁ θεός, εἴπερ ἔστ' ὄντως θεός,
οὐδενός· ἀοιδῶν οἵδε δύστηνοι λόγοι.

Has absurdas poetarum fabulas quum, quantum in ipso fuit, augere atque „odia, dissidia, discordias, querelas, adulteria, vincula, cum humano genere concubitus mortalesque ex immortalibus procreatos" aliaque eius generis plurima effingere non dubitaverit, intelligitur, eum non nullos esse istos deos, sed non vere deos esse statuisse. Notionem enim deorum, qui similes essent hominibus, ani-

mis hominum informatam esse videbat, et cum probitatis, sanctitatis iustitiaeque studio, cum legum institutorumque reverentia arctissime coniunctam; cf. Hecub. 782:

ἀλλ' οἱ θεοὶ σθένουσι χὼ κείνων κρατῶν
νόμος· νόμῳ γὰρ τοὺς θεοὺς ἡγούμεθα,
καὶ ζῶμεν ἄδικα καὶ δίκαι' ὡρισμένοι.

Hi igitur dii, quamvis ab erroribus vitiisque non plane vacarent, tamen summi numinis ministri et iurium legumque tutores esse credebantur, ut qui illos rebus humanis prospicere negaret, non unius civitatis mores institutaque evertere, sed plane omnem iustitiam, pietatem, sanctitatem e vita hominum tollere videretur. Aperte Euripides deos contemnere et iura divina humanaque spernere idem esse docuit quum in Bacchis tum in reliquis tragoediis, et fastus, stultitiae vanitatisque arguit quicunque, quae populorum iudiciis natura ipsa duce instituta essent, disserendi subtilitate pervellere conarentur:

οὐ γὰρ κρεῖσσόν ποτε τῶν νόμων
γιγνώσκειν χρὴ καὶ μελετᾶν·
κούφα γὰρ δαπάνα
νομίζειν ἰσχὺν τόδ' ἔχειν,
ὅ τι ποτ' ἄρα τὸ δαιμόνιον,
τό τ' ἐν χρόνῳ μακρῷ νόμιμον
ἀεὶ φύσει τε πεφυκός.

itemque

πατρίους παραδοχὰς ἅς θ' ὁμήλικας χρόνῳ
κεκτήμεθ', οὐδεὶς αὐτὰ καταβαλεῖ λόγος,
οὐδ' ἢν δι' ἄκρων τὸ σοφὸν εὕρηται φρενῶν.

Horum deorum vi effici putabantur quaecunque fortuita, inopinata, mira acciderent, quorumque caussa non appareret, tum quae hominum animis invitis insciisque obreperent, velut amoris ardor, laetitiae exsultatio, inflammatio illa animi, qua affecti carmina funderent poetae, furor sive insania, denique vehementiores animorum perturbationes. Eamque personam agere deos videmus, ubicunque ab Euripide actionibus adhibentur, qui, etiamsi ex ipsis hominum vitiis huiusmodi affectus nasci passim significavit, velut Troad. v. 980:

ἦν οὑμὸς υἱὸς κάλλος ἐκπρεπέστατος,
ὁ σὸς δ' ἰδών νιν νοῦς ἐποιήθη Κύπρις·

τὰ μῶρα γὰρ πάντ' ἐστὶν Ἀφροδίτη βροτοῖς,
καὶ τοὔνομ' ὀρθῶς ἀφροσύνης ἄρχει θεᾷ —

tamen nunquam deorum ullam in occoecandis animis partem esse negavit. Ancipiti enim caussa talia nasci partimque hominum ingeniis partim vi deorum effici, fere consentiens populorum opinio est. Eadem ambiguitate Euripides in fabulis antiquitus traditis conformandis corrigendisque passim utitur: id quod notavit schol. Orest. v. 970. p. 449. Matth.: *γιγνωσκέτωσαν, ὅτι τὰ φυσικὰ τοῖς μυθικοῖς καταμίγνυσιν ὁ Εὐριπίδης* *). Quae permixtio eiusmodi est, ut memoriam antiquitatis partim tolli philosophorum placitis partim confirmari, et fabulas cum naturali philosophia consulto confundi appareat.

Multis autem modis personae Euripideae cogitatis inventisque philosophorum utuntur. Sunt enim qui deos ullam rerum humanarum procurationem habere negent, velut Bellerophontes; sunt qui popularium deorum praesenti auxilio privati, cum sint patria pulsi, praesidio destituti omnibusque hostium iniuriis expositi, in summi numinis, cuius nutu ac voluntate omnia administrentur, iustitia acquiescant, velut Hecuba. Quidam, velut Ixion, religione omni cum deorum reverentia liberati, nefaria scelera securi moliuntur; alii tegendorum commissorum caussa, velut Macareus, miscere fas nefasque conantur. Bacchum atque Venerem, libidinum patronos, spernunt et e coetu reliquorum deorum exturbari volunt Pentheus atque Hippolytus; ex deorum erroribus libidinibusque, quae poetarum fabulis celebratae sunt, Phaedra suis vitiis patrocinium quaerit, ut abiecta verecundia pietateque lubidini temere indulgeat. Omnem religionem, quod a superstitione nequeat discerni, cum diis popularibus tollit Menalippa. Denique non desunt sapientes, velut Palamedes, qui, quod super vulgus prudentia rerumque cognitione eminent, invidia et calumnia oppressi intereant. Sic poeta doctissimus exemplis demonstrando quidquid rerum inquisitione vel boni vel mali partum erat et quaecunque saeculum ferebat dictorum factorumque monstra in medium profe-

*) Adde schol. Phoen. 175. et quae ad eundem locum Apitzius monuit.

rendo ad tollendos errores, quibus vita hominum confundebatur, omnium utilissimus fuit, neque in otiosis cogitationibus defixus salutem communem negligebat, neque omittendis celandisque malis, quibus vita et domestica et publica laborabat, sanari vitia posse, sed ostendendis et ex ipso morbo medicinam petendo saluti prospiciendum esse censebat. Et quemadmodum Pericles, eiusdem Anaxagorae auditor, non spoliavit deorum templa neque signa evertit, sed splendidiora, magnificentiora dignioraque exstruxit: ita Euripides non in contemtum adduxit deorum a maioribus traditorum cultum, sed confirmavit, restituit, denuo animis hominum inculcavit.

Ad Menalippam philosopham me converto, quae, contra superstitionem disputans et portendi quicquam ostentis vel prodigiis negans, ex Anaxagorae philosophia argumenta omnia depromit. Et simillima ratio est eorum, quae in illa fabula acta sunt, atque eorum, quae in domo Periclis ab Anaxagora philosopho et Lampone vate quondam disputata esse tradit Plutarchus in vit. Pericl. c. 6. Nam quum Periclem, rerum coelestium scientia imbutum, excelso animo fuisse et sublimi usum esse dicendi genere dixisset, subiunxit haecce: „Neque hunc solum fructum Pericli attulit Anaxagorae consuetudo, verum etiam omni eum liberavit superstitione, quae hominum caussas ignorantium animis ex eorum, quae in aere fiunt, admiratione ac stupore innascitur, ut, sinistris de deorum natura implicati opinionibus, metu paveant perturbenturque, rerum naturae imperiti: quem errorem eximendo naturalis philosophia pro timida anxiaque superstitione securam inserit cum bona spe pietatem. Ferunt aliquando arietis caput cum unico cornu nati ad Periclem fuisse ex agro delatum, ac Lamponem vatem, ut conspexerit cornu validum et firmum de media enatum fronte, dixisse, fore ut potentia duorum, qui eo tempore principatum in civitate obtinerent, Periclis nimirum ac Thucydidis, ad unum rediret eum, apud quem illud prodigium evenisset. Tum vero Anaxagoram, dissecta calvaria, monstrasse non totam eam cerebro repletam esse, sed cerebrum, quum esset more ovi acutum, ex tota sede devolutum esse in eum locum, ex quo radices cornu du-

xissent initium. Ac tum quidem Anaxagoram admirati sunt qui aderant, sed paullo post Lamponem, quum, fractis Thucydidis opibus, ad unius Periclis potentiam universa respublica redisset. Poterat vero recte uterque coniecisse, tam philosophus quam vates, alter caussam, alter finem assecutus. Illius enim erat, qua de caussa et qua ratione illud natum esset, exquirere; huius, ad quidnam genitum esset et quid portenderet, praedicere." Producitur ab Euripide virgo praeceptis matris philosophae imbuta, quae caussas rerum demonstrando prodigia nulla esse doceat; producitur senex religiosus, in observandis auspiciis ominibusque curiosissimus; adest denique paterfamilias, satis quidem a superstitione et religioso stupore alienus, sed qui timeat, ne sublata ominum vi, quibus voluntatem suam dii significent, simul pietas sanctitasque tollatur neque omnino dii rebus humanis prospicere videantur. Hoc drama numero eorum, quae primis statim temporibus noster docuerit, fuisse inde coniicio, quod parum cautus versum in principio posuit eum, in quo theatri offensionem minus vitaret. Videtur igitur antea hoc drama scripsisse, quam Socratis utens consuetudine, ut ait Dionysius, ad probabilitatem rationem philosophandi traduceret: *μετὰ ταῦτα ὡμίλησε καὶ Σωκράτει, καὶ ἐπὶ τὸ εὐπορώτερον ἤγαγε τὸν λόγον* (Rhet. VIII, 11.). Eamque rem sic se habuisse intelligitur inde, quod istum versum Euripides ipse postea immutavit.

Eiusdem generis atque Menalippa Cretenses fuisse et Cadmus fabulae videntur. In illa enim Daedalus inducebatur, non solum naturae rerum explorator peritissimus, sed etiam machinarum fabricator ingeniosissimus, cuius sollertia et natura superaretur et tyranni potentia eluderetur; idemque tanta erat audacia, ut feminam tauro submittendo monstrum tauriforme procreari faceret filiumque suum pennis instructum in alitem ex homine mutaret *), quae machinationes non erant alienae ei doctrinae, qua communis omnium rerum origo fuisse statueretur, quum

*) Cf. Nicephorum in progymn. (Rhet. gr. ed. Walz. I. p. 436.).

minutae materiae particulae, inter se similes (*ὁμοιομερεῖς*), primum inter se confusae, postea accedente mente divina in ordinem adductae esse dicerentur. Quamobrem quum omnia ex omnibus principio nata esse crederentur, quid mirum, si Daedali audacia ad effectum adducere conata est id, quod fieri posse Menalippa rerum investigatione cognovit, et migrando tollendoque leges naturae boves hominibus miscere, alitum terrestriumque naturam sociare ausus est? Vides, quam arcte dramatum argumenta inter se cohaereant atque alterum altero compleatur. Praeterea in eodem dramate Euripides totum vatum vel potius sapientium chorum induxit, quos non minus studiose, quam summos philosophos, in rerum naturam inquirere videmus, quum, summo numini indagando colendoque operam dantes, nulla rerum procuratione distrahantur. His duabus fabulis tertiam addo Cadmum, cuius primaria persona Agave erat, Baccho inspirante

„*utiliumque sagax rerum et divina futuri,*"

quae quidem philosophorum placita rudibus barbaris tradidisse videtur.

Natura horum dramatum talis erat, ut, inter se iuncta, non carerent iucunda varietate. His igitur alterius didascaliae locum assignare lubet, quam actam esse statuo Ol. 83, 1. anno 447. praetore Philisco. Quae coniectura indicio nititur Suidae, qui s. v. *Ἀχαιός* haec tradidit memoriae: *ἦν δὲ νεώτερος Σοφοκλέους ὀλίγῳ τινί· ἐπεδείκνυτο δὲ κοινῇ σὺν τῷ Εὐριπίδῃ ἀπὸ τῆς πγ' ὀλυμπιάδος.* Non semper tetralogiis, sed interdum etiam trilogiis certatum esse arbitror: neque enim numerum thymelicorum artificum, qui a chorago dabantur, semper quattuor fabulis agendis suffecisse consentaneum est.

A. Cretenses.

Argumentum huius tragoediae Malalas in Chronogr. IV. p. 105. retulit, quem miror non solum a Matthiaeo, sed etiam a Welckero neglectum esse. Eius verba haec sunt: *ἐν οἷς χρόνοις ἦσαν ὁ Δαίδαλος καὶ ὁ Ἴκαρος*

θρυλλούμενοι ἕνεκα τῆς Πασιφάης, γυναικὸς τοῦ Μίνωος βασιλέως, καὶ τοῦ Ταύρου τοῦ νοταρίου (notarii) αὐτῆς· ἐξ οὗ ἔτεκε μοιχευθεῖσα υἱὸν τὸν κληθέντα Μινώταυρον, μεσιτευσάντος τῇ μοιχείᾳ τῆς πορνείας τοῦ Δαιδάλου καὶ τοῦ Ἰκάρου. Ὁ δὲ Μίνως βασιλεὺς τὴν Πασιφάην ἀποκλείσας ἐν τῷ κουβουκλείῳ (cubiculo) μετὰ δύο δουλίδων παρεῖχεν αὐτῇ τροφήν, καὶ εἴασεν αὐτὴν ἐκεῖ, μηκέτι ἑωρακὼς αὐτήν· καὶ ἐκείνη θλιβομένη, ὡς λυθεῖσα τῆς βασιλικῆς ἀξίας, νόσῳ βληθεῖσα ἐτελεύτα· ὁ δὲ Δαίδαλος καὶ ὁ Ἴκαρος ἐφονεύθησαν, ὁ μὲν Ἴκαρος φεύγων τῆς φρουρᾶς, ὡς πλέει, ἐποντίσθη, ὁ δὲ Δαίδαλος ἐσφάγη. Περὶ δὲ τῆς Πασιφάης ἐξέθετο δρᾶμα ὁ Εὐριπίδης ὁ ποιητής*). Idem II. p. 31. Nieb.: ἐξ ἧς ἔσχεν υἱὸν τὸν Μίνω, καθὼς καὶ Εὐριπίδης ὁ σοφώτατος συνεγράψατο, ὅς φησι· „Ζεὺς μεταβληθεὶς εἰς Ταῦρον τὴν Εὐρώπην ἥρπασεν" **). Congruunt haec non solum cum Aristophanis et antiquorum eius interpretum aliorumque quorundam scriptorum indiciis, sed etiam cum fragmentis apud Porphyrium, Clementem Alex. et Aristoph. Ran. 1398. servatis, excepto, quod Malalas, quo res operis sui rationi accommodaret, taurum, cum quo Pasiphae concubuerat, in scribam reginae, labyrinthum, in quo eadem viva inclusa est, in cubiculum, et alas Daedali a patre fabricatas in navigium mutavit. Incestum vel potius monstrosum Pasiphaes concubitum Aristophanes notat his versibus (Ran. 873.):

ὦ Κρητικὰς μὲν συλλέγων μονῳδίας,
γάμους δ' ἀνοσίους εἰςφέρων εἰς τὴν τέχνην,

quae ad Pasiphaen pertinere dixit Timachidas, Euripidis Aristophanisque interpres, teste schol.: „Τιμαχίδας δὲ διὰ τὴν ἐν τοῖς Κρησὶ μίξιν Πασιφάης πρὸς τὸν ταῦρον." Eodem loco de Icari persona his schol. verbis docemur:

---

*) Antiochenus p. 106: περὶ δὲ τῆς Πασιφάης ἐξέθετο δρᾶμα Εὐριπίδης ὁ ποιητής. Cf. Welck. p. 803.

**) Schol. Rhes. 29: διττὰς δὲ Εὐρώπας ἀναγράφουσιν ἔνιοι, μίαν μὲν Ὠκεανίδα κτλ., ἑτέραν δὲ Φοίνικος ἔνιοι καὶ Ἀγήνορος, ὡς καὶ Εὐριπίδης καὶ ἄλλοι ἱστοροῦσιν· ἧς τοὺς περὶ τὸν Μίνω γενέσθαι φασίν.

ἐν γὰρ τοῖς Κρησὶν Ἴκαρον μονῳδοῦντα ἐποίησε. — Καὶ οἱ μὲν εἰς τὴν Ἰκάρου μονῳδίαν ἐν τοῖς Κρησί· θρασύτερον γὰρ δοκεῖ εἶναι τὸ πρόσωπον. Quomodo tandem audacius, nisi ille, ut Ovidii verbis utar, *magnis excidit ausis?* De Pasiphaes autem prodigiosa cupidine apertius docet Libanius *ὑπὲρ ὀρχηστῶν* T. III. p. 375: *λέγω δεῖν καὶ — κεκλεῖσθαι τοῖς ὑποκριταῖς τὸ θέατρον, ἵνα μὴ τραγῳδὸς εἰσελθὼν Πασιφάην μιμήσεται τὴν ἐξοκείλασαν εἰς ἀλλόκοτον ἔρωτα**). Item in apol. Socrat. p. 686. (T. III. p. 64.): *οὐχ ὁρᾶτε τὸν Μίνω δεινὰ πάσχοντα ἐπὶ τῆς σκηνῆς καὶ τὴν οἰκίαν αὐτοῦ διὰ τοῦ τῆς Πασιφάης ἔρωτος ἐν αἰσχύνῃ γεγενημένην; ταῦτα μέντοι πολλοὺς ἂν ἀνθρώπους ἔλαθεν, εἰ μὴ πανταχοῦ τὸν λόγον αἱ τραγῳδίαι διέσπειραν***).

Sic caussam quidem plures scriptores commemorant, eventum autem casusque personarum praeter Malalam nemo ostendit. Omnes enim, aliorum poetarum auctoritatem sequentes, Daedalum in vincula coniectum esse, deinde Pasiphaes opera liberatum pennas et sibi et filio accommodasse, ipsumque salutem adeptum esse, Icarum autem in mare delapsum interisse referunt. Pasiphaes stuprum multi auctores non commemorant tantum, sed etiam explanant; sed nemo, quod sciam, mentionem facit supplicii.

Structuram tragoediae in tanta et narrationis, quam supra posuimus, brevitate et fragmentorum paucitate vix suspicari, nedum explorare licet. De partibus eius quid coniectando interpretandoque assequi possimus, experiamur.

Non potuit Euripides tam foedo facinore pollutam feminam in scenam producere, quin excusationem ei pararet eam, qua uti solent omnes, qui animi perturbationibus, rationi non obnoxiis, impulsi committunt ea, quae sana mente redeunte ipsi vehementissime aversantur, deorum fraude se deceptos esse dicentes. Quamobrem Venerem in scenam productam esse ad prooemium dicendum plane mihi quidem necesse esse videtur, eiusque prooemii materiam in his Hygini verbis (fab. 40.) inesse puto: „Pasiphae, Solis

---

*) Protulit hunc locum Welck. p. 1602.

**) Welck. p. 803.

filia, uxor Minois, sacra deae Veneris per aliquot annos non fecerat. Ob id Venus amorem infandum illi obiecit, ut taurum, quem ipsa amabat, alia (scribe illa) amaret *). In hoc Daedalus exsul quum venisset, petiit ab eo auxilium. Is ei vaccam ligneam fecit et verae vaccae corium induxit, in qua illa cum tauro concubuit. Ex quo compressu Minotaurum peperit, capite bubulo, parte inferiore humana". Hac Veneris explicatione, quum praesertim ab eadem tristis reginae interitus praediceretur, fiebat, ut miseria huius turpitudinem superare videretur. Partum autem Minotauri initium fuisse actionum consentaneum est. Propter prodigium enim vates consulere regi necesse fuit **): vides caussam arcessendi mystas illos sive Iovis Zagreique sacerdotes, qui quidem in scenam prodeuntes de vitae suae genere satis accurate ipsi exponunt. Qui quoniam venientes regem ut praesentem alloquuntur, necesse est eum post Veneris discessum prodisse. Potuit deinde Minos cum Daedalo colloquium conserere eiusque colloquii eventus caussa esse rebellionis, quam a Daedalo incitatam esse apparet ex Aristoph. Ran. 1356. Tyrannicum ingenium moresque superbos Minoi a tragicis tributos esse et Plutarchus in vita Thesei c. 16. et Libanius apol. Socrat. p. 686. ostendunt, quorum illius verba haec sunt: *ἐπικρατήσαντες οἱ τραγικοὶ πολλὴν ἀπὸ τοῦ λογείου καὶ τῆς σκηνῆς ἀδοξίαν αὐτοῦ κατεσκέδασαν, ὡς χαλεποῦ καὶ βιαίου γενομένου*, hic *νῦν δέ*, inquit, *ἀνθ᾽ ὧν τῇ πόλει χαλεπῶς προςενήνεκτο, δύναμιν ἔχων ἐν τῇ θαλάττῃ, διὰ τῶν ποιητῶν καὶ τελευτήσας κολάζεται.* Daedalus autem, caedis caussa e patria profugus, dudum, ut ait Ovidius (Met. VIII, 183.)

— „*Creten longumque perosus*
Exsilium, tactusque soli natalis amore,
Clausus erat pelago."

*) Adde Fulgent. myth. II. p. 866. ed. Basil.: „Illa enim dolens quinque filias Solis amore succendit, id est enim Pasiphaen, Medeam, Phaedram, Circen, Dircen."

**) Apollod. III, 1, 3: *Μίνως δὲ ἐν τῷ λαβυρίνθῳ κατά τινας χρησμοὺς κατακλείσας.* Potuit propter nefas etiam pestilentia incidisse, eaque tam arcessendorum sacerdotum quam motus populi caussa esse.

Qui quum, tyranno omnia maria omnesque terras tenente*), neque effugiendi ullam facultatem haberet, et a Minoe ad immensas aedificiorum moles exstruendas cogeretur, hanc ipsam ob caussam cum regina conspirasse videtur, sperans se huius opera auxilioque liberatum iri. Ea spes quum simul cum felicitate reginae interisset, fieri potuit, ut extrema conari et populum, Minois imperium perosum, ad usurpandam libertatem vocare constitueret. Magnam enim fuisse ingenii eius admirationem magnamque apud vulgus gratiam auctoritatemque consentaneum est. Praetextum autem atque opportunitatem magnae hominum multitudinis congregandae opera ipsa, quae exstrui rex iusserat, suppeditabant, ut hic in insidiis sibi struendis Daedalum ipse adiuvaret. Ceterum ex Daedali Minoisque colloquio depromtum esse arbitror versum, quem Sophocli Euripidique communem fuisse quidam censuerunt, sed locupletiores testes Antisthenes (ap. schol. Aristoph. Thesm. v. 21.) et Plato (Theag. p. 125. D., Rep. VIII. p. 568. A.) huic soli asserunt:

σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν ξυνουσίᾳ.

Potuit in Sophoclis Aiantem Locrum sive ab ipso sive ab interpolatore transferri, neque Euripidis caussa elevatur indicio scholiastae cuiusdam ad Aristoph. Thesm. 21: τὸ μέντοι δρᾶμα, ἐν ᾧ Εὐριπίδης ταῦτα εἶπεν, οὐ σώζεται. Rarissima enim fuisse huius tragoediae exemplaria inde apparet, quod Stobaeo nulla ea utendi copia fuit. Plus, quam interpretis, Euripidis ipsius valet auctoritas, qui Mnesilocho illam sententiam respiciente —

οἷόν τι που 'στὶν αἱ σοφαὶ ξυνουσίαι; —

πολλά, inquit, ἂν μάθοις τοιαῦτα παρ' ἐμοῦ. Ceterum cf. Matth. fragm. inc. p. 433 seq., Boeckh. trag. gr. princ. 247. Praeterea altercationis, quam in Daedalum fecerit Minos, pars mihi esse videtur fragm. 216. Matth.:

— — ἢ φρονεῖν ἐλάσσονα
ἢ δύνασθαι δεῖ σε μείζον' — —.

Parodi autem fragmentum, quod supra commemoravimus, hoc est:

---

*) Thucyd. I, 5. Ovidius l. l. v. 185.

α΄. Φοινικογενοῦς παῖ τῆς Τυρίας,
τέκνον Εὐρώπας καὶ τοῦ μεγάλου
Ζανός, ἀνάσσων
Κρήτης ἑκατομπτολιέθρου,
β΄. ἥκω ζαθέους ναοὺς προλιπών,
οἷς αὐθιγενὴς τμηθεῖσα δοκοὺς
στεγανοὺς παρέχει Χαλύβῳ πελέκει
καὶ τορνοδέτους *)
ἀτρεκεῖς ἁρμοὺς κυπάρισσος.
γ΄. ἁγνὸν δὲ βίον τείνομεν, ἐξ οὗ
Διὸς Ἰδαίου μύστης γενόμην
καὶ νυκτιπόλου Ζαγρέως, βιοτᾷ **)
τάς τ' ὠμοφάγους δαῖτας τελέσας
μητρί τ' ὀρείᾳ δᾷδας ἀνασχών,
καὶ Κουρήτων
βάκχος ἐκλήθην ὁσιωθείς.
δ΄. πάλλευκα δ' ἔχων εἵματα, φεύγω
γένεσίν τε βροτῶν, καὶ νεκροθήκης
οὐ χριμπτόμενος, τήν τ' ἐμψύχων
βρῶσιν ἐδεστῶν πεφύλαγμαι.

Non potuit Pasiphaes stuprum, hominum nemine praeter Daedalum Icarumque conscio, facile sine deorum oraculis coargui. Atqui Iovem de monstroso partu ab his mystis, iubente sine dubio Minoe, consultum esse haud obscure significat alterum chori fragmentum, quod, ex incertis revocatum, huic tragoediae asserendum esse vidit Welckerus p. 802. Cf. Matth. n. 155. p. 402.

α΄. σοὶ τῷ πάντων μεδέοντι χοὴν ***)
πέλανόν τε φέρω, Ζεὺς εἴτ' Ἀΐδης
ὀνομαζόμενος στέργεις· σὺ δέ μοι
θυσίαν ἄπυρον παγκαρπείας
δέξαι πλήρη προχυθεῖσαν.

---

*) Codd. ταυροδέτῳ κρηθεῖσ' et τορολέτῳ κολληθείς. Participium κρηθεῖσ' sive κολληθείς plerique criticorum abiiciendum esse censuerunt; reliquas eorum coniecturas refert Matth. p. 136. Suidas: τόρνος ξύλον στρογγύλον, ἢ τὸ τρῆμα καὶ τὸ ἐνιέμενον εἰς αὐτό.

**) Codd. βιοτάς et βροντάς.

***) Bergk. coni. χλόην, quod significet eandem rem, quam θυσία παγκαρπίας.

β'. σὺ γὰρ ἔν τε θεοῖς τοῖς οὐρανίδαις
σκῆπτρον τὸ Διὸς μεταχειρίζων
χθονίων θ' Ἅιδῃ μετέχεις ἀρχῆς
— — — — —
γ'. πέμψον μὲν φῶς ψυχαῖς ἀνέρων *)
τοῖς βουλομένοις ἄθλους προμαθεῖν,
πόθεν ἔβλαστον, τίς ῥίζα κακῶν,
τίνα δεῖ μακάρων ἐκθυσαμένους
εὑρεῖν μόχθων ἀνάπαυλαν;

Postremis versibus et quae caussa sit prodigii et quomodo averruncari possit, aperte quaeritur. Et caussa quidem ex signis divinitus missis sive ominibus divinari potuit; expiatio sceleris eadem ratione reperiebatur. Responsum vatum quale fuerit, coniectura suspicari licet. Et puerpera enim et partus eius conferendi fuerunt eum in locum, ubi neque coelum neque terrae superficiem, quae est sedes deorum, neque fontium liquores, neque maris undas polluerent. Itaque labyrintho inclusi ad inferos detrudebantur. Pasiphae quin caussam coram spectatoribus dixerit, vix dubito; lamentis eandem, cum ad supplicium duceretur, poenitentiam pudoremque significasse, nec non etiam deorum fraudem accusasse, plane mihi necesse esse videtur. Haec fuit illa cretica monodia, quam notavit Aristophanes.

His peractis a choro cantata esse suspicor physica illa ex Anaxagorae doctrina delibata, quorum reliquias habemus in fragm. 174. 177. et 209. Matth. (n. 120. p. 126. Dindorf.):

Αἰθέρα καὶ Γαῖαν πάντων γενέτειραν ἀείδω
— — — — — — —
πυριγενὴς δὲ δράκων ὁδὸν ἡγεῖται τετραμόρφοις
ὥραις, ζευγνὺς ἁρμονίᾳ πολύκαρπον ὄχημα
— — — — — — —
γλαυκῶπις στρέφεται μήνη — —

De Pasiphaes morte, quam labyrinthum intrans sibi conscivisse videtur, fusius exponi non utique necesse fuit. Sequebatur deinde ea pars dramatis, qua Daedali Icarique

*) Vulgo ψυχᾶς, codd. ψυχάς.

res agebatur. Atque ille quidem Cretensibus ad arma vocatis, impetuque in regiam facto, tyrannum, opibus militibusque munitissimum, de potentiae fastigio praecipitare conabatur. Aut enim integra aut levissime mutata *) reddidit Aristophanes illa in Ranis v. 1356 seqq.:

ἀλλ' ὦ Κρῆτες, Ἴδας τέκνα,
τὰ τόξα λαβόντες ἐπαμύνατε,
τὰ κῶλά τ' ἀμπάλλετε,
κυκλούμενοι τὴν οἰκίαν·
ἅμα δὲ Δίκτυννα παῖς
Ἄρτεμις καλὰ
τὰς κυνίσκας ἔχουσ' ἐλθέτω
διὰ δόμων πανταχῇ·
σὺ δ', ὦ Διός, διαπύρους ἀνέχουσα
λαμπάδας ὀξυτάταιν χει-
ροῖν, Ἑκάτα, παράφηνον.

Sed multo ante, quam Daedalus hanc pugnam iniret, in qua occisus est, Icarum volando salutem petisse necesse est. Cf. Ovid. Met. VIII, 185:

— — „*Terras licet, inquit, et undas*
Obstruat, at coelum certe patet: ibimus illac.
Omnia possideat, non possidet aera Minos".

Videtur Ovidius etiam admonitionem patris imitatus esse in hisce:

„*Instruit et natum: Medioque ut limite curras,*
Icare, ait, moneo, ne, si demissior ibis,
Unda gravet pennas, si celsior, ignis adurat.
— — *Pariter praecepta volandi*
Tradit et ignotas humeris accommodat alas.
Inter opus monitusque genae maduere seniles
Et patriae tremuere manus. Dedit oscula nato
Non iterum repetenda suo" etc.

Icarum in mare decidisse constans est scriptorum testimonium. Non potest igitur monodia illa, quam comme-

*) Scholiastae nota: *ταῦτα δὲ παρὰ τὰ ἐκ Κρητῶν Εὐριπίδου*, depravata esse genuina Euripidis verba declarat. Eius tamen depravationis vestigia, praeter ridiculam appendicem: *ἐς Γλύκης, ὅπως ἂν εἰςελθοῦσα φωράσω*, deprendi nulla mihi posse videntur.

moravit schol. Aristophanis, post ruinam, fracto collisoque corpore, ab eo cantata esse, et verba ipsa (*θρασύτερον γὰρ τὸ πρόςωπον*) contrarium significant. Partem eius carminis exstare puto fragm. 154. Matth.:

χρύσεαι δή μοι πτέρυγες περὶ νώτῳ
καὶ τὰ Σειρήνων ἐρόεντα πέδιλα
ἁρμόζεται,
βάσομαί τ' ἐς αἰθέρα πολὺν ἀερθείς,
Ζηνὶ προςμίξων.

Deorum ira Icarum praecipitatum esse schol. Hec. v. 821. ostendit: *φασὶ γὰρ ἀμυνόμενον τὸν Ἥλιον Δαίδαλον, ὡς πεποιηκότα τὴν θυγατέρα αὐτοῦ Πασιφάην, ἐρασθεῖσαν ταύρου, μιγῆναι αὐτῷ, ἐπεὶ τότε πετόμενον εἶδε τὸν αὐτοῦ υἱὸν Ἴκαρον ἐκ κηροῦ πτεροῖς χρώμενον, σφοδρῶς ἐμπεσεῖν τοῖς πτεροῖς καὶ διαλυθῆναι ταῦτα παρασκευάσαι.* Adde Nicephorum in progymn. (Rhet. gr. I. p. 435.).

Corpus defuncti per nautam aliquem sive piscatorem, qui et volantem et decidentem spectasset, in scenam reportari potuit:

„*Hos aliquis, tremula dum captat arundine pisces,*
Aut pastor baculo stivave innixus arator
Vidit et obstupuit, quique aethera carpere possent,
Credidit esse deos".

Eiusdem fuit, quomodo res gesta esset, Daedalo enarrare:

„*Quum puer audaci coepit gaudere volatu,*
— — *coelique cupidine tactus*
Altius egit iter. Rapidi vicinia Solis
Mollit odoratas, pennarum vincula, ceras.
Tabuerant cerae: nudos quatit ille lacertos,
Remigioque carens non ullas percipit auras.
Oraque caerulea, patrium clamantia nomen,
Excipiuntur aqua, quae nomen traxit ab illo".

Hanc narrationem excipiebant patris lamenta:

„*Devovitque suas artes corpusque sepulcro*
Condidit; et tellus ab nomine dicta sepulti".

Fragmentum narrationis deprendisse mihi videor in iis,

quae Plutarchus ἐρωτ. p. 750. B. et garrul. p. 507. servavit:

— λαιψηρὰ κυκλώσας πτερά.

In fine dramatis Solem prodisse, qui et de caussis factorum doceret, et honores quosdam defunctorum instituí iuberet, et de Minotauro alendo nota illa praeciperet, ex scholio ad Hecubam scripto, quod supra posui, coniicio.

Non inelegantem hanc Euripidis tragoediam fuisse vel inde existimare licet, quod Aristophanes eam non tantum respexit frequentius, sed etiam imitatus est. Neque enim dubitandum est, quin in Daedalo, quum monstrosos Iovis cum Leda concubitus, illius artificis auxilio effectos, Ledamque ova pro infantibus parientem exhiberet, hanc tragoediam in risum detorserit. Cf. Bergk. fragm. Arist. p. 127 seqq. Rarius codices descriptos esse propter fastidium hominum, turpitudine facti Pasiphaes offensorum, consentaneum est: ita fiebat, ut mature multis in oblivionem abiret. Eruditorum favorem ei conciliare potuit Anaxagorae doctrina, in qua multum fuisse explananda chorum mystarum optimo iure suspicatus est Matthiaeus. Multa enim inerant, quae ad reconditiora cogitata cum vulgo communicanda invitarent: cuius generis erant Daedali ars naturam superans, Icari audacia, Pasiphaes concubitus partusque monstrosus, Minois ingenium insolens, denique mystarum ipsorum studium in numinis divini mentem animumque intrare cupientium. Haec autem ratio, etiamsi non iam in Pace Aristophanis ad hoc drama respici viderem, sola mihi sufficeret, ut illud primis statim temporibus, postquam fabulas docere coeperit Euripides, in scenam delatum esse statuerem. Nam prioribus temporibus magis eas rationes, quae ad rerum naturam cognoscendam pertinerent, secutum esse Euripidem, posterioribus, flagrante bello Peloponnesiaco hominumque studia trahente, magis rerum publicarum administrationem respexisse mihi persuadeo.

Sunt autem, ex quibus ii, qui speciem dumtaxat rerum, quae aguntur, intuentur simulque Euripidem, aetate provectiorem, deficientibus viribus, dedidicisse quae antea

rectius perspecta habuerit, opinantur, extremis temporibus hanc fabulam assignandam esse concludere possint. Duas enim continet actiones, quas idcirco conglutinari, ut iustam longitudinem accipiat tragoedia, affirmare isti quidem non erubescunt. Qui miror quod istam duarum vel plurium actionum copulationem non in plerisque eiusdem poetae operibus detexerunt: quod quo minus fieret, certe non fabularum natura, sed ipsorum ingenia hebetiora impediverunt. Scilicet unius praecipue personae salutem versari in discrimine debere sibi persuaserunt, eaque ubi in fine dramatis decernatur, recte se rem habere putant, neque iis, quae insunt reliqua, quamvis sint saepissime non minoris momenti, offenduntur. Contra ubi alia decernuntur aliis pendentibus, damnant et legem illam

„*denique sit quidvis simplex dumtaxat et unum*"

laesam esse queruntur. In aliis rebus praeter facta personasque simplicitatem operis quaerendam esse negant propterea, quod, qua sunt obtusa mentis acie, talia videre ipsi nequeunt.

Non minori audacia, quam Daedalus Icarusque, Euripides ipse usus est, tales res theatro spectandas exhibens, quo in conatu eum non turpiter lapsum esse pro certo affirmare licet: neque enim vel Aristophanes vel reliqui scriptores de tanta ruina, si facta esset, tacerent.

B. Menalippa philosopha.

Argumentum dramatis retulerunt Dionysius Hal. Rhet. VIII, 10. et IX, 11., cuius verba transscripsit Welckerus p. 840 seq., et Gregorius Corinthius, a quo in Rhet. gr. T. VII. p. 1313. scripta inveniuntur haecce: *ἡ δὲ τῆς σοφῆς Μελανίππης αὕτη ἱστορία· Ἕλληνος τοῦ Διὸς Αἴολος τεκνωθεὶς ἐκ μὲν τῆς Εὐρυδίκης ἐγέννησε Κρήτην* (scribe *Κρηθέα*) *καὶ Σαλμωνέα καὶ Σίσυφον, ἐκ δὲ τῆς Χείρωνος θυγατρὸς Ἵππης κάλλει διαφέρουσαν Μελανίππην. Αὐτὸς μὲν οὖν, φόνον ποιήσας, ἐπ' ἐνιαυτὸν ἀπῆλθε φυγάς, τὴν δὲ Μελανίππην Ποσειδῶν διδύμων*

παίδων ἔγκυον ἐποίησεν. Ἡ δὲ διὰ τὴν τοῦ πατρὸς προςδοκίαν τοὺς γεννηθέντας εἰς βούστασιν ἔδωκε τῇ τροφῷ θεῖναι κατὰ τὴν ἐντολὴν τοῦ κατασπείραντος. Ὑπὸ δὲ τὴν κάθοδον τοῦ δυνάστου τὰ βρέφη τινὲς τῶν βουκόλων, φυλαττόμενα μὲν ὑπὸ τοῦ ταύρου θηλαζόμενα δὲ ὑπὸ μιᾶς τῶν βοῶν ἰδόντες, ὡς βουγενῆ τέρατα τῷ βασιλεῖ προςήνεγκον. Ὁ δέ, τῇ τοῦ πατρὸς Ἕλληνος γνώμῃ πεισθείς, ὁλοκαυτοῦν τὰ βρέφη κρίνας, Μελανίππῃ τῇ θυγατρὶ προςέταξεν ἐνταφίοις αὐτὰ κοσμῆσαι. Ἡ δὲ καὶ τὸν κόσμον αὐτοῖς ἐπέθηκε καὶ τὸν λόγον εἰς παραίτησιν ἐξέθηκε φιλότιμον. Latinum fecerat idem drama Ennius, liberioris, puto, philosophiae praeceptis, quibus erat insigne, invitatus.

Prooemium a Menalippa ipsa dictum esse Gregorius testatur, idemque initium transscripsit: *ἐν δὲ τῇ Μελανίππῃ παρειςάγει ταύτην προοιμιαζομένην·*

Ζεύς, ὡς λέλεκται τῆς ἀληθείας ὕπο,
Ἕλλην' ἔτικτε.

Secus scriptum fuisse, cum fabula primum doceretur, Lucianus in Iove trag. c. 41., Plutarchus T. II. p. 756. B. C., Athenag. p. 23., Iustin. M. p. 41. E. testantur. Sic enim se verba primitus habuisse:

Ζεύς, ὅςτις ὁ Ζεύς· οὐ γὰρ οἶδα, πλὴν λόγῳ
κλύων —

sed, reclamante theatro, postmodum ab auctore mutata esse (*ὡς ἐθορυβήθη, ἤλλαξε τὸν στίχον, ὡς νῦν γέγραπται*). Opinionibus fabulisque niti quaecunque de deorum natura tradantur, non solum hoc prooemii initio Euripides significat, sed etiam gravissimis argumentis et subtilissima disputatione Menalippae confirmari voluit. Idem quasi secure referendo Iovis nepotem esse Aeolum, a quo compressam Thetin sive Hipponem esse et partu edidisse Menalippam, hanc denique a Neptuno stupratam de geminorum liberorum partu iam sollicitam esse, haec atque alia, quibus deorum corpora certaeque formae esse ponuntur, simpliciter docendo non secum ipse pugnare, sed dedita opera philosophorum sententias vulgique opiniones, inter se contrarias, consociare videtur. Talia enim prooemio exposita fuisse et fragmenta et Hygini narratio ostendit, quae haec

est (Astron. II, 18.): „Euripides autem in Menalippa ipsam Hippen *), Chironis Centauri filiam, Thetin antea appellatam, dicit: quae cum aleretur in monte Pelio et studium in venando maximum haberet, quodam tempore ab Aeolo, Hellenis filio, Iovis nepote, persuasam concepisse, cumque iam partus appropinquaret, profugisse in silvam, ne patri, cum virginem speraret, nepotem procreasse videretur. Itaque cum parens eam persequeretur, dicitur petisse a deorum potestate, ne pariens a patre conspiceretur. Qua deorum voluntate, postquam peperit, in equam conversa inter astra est constituta. Nonnulli eam vatem dixerunt esse." Eadem habentur in Eratosthenis catasterismi c. 18., cuius verba Matthiaeus posuit p. 214. fragm. IV. Et in prooemio quidem simpliciter Menalippa se ex Centauri filia natam esse commemoravit; reliqua, quae Hygini Eratosthenisque narrationi insunt, in epilogo ab Hippa ipsa, quum servandorum nepotum caussa se interponeret, exposita esse planum est. Quod autem Hippen pro vate a nonnullis habitam esse dicit Hyginus, ex Euripide ipso petitum est, teste Clemente Alex. Strom. I. p. 306. B: *Ἱππὼ δέ, ἡ θυγάτηρ τοῦ Κενταύρου, συνοικήσασα Αἰόλῳ ἐδιδάξατο αὐτὸν τὴν φυσικὴν θεωρίαν, τὴν πάτριον ἐπιστήμην· μαρτυρεῖ δὲ Εὐριπίδης περὶ τῆς Ἱπποῦς ὧδέ πως·*

ἣ πρῶτα μὲν τὰ θεῖα προὐμαντεύσατο
χρησμοῖσι σαφέσιν ἀστέρων ἐπ' ἀντολαῖς.

In rerum igitur naturalium coelestiumque cognitione nitebatur Hipponis divinatio, multum illa quidem diversa ab augurum, haruspicum aliorumque eius generis interpretum arte, et Thaletis Anaxagoraeque eruditioni similior. Ex-

---

*) Vulgo Menalippen, idemque vitium inest schol. Germanici v. 206: „Euripides dicit Menalippen Chironis filiam esse, quae, compressa, gravida profugit in Pelion montem, et, dum a patre comprehendi timeret, deorum misericordia conversa in equam, ad astra conscendit," et Eudociae verbis p. 338. idem narrantis. Cf. Welck. p. 849. Contra apud Pollucem IV, 19, 207. 27. recte scriptum est in codd.: *Ἵππη ἡ Χείρωνος ὑπαλλαττομένη εἰς ἵππον παρ' Εὐριπίδῃ.* Vide Seberi notam p. 63.

plicatis natalibus, ad ostendendum infortunium suum pergendum fuit Menalippae, quo loco quum vim sibi a Neptuno factam esse quereretur, pulcritudinis formae eam poenituit:

— — *οὐ γάρ ἐστιν ἀσφαλὲς*
περαιτέρω τὸ κάλλος ἢ μέσως λαβεῖν,

fragm. inc. 168., quod huc pertinere ex Ennii imitatione intelligitur, de qua haec refert Gellius V, 11. 12: „Qualis forma a Q. Ennio in Menalippa perquam eleganti vocabulo stata dicitur, quae neque *κοινὴ* futura sit neque *ποινή*, quam formam modicam et modestam Favorinus non mehercule inscite appellat uxoriam. Ennius autem in ista, quam dixi, tragoedia *eas fere feminas* ait *incolumi pudicitia esse, quae stata forma forent.*"

Reliqua pars prologi colloquio conficiebatur Menalippae atque nutricis, id quod ostenditur Gregorii verbis: *ἡ δὲ διὰ τὴν τοῦ πατρὸς προςδοκίαν τοὺς γεννηθέντας εἰς βούστασιν ἔδωκε τῇ τροφῷ θεῖναι κατὰ τὴν ἐντολὴν τοῦ κατασπείραντος.* Et in patris quidem Aeoli bovili expositos esse infantes docet Dionysius IX, 11: *ἐξέθηκε δ' αὐτὰ εἰς τὰ τοῦ πατρὸς βουφόρβια.* Mandatum Neptuni eo statim tempore, quo cum virgine concubuit, editum esse putandum est. Dies autem, quo redire Aeolo licebat, definitus erat idem, quo priori anno ex patria abierat: erat igitur is ipse dies, quo haec agebantur. Hunc diem festum fuisse universae civitati arbitror, et coisse ad eum celebrandum atque ipsum regem laetis ominibus faustisque precationibus excipiendum partem civium, qui chori munere fungerentur: qui quum obviam Aeolo processuri ad regiam convenirent, parodi cantandae dabatur opportunitas.

Statim deinde Aeolus cum comitibus in scenam prodiit, gratulante choro, et quum laetus domum deosque patrios receptos adspexisset, a filia quoque, quamvis anxia, salutatus est. Interim famuli regis, quum equos in stabula reducerent, vaccam conspexerunt infantibus ubera praebentem et taurum eosdem custodientem servantemque, ne grex boum obtereret *), unde illos ex his animalibus

*) Varro R. R. II, 5. 5: Novi, inquit ille, maiestatem boum — praeterea scio hunc esse, in quem potissimum Iuppiter se

natos esse rati attonitique miraculo ad regem redeunt, monstra, quae putant (τέρατα βουγενῆ), secum afferentes, simulque unus ex iis quae viderunt exponit. Quo portento in ipso reditu introituque sibi oblato rex vehementissime commotus, Hellenem, patrem suum grandaevum, arcessiri iubet, de re mira consulturus. Dum arcessitur senex, Aeolo ad penates salutandos in domum ingresso, chorus alter interponi potuit.

Prodit Hellen, senex decrepitus, de senectutis imbecillitate et molestia lamentans:

τί δ' ἄλλο; φωνὴ καὶ σκιὰ γέρων ἀνήρ.

Re, qualis accidisset, ex filii narratione cognita, statim prodigium esse et expiari debere certus est:

„*Certo hic est dubium nullum, quin monstrum siet:*
Hoc ego tibi dico et coniectura auguro."

Aeolo tamen, formam parvulorum et vigorem et robur consideranti, non statim persuadetur illos pro monstris necandos esse, potius beneficio propitiorum deorum editos esse, qui adulti rerum gestarum splendore regnum augeant, opinatur:

„*Regnumque nostrum sospitent superstitentque.*"

Haec dicta stultitiae arguit Hellen:

παπαί· νέος καὶ σκαιὸς οἷός ἐστ' ἀνήρ.

multaque proferendo, quibus prodigiorum fides confirmaretur — quorum in numero Ennius etiam Navii auguris factum posuit saxum novacula scindentis:

„*Cum saxum sciciderit,*" —

tandem Aeolo, quamvis meliora docto, persuadet, igni avertendorum malorum caussa parvulos cremandos esse censens*):

---

converterit — hunc esse, qui filios Neptuni e Menalippa servarit, ne in stabulo infantes grex boum obtereret. Gregorius l. l.: φυλαττόμενα μὲν ὑπὸ τοῦ ταύρου, θηλαζόμενα δὲ ὑπὸ μιᾶς τῶν βοῶν.

*) Cf. Gregorii verba, quae supra posuimus. Minus accurate Dionysius VIII, 10: ὁ δὲ πατὴρ οἰόμενος εἶναι τοῦτο τέρας γνώμην ποιεῖται κατακαῦσαι τὰ παιδία. Idem IX, 10: ὁ δὲ πατὴρ ἡγεῖται ἐκ βοὸς εἶναι καὶ ὡς τέρας βούλεται κατακαῦσαι.

„*Mi ausculta, nate, pueros cremari iube.*"
Inde Menalippa arcessitur, quae vestibus funereis ornatos parvulos ad rogum paret componatque. Ibi illa ad refutandam patris sententiam orationem illam habuit celeberrimam *), cuius initium quidem, paullo secus dictum, reddidit Aristophanes Lysistr. 1124:

ἐγὼ γυνὴ μέν εἰμι, νοῦς δ' ἔνεστί μοι,
αὐτὴ δ' ἐμαυτῆς οὐ κακῶς γνώμης ἔχω **),
τοὺς δ' ἐκ πατρός τε καὶ γεραιτέρων λόγους
πολλοὺς ἀκούσασ' οὐ μεμούσωμαι κακῶς.

Matris (non patris) institutione se eruditam esse dixerat Menalippa ***), unde litteris mandatam fuisse illius philosophiam apparet. Insecuta enim sunt haecce:

κοὐκ ἐμὸς ὁ μῦθος, ἀλλ' ἐμῆς μητρὸς πάρα,
ὡς οὐρανός τε γαῖά τ' ἦν μορφὴ μία,
ἐπεὶ δ' ἐχωρίσθησαν ἀλλήλων δίχα,
τίκτουσι πάντα κἀνέδωκαν εἰς φάος,
δένδρη, πετεινά, θῆρας, οὕς θ' ἅλμη τρέφει,
γένος τε θνητῶν.

En meram Anaxagorae sapientiam ****). Cum his Ennii fragmenta conspirare videntur, quae ap. Varron. L. L. VII, 47. (p. 74.) et V, 19. (p. 9.) inveniuntur†):

„*Quaeque caeruleo freto orta nare coepta*"
— — — — — — —
„*Coeli ingentes fornices.*"

An huc referendi sint versus, quos Cic. Tusc. I, 28, 69. servavit, dubito:

---

*) Dionysius l. l.: *βοηθοῦσα αὐτὴ ἡ Μελανίππη ἀποφαίνεσθαι πειρᾶται, ὅτι τέρας οὐδέν ἐστιν.* Adde Gregorii verba, quae supra posuimus.

**) Schol. ed. Oxon.: *ὁ στίχος ἐκ σοφῆς Μελανίππης Εὐριπίδου.* Cf. Welck. p. 1603.

***) Dionysius IX, 11: *ἡ Μελανίππη Σοφή, τὸ δρᾶμα Εὐριπίδου, ἐπιγέγραπται μὲν σοφή, ὅτι φιλοσοφεῖ, καὶ διὰ τοῦτο τοιαύτης μητρός ἐστιν, ἵνα μὴ ἀπίθανος ᾖ ἡ φιλοσοφία.*

****) Dionysius l. l.: *Ἀναξαγόρᾳ προσεφοίτησεν Εὐριπίδης· Ἀναξαγόρου δὲ λόγος ἐστὶν, ὅτι πάντα ἐν πᾶσιν ἦν, εἶτα ὕστερον διεκρίθη. — Ὁμολογεῖ οὖν τὴν διδασκαλίαν τὴν ἀρχαίαν διὰ τῆς Μελανίππης.* Cf. Valck. diatr. p. 49.

†) Fragm. inc. 61. et 68.

„Coelum nitescere, arbores frondescere,
Vites laetificae pampinis pubescere,
Rami bacarum ubertate incurvescere,
Segetes largiri fruges, florere omnia,
Fontes scatere, herbis prata convestirier."

Manifesto autem huius disputationis sunt quae Porphyrius de abstin. III, 25. p. 135. (fragm. inc. 183.) servavit: συγγενὲς ἡμῖν τὸ τῶν λοιπῶν ζώων γένος· καὶ γὰρ τροφαὶ πᾶσαι αἱ αὐταὶ πᾶσιν αὐτοῖς καὶ πνεύματα, ὥς Εὐριπίδης, καὶ

— — φοινίους ἔχει ῥοὰς
τὰ ζῶα πάντα

καὶ κοινοὺς ἁπάντων δείκνυσι γονεῖς, Οὐρανὸν καὶ Γῆν. Facile intellectu est, quo haec oratio pertinuerit. Negavit enim Menalippa prodigium esse, si quid miri natum esset, quod a vulgari usu et consuetudine abhorreret*). Tum, ulterius progressa, docuit deum corpore humano praeditum certoque loco degentem nullum esse:

ποῖος δ' ἂν οἶκος, τεκτόνων πλασθεὶς ὕπο,
δέμας τὸ θεῖον περιβάλοι τοίχων πτυχαῖς;**)

Falli igitur qui, deos hominum similes esse fingentes, singula ab iis hominum peccata notari et ostentis, quae velint, portendi opinarentur:

δοκεῖτε πηδᾶν τἀδικήματ' εἰς θεοὺς
πτεροῖσι, κἄπειτ' ἐν Διὸς δέλτου πτυχαῖς
γράφειν τιν' αὐτά, Ζῆνα δ' εἰσορῶντά νιν
θνητοῖς δικάζειν; οὐδ' ὁ πᾶς ἂν οὐρανός,
Διὸς γράφοντος τὰς βροτῶν ἁμαρτίας,
ἐξαρκέσειεν, οὐδ' ἐκεῖνος ἂν σκοπῶν
πέμπειν ἑκάστῳ ζημίαν· ἀλλ' ἡ Δίκη
ἐνταῦθά πού 'στιν ἐγγύς, εἰ βούλεσθ' ὁρᾶν.

Quaerenti deinde Aeolo:

θεὸν δὲ ποῖον, εἰπέ μοι, νοητέον;

haec respondit:

---

*) Dionys. IX, 11: ἀποφαίνεσθαι πειρᾶται, ὅτι τέρας οὐδέν ἐστιν.

**) Fragm. inc. 156.

τὸν πάνθ' ὁρῶντα καὐτὸν οὐχ ὁρώμενον).*

Neque tamen illi persuadetur, quippe impatienti disciplinae eius, qua deorum cultum et religionem et sanctitatem omnem e vita hominum tolli necesse sit. Quaerit enim ex virgine hoc:

„*Incuriosa ita es, Menalippa? reiicis*
Abs te religionem, scrupeam ponis?" **)

Tum vero Menalippa infantes ex bove natos esse negat: facilius enim fieri posse, ut locusta elephantem, quam ut vacca homines pariat:

— — — — „*At*
prius pariet locusta Lucam bovem" ***).

Denique apertius:

— — *εἰ δὲ παρθένος φθαρεῖσά τις*
τὰ παιδί' ἐξέθηκεν εἰς βουφόρβια,
φοβουμένη τὸν πατέρα, σύ γε δράσεις φόνον; ****)

Eventus huius disputationis qualis fuerit, non plane liquet. Perseverasse Aeolum in sententia sua inde colligo, quod nihilominus infantes feralibus vestibus a Menalippa ornatos esse refert Gregorius. Ad quas vestes parandas illam cum patre iam in domum redisse coniicio, locumque factum esse carmini, in quo canendo chorus immorari potuit inventis philosophorum, quae Menalippa exposuit. Quamobrem huc referre lubet fragm. inc. 153:

Ὄλβιος, ὅςτις τῆς ἱστορίας
ἔσχε μάθησιν, μήτε πολιτῶν
ἐπὶ πημοσύνῃ μήτ' εἰς ἀδίκους
πράξεις ὁρμῶν,

---

*) Fragm. dubia p. 450. Matth. Cf. Welck. p. 847.

**) Pro Acci verbis (qui Vinctam quidem, sed non Philosopham, Menalippam imitatus est) haec a Varrone L. L. VII, 66. p. 76. ponuntur. Erravit aut ipse aut scriba. Ceterum vulgo itaque pro ita et imponas pro ponis scribuntur.

***) Fragm. inc. 1. At scripsi pro atque.

****) Dionysius IX, 11: *περιερχομένη πάσας αἰτίας τοῦ σῶσαι τὰ παιδία, λέγει· εἰ δὲ παρθένος φθαρεῖσα ἐξέθηκε τὰ παιδία καὶ φοβουμένη τὸν πατέρα, σὺ φόνον δράσεις; ὥςτε καὶ τὸ αὐτῆς πρᾶγμα λέγει ἐν σχήματι συμβουλῆς.*

ἀλλ' ἀθανάτου καθορῶν φύσεως
κόσμον ἀγήρω, πῇ τε συνέστη
καὶ ὅπῃ καὶ ὅπως.
τοῖς δὲ τοιούτοις οὐδέποτ' αἰσχρῶν
ἔργων μελέτημα προσίζει.

Ex Ennianis autem fragmentis huc traho n. 5:

„*Lumine sic tremulo terra et cava coe-*
rula candent."

Rediit deinde Menalippa ex aedibus, suos liberos ad rogum compositura, qua in re multa ab ea dicta factaque esse, quibus misericordia moveretur, planum est. Et comparavit quidem liberos cum hortis Adonidis (κῆποι Ἀδώνιδος), quorum flores nati, necdum adulti, statim intereant *). Ad eiusdem lamenta refero verba: ἀγρίοις κατακαῦσαι ξύλοις **). Interim Aeolus sive inquirendo sive aliquo casu de filiae stupro cognovit. Nec alienum est a Menalippae ingenio statuere, illam, cum suam salutem vitae liberorum postponeret, vel veniam delicto, quod invita commisisset, a patre impetratum iri speraret, ipsam se infantium matrem esse aperuisse. Quam confessionem quum iureiurando confirmaret, usa est famosa illa formula:

ὄμνυμι δ' ἱερὸν αἰθέρ', οἴκησιν Διός.

Sed pater, morum sanctitatem tueri primum esse censens, infantes quidem exponere, filiam autem, oculis erutis, vivam in murum includere constituit:

τίσασθε τήνδε· καὶ γὰρ ἐντεῦθεν νοσεῖ
τὰ τῶν γυναικῶν· οἱ μὲν ἢ παίδων πέρι
ἢ συγγενείας οὕνεκ' οὐκ ἀπώλεσαν,
κακὴν λαβόντες, εἶτα δ' οὕτω τἄδικον
πολλαῖς ὑπεῤῥύηκε καὶ χωρεῖ πρόσω,
ὥστ' ἐξίτηλος ἀρετὴ καθίσταται.

---

*) Schol. Plat. p. 68. ed. Ruhnk.: Ἀδώνιδος κῆποι ἐπὶ τῶν ἀώρων καὶ ὀλιγοχρονίων καὶ μὴ ἐῤῥιζωμένων. Ἐμνήσθη δὲ αὐτῶν καὶ Εὐριπίδης Μελανίππῃ καὶ ἐνταῦθα Πλάτων.

**) Phrynichus in Bekk. Anecd. gr. p. 10: ἀγρίοις κατακαῦσαι ξύλοις· τὰ τερατώδη τὴν φύσιν ἐπ' ἀγρίοις ἔκαιον ξύλοις. Cf. Welck. p. 843. not. 4.

Dum parantur quae iubet rex, quartum carmen a choro cantatur, cuius pars videtur haec fuisse:

δικαιοσύνης
τηλαυγὲς χρυσοῦν πρόςωπον *).

Actus postremus conficiebatur partim lamentis virginis, cum ad supplicium duceretur, accinente choro, partim oratione Hipponis, quae, de coelo descendens, infantes quidem deorum providentia servatum iri praedixit, virginem autem statim e vinculis liberasse videtur. Capite equino praeditam Hipponem in scenam prodisse Pollux, de personis tragicis disserens, ostendit (IV, 19. p. 207, 27. Seb.). Et primum quidem, quae esset et quomodo mutata forma a terra abisset et in coelum sublata esset, docuisse videtur, tum ea aperuisse, quorum caussa venerat. Boeotum alterum ex filiis nominari iussit et Boeotiam ab illo nomen accepturam esse praedixit:

τὸν ἀμφὶ βοῦν ῥιφέντα Βοιωτὸν καλεῖν,

quibus adde quae schol. ad Phoen. v. 1134. notavit: τινὲς δέ φασι τὰς ἑβδόμας πύλας Βοιωτίας καλεῖσθαι ἀπὸ Βοιωτοῦ τοῦ Ποσειδῶνος καὶ τῆς σοφῆς Μεναλίππης, ἀφ' οὗ πᾶσα ἡ Βοιωτία ἐκλήθη.

Virginis deinde delictum excusans, haec de feminarum conditione dicere potuit:

ἄλγιστόν ἐστι θῆλυ μισηθὲν γένος·
αἱ γὰρ σφαλεῖσαι ταῖσιν οὐκ ἐσφαλμέναις
αἶσχος γυναιξί, καὶ κεκοίνωνται ψόγον
ταῖς οὐ κακαῖσιν αἱ κακαί· τὰ δ' εἰς γάμους
οὐδὲν δοκοῦσιν ὑγιὲς ἀνδράσιν φρονεῖν.

— — — — — —

τῆς μὲν κακῆς κάκιον οὐδὲν γίγνεται
γυναικός, ἐσθλῆς δ' οὐδὲν εἰς ὑπερβολὴν
πέφυκ' ἄμεινον· διαφέρουσι δ' αἱ φύσεις**).

Dignum est, quod in medium proferatur, quod de Menalippae disputatione iudicium fecit Dionysius, qui quo loco de

*) Welck. p. 848.

**) Haec imitatus esse videtur Aristophanes Thesm. 531:
ἀλλ' οὐ γάρ ἐστι τῶν ἀναισχύντων φύσει γυναικῶν
οὐδὲν κάκιον εἰς ἅπαντα, πλὴν ἄρ' ἢ γυναῖκες.

figurata oratione exponit: „Etiam Euripides," inquit, „per totum drama figurata oratione utitur, Menalippam dico sapientem, quae hoc cognomine appellatur ideo, quod philosophatur, atque etiam matre philosopha nata esse fingitur, quo facilius eruditio eius probetur. Duplex autem figura est, altera ipsius poetae, altera eius, quam inducit, personae. Anaxagorae enim auditor fuit Euripides, cuius placitum fuit hoc: promiscuas fuisse res omnes, antequam accedente mente componerentur. Postea Socrate quoque familiariter usus est et ad probabilitatem flexit rationem philosophandi. Sed priorem quoque disciplinam, ut mihi quidem videtur, dignam habuit, quam profiteretur celebraretque in fabulis, itaque placitum Anaxagorae in Menalippa exposuit, cuius orationis principium gratam doctoris memoriam ostendit, dicente Menalippa:

οὐκ ἐμὸς ὁ μῦθος, ἀλλ' ἐμῆς μητρὸς πάρα κτλ.

Et haec quidem poetae propria est figura, Menalippae autem haec est. Patre infantes tanquam portenta interficere volente, illa, servare studens parvulos ex se natos, nullum prodigium esse defendit: itaque figurata utens admonitione suam ipsius caussam agit. Sic universum drama figuratum est, simulque nos docet Euripides debere eum, qui figura utatur, salva figura proxime abesse ab ea solvenda: persecuta enim omnes servandi caussas postremo dicit:

εἰ δὲ παρθένος κτλ.,

ut suam ipsius caussam prodat figurata utens deliberatione."

Verissime Dionysius sub Menalippae persona Euripidem, sub Hipponis Anaxagoram latere monuit. Atque illius non solum doctrina, sed etiam dicendi facultas plena artificiorum, quamvis a matre divina accepta esse fingatur, tamen parum naturae virginis convenire videtur et vituperata est ab Aristotele poet. c. 15. (τοῦ δὲ ἀπρεποῦς καὶ μὴ ἁρμόττοντος παράδειγμα ἡ τῆς Μελανίππης ῥῆσις). Saepissime noster suam personam cum scenicis personis miscendo has doctiores, virtutis amantiores, perfectiores, quam par erat vel veritatis ratio pati videbatur, effinxit et in hac sola re poetae officia studio philosophi postposuit. Eo redeunt quaecunque Aristoteles in Euripidis scriptis reprehendit.

Quod necessitate coacta, suamque agens caussam, philosophorum placita Menalippa exponit, quodque, quum doceantur spectatores, simul exspectatione suspenduntur, vere poeticum est. Nec minus reliquae dramatis partes movendis delectandisque hominibus idoneae fuerunt, ut theatris aeque atque eruditis haec fabula grata esset, id quod ex Cic. Off. I, 31, 11. intelligitur, quo loco Menalippam dicit ab iis scenicis agi solere, qui gestu potissimum freti sint. Hoc pertinere videtur ad eum actum, quo suos illi liberos ad rogum componenti magis gestibus, quam verbis, dolorem exprimere licuit. A Nerone quoque Menalippam saepius actam esse ostendit Iuven. III, 8, 228. Ad disputationes philosophicas respexerunt Plato Symp. p. 177. A, Diod. Sic. T. I. p. 11. c. 7., Erotianus, Clemens Alex. aliique, quos supra nominavimus. Risit easdem Aristoph. Thesm. 14 seqq. 272., Ran. 100. 1244., Lysistr. 1124 seqq.

C. Cadmus.

Cadmi fata extrema interitumque, quo in anguem mutatus est, tragoedia aliqua celebrata fuisse ex Horatii verbis in Art. poet. v. 185. colligi potuit:

„*Ne pueros coram populo Medea trucidet,*
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus,
Aut in avem Progne vertatur, Cadmus in anguem."

Euripidem eius tragoediae auctorem fuisse ex versibus duobus, quos tanquam Euripideos Hermogenes servavit, apparet *):

οἴ μοι· δράκων μου γίγνεται τό γ' ἥμισυ·
τέκνον, περιπλάκηθι τῷ λοιπῷ πατρί.

Nominatim autem Cadmum Euripidis tragoediam fuisse solus Probus ad Virg. Ecl. VI, 31. testatur. Fabulam Cadmi plures scriptores respexerunt vel commemorarunt **),

---

*) Rhet. gr. III. p. 180. Cecropem a scholiasta cum Cadmo confusum esse vidit Walzius.

**) Cf. Welck. p. 810.

quorum duo, Hyginus atque Apollodorus, quamvis inter se discrepantia referant, tamen unum Euripidem auctorem habuisse videntur. Et Apollodori quidem haec est narratio: „Cadmus cum Harmonia Thebis relictis ad Encheleenses commigravit*). Quibus, cum ab Illyriis bello premerentur, deus respondit eos superiores fore, si Cadmum Harmoniamque duces haberent. Qui obedientes duces hos adversus Illyrios constituunt vincuntque hostes**). Itaque Cadmus Illyriorum regnum tenuit, et filius ei natus est Illyrius***). Deinde cum Harmonia in draconem mutatus atque in campum Elysium a Iove missus est." Hyginus autem c. 184. haec posuit: „Pentheus, Echionis et Agaves filius, Liberum negavit deum esse, nec mysteria eius accipere voluit. Ob hoc eum Agave mater cum sororibus Ino et Autonoe per insaniam a Libero obiectam membratim laniavit. Agave, ut suae mentis compos facta est et vidit se Liberi impulsu tantum scelus admisisse, profugit ab Thebis atque errabunda in Illyriae fines devenit ad Licotersen regem, quam Licoterses excepit." Reliqua huius narrationis, quae manifesto ex Euripide depromta est, interciderunt. Verumtamen supplementa eorum, quae perierunt, inveniuntur in c. 240. et c. 6: „Agave Lycothersen in Illyria (coniugem suum occidit), ut regnum Cadmo patri daret." „Cadmus, Agenoris et Agrisopes filius, ira Martis, quod draconem, fontis Castalii custodem, occiderat, suorum prole interempta, cum Harmonia, Veneris et Martis filia, uxore sua, in Illyriae regionibus in dracones sunt conversi." Utriusque scriptoris narrationes

---

*) Paus. IX, 5, 1. p. 719: *Κάδμου δὲ ἐς Ἰλλυριοὺς καὶ Ἰλλυριῶν ἐς τοὺς καλουμένους Ἐγχελέας μετοικήσαντος, Πολύδωρος ὁ Κάδμου τὴν ἀρχὴν ἔσχε.*

**) Diod. XIX, 53: *ὅτε δὴ συνέβη καὶ τοὺς περὶ Κάδμον* (i. e. *τοὺς Ἐγχελεῖς*) *εἰς Ἰλλυριοὺς ἐκπεσεῖν.*

***) Strabo VII. p. 326. (226.): *ὧν ἐν τοῖς Ἐγχελίοις οἱ Κάδμου καὶ Ἁρμονίας ἀπόγονοι ἦρχον, καὶ τὰ μυθευόμενα περὶ αὐτῶν ἐκεῖ δείκνυται.* Callimachus apud eundem I. p. 46. (31.):

οἱ μὲν ἐπ' Ἰλλυρικοῖο πόρου σχάσαντες ἐρετμὰ
λᾶα παρὰ ξανθῆς Ἁρμονίης ὄφιος κτλ.

miscendo argumentum dramatis restitui posse videtur. Post insignem igitur illam calamitatem, qua Cadmi domus Thebis eversa est, diversis viis errantes ex Boeotia aufugerunt et Cadmus cum uxore et Agave: quorum itinera dirigentibus diis, accidit, ut Agave ad Illyrios, Cadmus atque Harmonia ad Encheleenses deferrentur. Et Agaven quidem Lycotherses rex sibi matrimonio iunxit, Cadmus autem Encheleensium rex dei iussu creatus est. Cuius sub auspiciis quum Lycotherses ab Encheleensibus victus esset, Agave, agnito patre, tyrannum, cuius connubium invita toleraverat, occidit, quo facto Cadmus, utriusque populi regnum adeptus, felicitate usus est cum suis, donec corpora in draconum formas mutata, animae autem in beatorum insulam Iovis iussu delatae sunt. Videtur deus aliquis, a summo Iove ad Cadmum atque Harmoniam in campum Elysium perducendos missus, de animarum, quum corporum vinculis liberatae essent, vita docuisse, haec inter alia dicens *):

— — *οὐρανός θ' ἡμᾶς ὕπερ*
δίναισι φοιτῶν ἐστι δαιμόνων ἕδος·
τὸ δ' ἐν μέσῳ τοῦ τ' οὐρανοῦ τε καὶ χθονὸς
οἱ μὲν Χάος καλοῦσιν — — — —.

Potuit tamen, id quod his verbis melius convenit, etiam Agave, inspirante Baccho, praecepta quaedam barbaris arcana tradere. Necesse enim est hanc singulari aliqua virtute aut facultate admirationem hominum ferorum movisse, neque potuit femina errabunda ipsa per se ad regii connubii honorem eniti. Eidem igitur tribuo fragm. inc. 97:

μή μοι
λεπτῶν θίγγανε μύθων, ψυχή.
τί περισσὰ φρονεῖς, εἰ μὴ μέλλεις
σεμνύνεσθαι παρ' ὁμοίοις;

Inter rudes barbaros locum non esse reconditae sapientiae praeceptis intelligens, se a cogitatorum sublimitate ipsa

---

*) Cf. Helen. v. 1015:

ὁ νοῦς
τῶν κατθανόντων ζῇ μὲν οὔ, γνώμην δ' ἔχει
ἀθάνατον, εἰς ἀθάνατον αἰθέρ' ἐμπεσών.

revocat. Cum Lycotherse disputans haec dicere potuit (fragm. dub. 7.):

ἰὼ τυραννί, βαρβάρων ἀνδρῶν φίλη.

itemque fragm. inc. 20:

πότερα θέλεις σοι μαλθακὰ ψευδῆ λέγω,
ἢ σκλήρ' ἀληθῆ; φράζε· σὴ γὰρ ἡ κρίσις.

De compositione dramatis coniecturam proponere non audeo. In Illyriorum terra res omnes commode agi potuisse video. Proelio demum facto victoque Lycotherse, Cadmus in scenam prodire potuit et de iis, quae profugus e patria vel egerat vel perpessus erat, exponere. Parentum filiaeque mutua agnitio res plena laetitiae erat, sed malorum pristinorum recordatione temperatae. Formae commutationem non coram spectatoribus factam, sed per nuntium expositam esse, Horatius testatur. Lugente deinde Agave parentes, ad consolandam eam deque futuris docendam Bacchus descendere potuit.

Etsi Stobaeo nullum huius dramatis exemplar praesto fuisse videtur, tamen illud minime obscurum fuisse ex Horatii, Ovidii aliorumque, quos nominavimus, indiciis apparet. Ovidius enim in Metam. IV, 568 seqq. Euripidem imitatus est, id quod ex duobus versibus, qui servantur, cum his Ovidianis conspirantibus, apparet:

„Accede, o coniux, accede, miserrima, dixit,
Dumque aliquid superest de me, me tange, manumque
Accipe, dum manus est, dum non totum occupat anguis."

Quibus adde Lucan. III, 189:

„Encheliae versi testantes funera Cadmi."

Ad suum ipse Euripides opus respexit in Bacchis 1331 seqq.:

„ἐγὼ θ' ὁ τλήμων βαρβάρους ἀφίξομαι
γέρων μέτοικος· ἔτι δέ μοι τὸ θέσφατον
ἐς Ἑλλάδ' ἀγαγεῖν μιγάδα βάρβαρον στρατόν,
καὶ τὴν Ἄρεος παῖδ' Ἁρμονίαν, δάμαρτ' ἐμήν,
δράκων, δρακαίνης φύσιν ἔχουσαν ἀγρίαν,
ἄξω 'πὶ βωμοὺς καὶ τάφους Ἑλληνικούς,
ἡγούμενος λόγχαισιν."

IV.
De philosophia Euripidis morali.

Non hoc ago, ut quaecunque praecepta ad mores vitamque pertinentia in fabulis Euripidis occurrunt, vel a scriptoribus passim laudantur, in unum congesta recenseam, id quod fecit Wideburg de phil. Eur. morali disserens (Helmstadii 1805), sed ut, quomodo suos ipse mores ad philosophorum praecepta Euripides conformaverit, ostendam.

Anaxagorae igitur disciplinam non minus in temperandis moribus vitaque tota constituenda, quam in cognoscendis rerum caussis Euripides secutus est, id quod testatur Cicero Tusc. III, 14, 29. hisce verbis: „Haec igitur praemeditatio futurorum malorum lenit eorum adventum, quae venientia longe ante videris. Itaque apud Euripidem a Theseo dicta laudantur (licet enim, ut saepe facimus, in latinum illa convertere):

Nam qui haec audita a docto meminissem viro,
Futuras mecum commentabar miserias,
Aut mortem acerbam, aut exili moestam fugam,
Aut semper aliquam molem meditabar mali,
Ut, si qua invecta diritas casu foret,
Ne me imparatum cura laceraret repens.

Quod autem Theseus a docto se audisse dicit, id de se ipso loquitur Euripides. Fuerat enim auditor Anaxagorae, quem ferunt, nuntiata morte filii, dixisse: Sciebam me genuisse mortalem." Operae pretium est cognoscere, quantum valuisse illius viri auctoritatem disciplinamque et summarum rerum cognitionem ad imbuendos studio dignitatis honestatisque animos ostendat Plutarchus. De Periclis enim doctoribus exponens: „Plurimum autem," inquit, „usus est Anaxagora Clazomenio, qui maximum ei pondus et spiritus maiores, quam qui popularem oratorem decerent, conciliavit omninoque ad altiora evexit ingenii eius maiestatem. Hunc igitur virum mirum quantum ad-

miratus Pericles, imbutusque ab eo rerum sublimium coelestiumque cognitione, non animo modo excelso fuit sublimique usus est dicendi genere, puro a plebeia et versuta scurrilitate, verum etiam in vultu gravitas ei aderat ad risum immota, et in incessu lenitas, in vestitu modestia, quae nulla unquam animi commotione in dicendo turbaretur, tum modulatio vocis sedata et reliqua eius generis eiusmodi, ut ingentem omnium admirationem excitarent." Eadem fere omnia de Euripidis moribus ingenioque traduntur. Severus enim fuisse fertur atque austerus et a risu non minus, quam Anaxagoras ipse, alienus (*σκυθρωπὸς καὶ σύννους καὶ αὐστηρὸς ἐφαίνετο καὶ μισογέλως*). Itaque Alexander Aetolus (teste Gellio XV, 20.) hos de eo versus composuit:

ὁ δ' Ἀναξαγόρου τρόφιμος χαιοῦ στρυφνὸς μὲν ἔμοιγε προσειπεῖν
καὶ μισογέλως καὶ τωθάζειν οὐδὲ παρ' οἶνον μεμαθηκώς·
ἀλλ' ὅ τι γράψαι, τοῦτ' ἂν μέλιτος καὶ σειρήνων ἐτετεύχει.

Periclis in eo quoque similis fuit, quod consuetudinem hominum et familiaritates vitavit (*φεύγων τὰς συνουσίας*); quin etiam in speluncam quandam tetram et horridam, in insula Salamine sitam, saepe scribendorum carminum caussa eum recessisse retulit Philochorus apud Gell. l. l. et in vita cod. Vindob. Non defuerunt homines protervi, qui tantae virorum honestissimorum maiestati insultarent. Nam non solum comoediarum scriptores cavillari Periclem nunquam destiterunt, sed in foro quoque atque in negotiis publicis administrandis accidit, ut improbi cuiusdam et petulantis hominis maledictis et contumeliis ille lacesseretur. Quem quum totum diem patienter tulisset, vesperi domum reversus, insectante illo atque opprobriis impetente, iussit hominem impurum, quum nox facta esset, a servis accenso lumine deduci domum. Eadem Euripides usus constantia contumelias et calumnias Aristophanis per totam aetatem tacite patienterque tulit, ne respiciens quidem ad criminationes nebulonis. Cuius poetae, pleni leporis et facetiarum atque apud Athenienses gratiosissimi, telis acutissimis quum

ille non modo victus, sed ne tactus quidem sit, neque ullum apud suos detrimentum fecerit gloriae, vehementer vero timendum est, ne ranunculorum, qui nostra memoria coaxando insiliendoque affligere eum ac deprimere eius pondus studuerunt, clamoribus fama praestantissimi poetae in perpetuum obscuretur.

Altero doctore usum esse Euripidem Prodico tradunt Ceo, cuius qualis fuerit ratio ac disciplina, aestimari potest ex iis, quae de constituendo genere cursuque vivendi per imaginem docuit, quum Herculem fingeret pubescentem exisse in solitudinem atque, ibi sedentem, diu secum multumque dubitasse, cum duas cerneret vias, unam Voluptatis, alteram Virtutis, utram ingredi melius esset. Huius generis multa scripserat παραινετικά, ad emendandos mores vitamque recte constituendam efficacia. Velut divitias per se neque in bonis neque in malis ponendas esse, sed, prout utaris, vel bonas vel malas esse, docuerat *). Item mortem non esse malum neque iis, qui mortui essent, neque iis, quibus moriendum esset, iisdem fere argumentis, quibus Cic. Tusc. I, 5 seqq., confirmaverat **). Neque dubitari potest, quin quaecunque ad bene beateque vivendum pertinere viderentur homo, quo nemo illa aetate sapientior est habitus, disserendo explicaverit. Partim huius partim Anaxagorae disciplinam secuti Euripides atque Socrates, alter alienis personis imaginem morum vitaeque exprimendo, alter suos ipse mores ad praecepta sapientiae conformando, uterque philosophiam ab otiosa dicendi exercitatione ad usum vitae communis transtulit, propter hoc studium contumeliose tractati ab Aristophane, sycophantarum omnium improbissimo et vehementer digno, cuius iudicium nostri admirentur. Qui quum gratam vulgo eam calumniam esse intelligeret et capitis damnatum iam interisse Prodicum Ceum videret, ut in idem periculum Socratem Euripidemque adduceret, manibus pedibusque vir fortissimus connisus est. Atque huius, talis hominis, auctoritate freti recentiores quidam aestimatores plebe Attica coeciores, ne perspecta quidem Aristophanis sententia, promiscue vitupera-

*) Plat. Eryx. p. 397 seq. Cf. Cic. Tusc. V, 12.

**) Plat. Axioch. p. 366 seqq., praecipue 369. B.

runt et criminati sunt ea, quae veterum scriptorum nemo unquam vitio verterat. Ad philosophum enim pertinet quidquid ab illo reprehensum est, nihil quicquam ad poetam, nisi forte ubicunque aut illum aut Sophoclem aut Aeschylum comici poetae imitati sunt, in ridiculas res severas convertendo, hoc in contumeliam illorum factum esse credendum est. Quasi non haec ipsa imitatio dignitatis venustatisque carminum certissimum documentum sit!

Opinantur vulgo disciplina Socratis institutum ad fabulas scribendas se Euripidem contulisse, qui error ipsa annorum computatione arguitur *). Sexdecim enim annis maior natu Euripides iam tragoedias componere coepit quo tempore Socrates natus est. Praeterea natura ipsa ferebat prius fictarum personarum exemplaribus praecepta philosophorum demonstrari, quam in vitam veritatemque conferri, moribus ad illa conformatis. Et discipuli potius, quam doctoris, locum illum apud Euripidem tenuisse ea ipsa ostendunt, quae de mutuo eorum studio narrantur. Tradunt Euripidem quondam Socrati legendum Heracliti opusculum dedisse ac postea rogasse, quale ei videretur: illum respondisse, ea, quae intellexisset, egregia esse, sperare se item quae minus intellexisset **). Quum rarissime Socrates in theatrum veniret, tamen nunquam abfuit Euripide novis tragoediis certante, quin etiam in Piraeum descendebat, quotiescunque huius ibi dramata spectarentur ***). Quum Orestem fabulam Euripides doceret, ille primos tres versus revocasse dicitur ****). Euripidis sa-

---

*) Recte Barnes. in vita Eur. §. 13: „Haud bene," inquit, „temporum rationes considerant qui Socratem Euripidis in moralibus magistrum affirmant. Videtur potius is ex Euripide multa hausisse, quem et apud Platonem haud raro laudare deprehenditur."

**) Heracliti libros, in Dianae templo ab ipso absconditos, invenisse Euripides dicitur et frequenter templum adeundo fere integros repetita lectione memoriae mandasse. Refert Tatianus in orat. ad Graec., quem laudavit Wideburg de phil. Eur. mor. p. 6.

***) Diog. Laert. II, 5, 7., Aelian. V. H. II, 13.

****) Cic. Tusc. IV, 29.

pientiam admirari, Euripidis carmina recitare, imprimis a Socrate docetur Phidippides Aristophanis (Nub. 1371. 1377). Quod idem poeta in priori Nubium editione posuerat: *Εὐριπίδου δ' ὁ τὰς τραγῳδίας ποιῶν τὰς περιλαλούσας οὗτός ἐστι τὰς σοφάς*, hoc quid aliud significatur, quam Socraticam philosophiam Euripidis fabulis inesse? Nam *λαλεῖν* isti est philosophari. Idem sensus est verborum Calliae poetae comici:

ἤδη σὺ σεμνὴ καὶ φρονεῖς οὕτω μέγα.
„ἔξεστι γάρ μοι· Σωκράτης γὰρ αἴτιος."

Idem denique Teleclides comicus dixerat:

Μνησίλοχός ἐστ' ἐκεῖνος, ὃς φρύγει τι δρᾶμα καινὸν
Εὐριπίδῃ, καὶ Σωκράτης τὰ φρύγαν' ὑποτίθησιν.

Ceterum Euripides ne Prodicum quidem temere secutus est. Testimonio est Herculis persona, quam in Alcestidis fabula plane diversam a Prodiceo Hercule exhibuit.

Iam videamus, qua ratione et in moderandis animi perturbationibus constantiam et in officiis probitatem servandam esse docuerit Euripides. Quod Aristippus respondisse fertur interrogatus, quid sapiens ab insipienti differret: „mitte utrumque nudum ad ignotos, et videbis;" quod sponte Anaxagoras fecit, ut, relicta patria ac patrimonio cognatis concesso, nihil proprii retineret praeter sapientiam; quod Bias dixit, se sua omnia secum portare: eandem conditionem plerisque Euripidis personis propositam esse videmus. Exuti enim regno, pulsi patria, privati opibus, destituti a cognatis, humiles, miseri, pannis obsiti, quin etiam debiles, aegroti, corporis animique doloribus cruciati, fortunae hostiumque ludibrio expositi, non iam reges neque heroes, sed nudi mortales experimentum dare virtutis atque sapientiae coguntur. Eiusmodi mendicorum gregem satis magnum Aristophanes iam in Acharnensibus coegit, non offensus ille quidem miseria personarum heroicarum (nam Sophoclis quidem Oedipo quis miserior?), sed potius philosophia, cuius gratia in istam humilitatem illas detrusas esse videret: id quod ostenditur interrogatione Dicaeopoleos:

ἀ ν α β ά δ η ν ποιεῖς,
ἐξὸν κ α τ α β ά δ η ν; οὐκ ἐτὸς χωλοὺς ποιεῖς.

Nam Socrates quoque sublimis i. e. *μετεωρολόγος*, in machina pendens ab eodem poeta inducitur, statimque rusticus ille, ubi mendicorum pannis indutus est, argutiis se impletum esse sentit:

εὖ γ', οἷον ἤδη ῥηματίων ἐμπίμπλαμαι.

Vidimus Phoenicem summa constantia exsilium, privationem oculorum, ignominiam infamiamque ferentem; vidimus eundem admirabili moderatione ab ultione patris iniquissimi abstinentem. Neque hic neque reliquorum quisquam ideo, quod impatiens sit doloris atque miseriae, mortem sibi consciscit.

Acerrimum omnium Euripidem esse in exprimendis affectibus, in furore eorum, qui amant, qui irascuntur, qui invident, qui cupiunt, qui timent, qui moerent, qui laetitia efferuntur, vehementius ostendendo, quis ignorat vel quis unquam infitiatus est? Testis est Medea, ad suos ipsius liberos trucidandos rivalis maritique odio abrepta, itemque Themisto; testis Amyntor filium excoecans, quum falsa suspicione ducatur, testis Stheneboea pegasum cum amasio conscendens, testes Eteocles et Polynices fratres se invicem interficientes, denique plenae sunt horum exemplorum fabulae omnes. In Aristophanis reprehensionem haec quoque incurrerunt, qui facit Aeschylum gloriantem:

ἀλλ' οὐ μὰ Δί', οὐ Φαίδρας ἐποίουν πόρνας οὐδὲ Σθενεβοίας,
οὐδ' οἶδ' οὐδεὶς ἥντιν' ἐρῶσαν πώποτ' ἐποίησα γυναῖκα.

Cui recte Euripides respondere videtur:

μὰ Δί', οὐ γὰρ ἐπῆν τῆς Ἀφροδίτης οὐδέν σοι.

Ineptum vero ac perversum est, quod Aristophanes affirmat:

— — ἀλλ' ἀποκρύπτειν χρὴ τὸ πονηρὸν τόν γε ποιητήν.

neque enim celando vulnera sanantur, neque quisquam poeta bonus omittenda tegendaque esse duxit ea, in quibus exprimendis vel maxime vis ingenii virtusque poetae excelleret, neque ille ipse veterator talia celavit. At celavit homo malitiosus, ab eodem Euripide et auxilia sedandarum perturbationum firmissima certissimaque demon-

strata et insignia moderationis exempla proposita esse, quibus doceremur mortem turpitudini, si nullo modo cupido exstingui posset, praeferendam esse. Uno Phaedrae, quae est in Hippolyto secundo, exemplo defungar, cuius oratio continet quaecunque honestatis probitatisque ratio praescribit.

Exemplis vero eorum, qui neque cupiditate victi neque metu fracti neque pigritiae ignaviaeque indulgentes sola vera, recta honestaque sequantur, quam copiosae sunt Euripidis fabulae! Quid recenseam eos, qui omisso proprio commodo pro amicis, pro cognatis, pro civibus, pro patria labores aerumnasque suscipiunt, uxores pro maritis, sorores pro fratribus, adolescentes virginesque pro salute communi mortem obeuntes, parentes vitam liberorum pro patria profundentes? quid commemorem viros, qui, nihil extimescentes neque quidquam, quod homini accidere possit, intolerandum esse putantes, pericula atque certamina atrocissima ultro subeunt, partim gloriae cupidine ducti partim studio servandorum eorum, quos diligunt? Et quidem haud pauci, generosi animi ardore inflammati, dicunt faciuntque talia, qualia vix in naturam eorum cadere videantur, velut Iphigenia, ubi in se positam esse exercitus victoriam et summorum ducum gloriam intellexit, repente mutata, quanta cum voluptate antea profecta erat ad nuptias, tanta laetitia et gratulatione cervicem obfert immolaturis. Quam mentis commutationem nescio an recte vituperaverit Aristoteles Poet. 15, 5: *ἔστι δὲ παράδειγμα τοῦ ἀνωμάλου ἡ ἐν Αὐλίδι Ἰφιγένεια· οὐδὲν γὰρ ἔοικεν ἡ ἱκετεύουσα τῇ ὑστέρᾳ.* Ceterum excedere natura sua quasdam personas, partim quae animosae fortesque partim quae rerum abditarum scientia praeditae esse ultra ingenii sui vires videantur, haud infitior. Contra Aristophanes hanc caussam vituperandi iustissimam omisit: scilicet partim plus laudis quam vitii his inesse, partim refutari iis, quae ipse calumniose criminaretur, intelligebat.

Ad eandem didascaliam referendas esse duxi fabulas Meleagrum Oeneumque, quarum argumenta in unius domus uniusque hominis casibus celebrandis versantur. Et altera quidem amoris iracundiaeque vis exprimitur, altera

generositas miseriis calumniisque invicta ostenditur; illa infelicem, haec felicem habet exitum. His Syleum subiungo, drama satyricum, quo virum fortem et constantem regnare, etiamsi servus sit, lepidissima ratione docetur. Primum autem in didascalia locum Chrysippo fabulae assigno, qua et ipsa amor atque aemulatio quanta hominibus mala gignant declaratur. Hanc enim fabulam numero antiquissimarum fuisse inde colligo, quod mera Anaxagorae placita carmine chori explicata continebat. Fictum autem sine dubio est quod Aelianus V. H. II, 21. ait, in gratiam Agathonis poetae, quem amaret Euripides, fabulam Chrysippum ab hoc compositam esse.

Olympiadis 84mae anno tertio, Diphilo praetore, primam victoriam reportavit Euripides, annos natus tres et quadraginta *). Quosnam poetas vicerit, non est memoriae proditum, sed Antigonam a Sophocle eodem tempore doctam esse verisimile est (vide Welck. p. 84. Schoell. de Soph. vita atque operibus p. 131. et 133.). Praelatus igitur est Sophocli, et quidem opus praestantissimum in certamen deferenti. Sic prima Euripidis victoria eadem amplissima fuit. Quod si iis, quas delegi, fabulis ab Euripide certatum esse constaret, vix erroris iudices illos Atheniensium accusare liceret.

A. Chrysippus.

Argumentum huius fabulae Pseudoplutarchus in parallelis (c. 33. p. 431. Hutt.) refert, qui fugit Welckerum. Eius verba haec sunt: *Πέλοψ Ταντάλου καὶ Εὐρυανάσσης, γήμας Ἱπποδάμειαν, ἔσχεν Ἀτρέα καὶ Θυέστην, ἐκ δὲ Δαναΐδος νύμφης* **) *Χρύσιππον, ὃν πλέον τῶν γνησίων ἔστερξε. Λάϊος δὲ ὁ Θηβαῖος ἐπιθυμήσας ἥρπασεν*

---

*) Marm. Par. ep. 50: *ἀφ' οὗ Εὐριπίδης, ἐτῶν ὢν ΔΔΔΔIII, τραγῳδίᾳ πρῶτον ἐνίκησεν, ἔτη . . ἄρχοντος Ἀθήνησι Διφίλου.*

**) Schol. Orest. v. 5: *ἐξ Ἀξιόχης νύμφης νόθον.* Item Schol. Pind. Ol. I, 144.

αὐτόν, καὶ συλληφθεὶς ὑπὸ Θυέστου καὶ Ἀτρέως, ἐλέους ἔτυχε παρὰ Πέλοπος διὰ τὸν ἔρωτα. Ἱπποδάμεια δ' ἀνέπειθεν Ἀτρέα καὶ Θυέστην ἀναιρεῖν αὐτόν, εἰδυῖα ἔσεσθαι ἔφεδρον βασιλείας. Τῶν δὲ ἀρνησαμένων, αὐτὴ τῷ μύσει τὰς χεῖρας ἔχρισε· νυκτὸς γὰρ βαθείας, κοιμωμένου Λαΐου, τὸ ξίφος ἑλκύσασα καὶ τρώσασα τὸν Χρύσιππον ἐγκαταπήγνυσι τὸ ξίφος. Ὑπονοηθεὶς δὲ ὁ Λάϊος διὰ τὸ ξίφος, ῥύεται ὑπὸ ἡμιθνῆτος τοῦ Χρυσίππου, τὴν ἀλήθειαν ὁμολογήσαντος. Ὁ δὲ θάψας τὴν Ἱπποδάμειαν ἐξώρισεν, ὡς Δοσίθεος ἐν Πελοπίδαις. Fontem, ut saepius, dissimulavit; idem fecit eo loco, quo Aeoli Euripidis argumentum exponit. Ceterum supplementa quaedam huius narrationis suppeditantur ab Athenaeo XIII. p. 602. F., Pausania VI, 20, 4., Aeliano Hist. anim. VI, 14., Apollodoro III, 5, 5. Latinum autem reddidit hoc drama Attius, qui Euripidem tragicorum omnium maximi fecisse videtur et frequentissime imitatus est.

Prologum ab Hippodamia actum esse suspicor. Fingebatur Chrysippus a Laio abreptus Thebas cummaxime auferri, fratres autem illius a Pelope ad persequendum raptorem recuperandumque fratrem emissi esse. Itaque, dum reditus filiorum exspectatur, noverca Chrysippi ea, quae sciri necesse erat, de matrimonio suo, de spurii filii natalibus, de patris in hunc amore, denique de Laii perfidia exposuisse videtur. Namque hic, quum hospitio Pelopis per quinque dies uteretur *), amore captus Chrysippi, dixit se velle aurigandi arte hunc instituere eo consilio, ut in currum sublatum Thebas abduceret **). Gratulatur sibi noverca remoto privigno, patris deliciis, qui ne unquam recuperetur, vehementer cupit. Prodit ad illam Pelops, plenus desiderii parumque celans, quantopere spurium filium

---

*) Plutarch. Amat. p. 750. B: τῷ Λαΐῳ πέντε μόνον ἡμερῶν ἀπέχοντι τῆς πάτρας.

**) Apollod. l. l.: ἐπιξενοῦται Πέλοπι, καὶ τούτου παῖδα ἁρματοδρομεῖν διδάσκων, ἐρασθεὶς ἀναρπάζει. Athenaeus l. l.: Λάϊον ξενωθέντα παρὰ Πέλοπι καὶ ἐρασθέντα τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ Χρυσίππου, ὃν καὶ ἁρπάσαντα καὶ ἀναθέμενον εἰς ἅρμα εἰς Θήβας φυγεῖν.

genuinis praeponat, quin etiam regni partem maximam se illi traditurum esse, si superstes sit, profitetur:

„*Quin, si hinc superescit, Spartam atque*
Amyclas tradebo."

Qua re mota noverca Chrysippum de medio tollere constituit.

Chorum ex viris constitisse suspicor propter sublimiora, quae ex Anaxagorae doctrina delibata protulerunt. Post parodum nuntium prodisse necesse est. Non sine pugna Chrysippus recuperatus erat: comitibus enim et Laius et filii Pelopis stipati erant:

— „*neque quisquam a telis vacuus:*
Sed uti cuique obviam fuverat, ferrum,
alius saxum, rodum."

De graecis fragmentis huc refero septimum: *ελάζων*, *εἶα ἐπικελεύων· Εὐριπίδης Χρυσίππῳ.* Non potuit Laius puerum amatum a se abstrahi tolerare: itaque redeuntes, cogente cupidinis vi, ultro secutus est, et in potestatem eius, quem iniuria affecerat, se tradidit, suppliciter orans:

*μή, πρὸς γενείου, μ' ἐξέλῃς τὰ φίλτατα**).

Inde sequuta sunt illa, quae Cicero Tusc. IV, 33, 71. significat: „Atque, ut muliebres amores omittam, quibus maiorem licentiam natura concessit, quis aut de Ganymedi raptu dubitat, quid poetae velint, aut non intelligit, quid apud Euripidem et loquatur et cupiat Laius?" **) Huius colloquii fragmenta quaedam satis luculenta servata sunt. Hinc enim depromta esse video illa, quae habet Plutarchus Amat. p. 769. B:

οἰκειότητος, ἐμβλέπων, ὠλίσθανον

— — — — —

ἀγένειος ἁπαλὸς καὶ νεανίας καλός

— — — — —

ἐμφύντ' ἀποθανεῖν κἀπιγράμματος τυχεῖν.

His auditis pater optat, ut potius turpi filius forma sit, quam propter corporis venustatem animus eius corrumpatur:

γνώμῃ σοφός μοι καὶ χέρ' ἀνδρείαν ἔχοι·
δύσμορφος εἴη μᾶλλον, ἢ καλὸς κακός.

---

*) Fragm. inc. 252.

**) Cf. Aelian. V. H. XIII, 5. Aelian. Hist. anim. VI, 14.

Laium autem hortatur, ut aegri animi remedium ex ratione petat neve furori amoris temere sese tradat abripiendum:

— ἄλλ' ἐπ' ἄλλῃ φάρμακον κεῖται νόσῳ·
λυπουμένῳ μὲν μῦθος εὐμενὴς φίλων,
ἄγαν δὲ μωραίνοντι νουθετήματα *).

Respondet Laius, non fugere se quae ille moneat, sed affectum animi rationi non obtemperare:

λέληθεν οὐδὲν τῶνδέ μ' ὧν σὺ νουθετεῖς·
γνώμην δ' ἔχοντά μ' ἡ φύσις βιάζεται.

Tum Pelops:

αἶ αἶ· τόδ' ἤδη θεῖον ἀνθρώποις κακόν,
ὅταν τις εἰδῇ τἀγαθόν, χρῆται δὲ μή**).

Rogat deinde Laius, ut tempus sibi Pelops concedat ad morbum commode sanandum, ne, subito violenter abrupta consuetudine, sibi pereundum sit:

μέλλων τ' ἰατρός, τῇ νόσῳ διδοὺς χρόνον,
ἰάσατ' ἤδη μᾶλλον ἢ τεμὼν χρόα***).

Idque Pelopem concedere minime mirandum est: nam qui ipse plus aequo puerum dulcissimum diligit, hunc alterius amori ignoscere necesse est. Permittit igitur Laio, ut in domo sua rursus maneat et Chrysippo, ut antea, utatur familiariter.

Huic colloquio subiunctum fuit carmen illud, quo chorus miratus est, quod Laius amori pueruli omnia postponeret, privatus ratione sana, oblitus patriae:

λήθη δὲ λόγων, λήθη δὲ πάτρας****).

De amoris ingenio ibidem dictum fuisse videtur illud, quod eodem loco Plutarchus laudat (Amat. p. 750. B.):

λαιψηρὰ κυκλώσας πτερὰ διαπόντιος πέταται.

Prodit deinde Hippodamia cum duobus filiis, Atreo atque Thyeste. Ostendit, quidnam periculi ex iniquitate patris, praeposito spurio filio, ipsis immineat; docet, fratrem, ne regno genuini priventur, de medio tollendum esse. In-

*) Fragm. inc. 118.

**) Errare videtur Alcinous (Isagoge in Plat. doctr. c. 24.), quem laudat Valck. diatr. p. 22., Laio hoc dictum tribuens, quod Pelopi melius convenit.

***) Fragm. inc. 67.

****) Vulgo λήθη μὲν λόγων κτλ.

dignum enim neque tolerabile esse unice curari, oculis cariorem esse et in deliciis haberi puerum imbellem neque ulli rei gravi magnaeque idoneum, genuinorum autem liberorum virtutem in nullo vel amoris vel honoris loco poni. Proinde ut aemulum clam interficiant et in Laium, in eodem conclavi cum illo quiescentem, crimen conferant, hortatur. Horrent scelus filii, et matrem quoque, ne quid praepropere agat, quod postea poeniteat, monent:

„*Melius pigrasse, quamde properasse, est nefas.*"

Istam vero ignaviam illa vituperat: nam si minus timidi filii ad facinus patrandum se strenue accinxissent,

„*divitiam partivissent aeternabilem.*"

Iam, illis detrectantibus, ipsa sola rem perficere constituit. Haec inter se collocuti intro abeunt. Tenebras nox terris inducit. Chorus, quum commissa prodere non liceat, monente tempore, philosophica quaedam de coeli terraeque commercio, unde omnia nascantur, quoque exstincta redeant, Anaxagorae disciplinae convenientia, proponit:

στροφή.

Γαῖα μεγίστη καὶ Διὸς αἰθήρ,
ὁ μὲν ἀνθρώπων καὶ θεῶν γενέτωρ,
ἡ δ' ὑγροβόλους σταγόνας νοτίους
παραδεξαμένη τίκτει θνατούς,
τίκτει δὲ βορὰν φῦλά τε θηρῶν,
ὅθεν οὐκ ἀδίκως
μήτηρ πάντων νενόμισται.

ἀντιστροφή.

Χωρεῖ δ' ὀπίσω τὰ μὲν ἐκ γαίας
φύντ' εἰς γαῖαν, τὰ δ' ἀπ' αἰθερίου
βλαστόντα γονῆς εἰς οὐράνιον
πόλον ἦλθε πάλιν· θνήσκει δ' οὐδὲν
τῶν γιγνομένων, διακρινόμενον δ'
ἄλλο πρὸς ἄλλου
μορφὴν ἰδίαν ἀπέδειξε.

Interim Hippodamia in cubiculum furtim intravit, gladium Laii, e vagina eductum, in Chrysippi corpore defixit, sed, errante in tenebris manu, semianimem reliquit in publicum se proripiens, ubi de facinore patrato chorum ipsa

facit certiorem. Auditur Chrysippi vox clamantis et familiam concitantis. Trepidationem sceleratae mulieris haec declarant verba:

— „*quid agam? vox illius certe est.*"

quae confirmat chorus:

„*Id etenim omnes cernimus.*"

Aufugit Hippodamia; accurrit, ex somno excitatus, Pelops; in scenam effertur, gladio in pectore fixo, Chrysippus. Sceleris accusatur Laius: videtur enim sub praetextu amoris nil, nisi perniciem pueri, sibi propositum habuisse, et indicia omnia in eum conveniunt, quod abripuit puerum, quod in eodem cubiculo quiescere voluit, quod gladius ipsius corpori infixus est. Laio non habente quo crimina diluat iratumque hospitis animum mitiget, Chrysippus moribundus, caussam pro amico dicens, a noverca se interfectum esse ostendit. Hippodamiam famuli, qui ad supplicium adducere iubentur, ex civitate aufugisse nuntiant *); aegritudinem regis chorus consolando mitigare studet:

ὦ δέσποτ', οὐδεὶς οἶδεν, ἄνθρωπος γεγώς,
οὔτ' εὐτυχοῦς ἀριθμὸν οὔτε δυςτυχοῦς.

Laium nullam vitae suae vim intulisse testatur Aelianus Hist. anim. VI, 14.

Composuit Strattis comicus poeta fabulam Chrysippi nomine inscriptam, in qua potuit Euripidis drama imitatus esse; cf. Athen. IV. p. 169. A. Ex tragicis posterioribus idem argumentum Diogenes ornavit, de quo videas Welck. p. 1035 seqq. Ad nostrum pluribus locis respexerunt Plutarchus, Aelianus, Cicero, Clemens Alex., Sextus Empiricus, Philo Iud., Antoninus aliique.

B. Meleager.

Malalas Chron. p. 209. (165.), quamvis Euripidis vestigiis se institisse dicat, tamen et patrem loco matris nominavit, qui torrem combureret, et, quo Parcarum personam

*) Pausan. VI, 20, 4: *τὴν δὲ Ἱπποδάμειάν φασιν ἐς Μιδέαν τὴν ἐν τῇ Ἀργολίδι ἀποχωρῆσαι, ἅτε τοῦ Πέλοπος ἐπὶ τῷ Χρυσίππου θανάτῳ ἐς ἐκείνην ἔχοντος τὴν ὀργήν.*

ex historia removeret, stipitem ab Althaea devoratum rursusque partu editum esse finxit. Accuratissime Apollodorum nostri vestigia legisse haec eius verba ostendunt, cum Euripidis verbis convenientia: *τὰς ἀπαρχὰς Οἰνεὺς θεοῖς πᾶσι θύων, μόνης Ἀρτέμιδος ἐξελάθετο.* Euripidis enim verba haec fuerunt (fragm. II.):

θύων ἀπαρχὰς οὐκ ἔθυσεν Ἀρτέμιδι
scr. *οὐκ ἔθυσ' ἐμοὶ μόνῃ.*

Cum Apollodoro autem Hyginus et Diodorus (IV, 34.) consentiunt. Attii tragoediam de Euripidea expressam fuisse, quidam versus Euripidis versibus simillimi ostendunt. Neque non etiam Ovidii quaedam dicta imitationem Euripidis manifestant. Atque ipsae quoque inter se utriusque poetae imitationes conspirant: conferas haec Attiana:

„*Gaudent, currunt, celebrant, herbam conferunt dono, tenent*
Pro se quisque, cum corona clarum conectunt caput —"

cum hisce Ovidianis:

„*Gaudia testantur socii clamore secundo,*
Victricemque petunt dextrae coniungere dextram."

In concinnandis huius tragoediae reliquiis operam utilissimam posuerunt Valckenarius et Welckerus, de structura vero dramatis reperienda desperarunt, et hic quidem, diffidens ipse coniecturis suis, gratum sibi ait facturum esse, si quis meliora invenisset.

Prooemium his verbis reddit Apollodorus I, 8: „Althaea ex Oeneo conceptum Meleagrum peperit, quem Marte satum quidam fuisse tradunt. Ad quem septem dies natum Parcas aiunt venisse ac dixisse, tum Meleagrum exstinctum iri, cum stipes, qui forte in foco arderet, combustus esset. Quod ubi mater audivit, stipitem ex igne sublatum in arca recondidit. Meleager autem quum esset natura invulnerabilis ac generosus, hoc modo exstinctus est. Cum annuae ex agro fruges redissent, primitias Oeneus diis omnibus obtulit, solius Dianae oblitus est. Quocirca irata dea aprum immisit et magnitudine et robore insignem, qui et segetes corrumperet et pecora

armentaque cum hominibus obviis perderet. In hunc igitur aprum viros fortissimos ex cuncta Graecia convocavit et praemium certaminis ei, qui interfecisset, pellem apri proposuit etc. Qui quum convenissent, Oeneus eos novem dies hospitio excepit, decimo autem etc." Eadem Hyginus refert, sed minus prolixa.

Haec ab Artemide in scena exposita esse recte Welckerus statuisse videtur. Fragmenta Euripidis Attiique exstant haecce:

Καλυδὼν μὲν ἥδε γαῖα, Πελοπίας χθονὸς
ἐν ἀντιπόρθμοις πεδί' ἔχουσ' εὐδαίμονα·
Οἰνεὺς δ' ἀνάσσει τῆσδε γῆς Αἰτωλίας,
Πορθάονος παῖς, ὅς ποτ' Ἀλθαίαν γαμεῖ,
Λήδας ὅμαιμον, Θεστίου δὲ παρθένον.

His subnectenda sunt quae Pseudoplutarchus in parallelis p. 312. c. 26. commemorat cum Apollodori Hyginique testimonio conspirantia: *Ἄρης Ἀλθαίᾳ συνῆλθε καὶ Μελέαγρον ποιήσας (ἐγέννησε?), ὥς Εὐριπίδης ἐν Μελεάγρῳ* *). Septimo die nomen infanti a patre imponi oportuit. Eo igitur die Parcae sollemnibus intervenientes fata pueri cecinerunt, quarum carminis hae sunt reliquiae:

Μελέαγρε, μελέαν γάρ ποτ' ἀγρεύεις ἄγραν.
— — — „*o regina, erit*
Tempus quod huicce torri, quem amburi vides."

Cf. Ovid. Metam. VIII. v. 450 seqq.:

„*Stipes erat, quem, quum partus enixa iaceret*
Thestias, in flammam triplices posuere Sorores **),

*) Inde Ovid. Metam. VIII. v. 436: „Mavortium" appellat Meleagrum.

**) Hyginus c. 171: „Cum Althaea, Thestii filia, una nocte concubuerunt Oeneus et Mars: ex quibus cum esset natus Meleager, subito in regia apparuerunt Parcae Clotho, Lachesis, Atropos. Cui fata ita cecinerunt. Clotho dixit eum generosum futurum, Lachesis fortem, Atropos titionem ardentem adspexit in foco et ait: Tamdiu hic vivit, quamdiu hic titio consumtus non fuerit. Hoc Althaea mater cum audisset, exsiluit de lecto atque titionem exstinxit, et eum in regia media obruit fatalem, ne ab igni absumeretur."

Staminaque impresso fatalia pollice nentes,
T e m p o r a, dixerunt, e a d e m l i g n o q u e t i b i q u e,
O m o d o n a t e, d a m u s. Quo postquam carmine dicto
Excessere deae, flagrantem mater ab igne
Eripuit torrem sparsitque liquentibus undis.
Ille diu fuerat penetralibus abditus imis,
Servatusque tuos, iuvenis, servaverat annos."

Continuabatur Dianae narratio sic:

Οἰνεύς ποτ' ἐκ γῆς πολύμετρον λαβὼν στάχυν,
θύων ἀπαρχὰς, οὐκ ἔθυσ' ἐμοὶ μόνῃ *).

Cf. Ovidium v. 273 seqq.:

„*Oenea namque ferunt pleni successibus anni*
Primitias frugum Cereri, sua vina Lyaeo,
Palladios flavae latices libasse Minervae.
Coeptus ab agricolis Superos pervenit ad omnes
Ambitiosus honos; s o l a s s i n e t u r e r e l i c t a s
P r a e t e r i t a e c e s s a s s e f e r u n t L e t o i d o s a r a s.
Tangit et ira deos. At non impune feremus,
Quaeque inhonoratae, non et dicemur inultae,
Inquit, et Oeneos ultorem spreta per agros
Misit aprum" etc.
„*I s m o d o c r e s c e n t e s s e g e t e s p r o c u l c a t i n h e r b a,*
Nunc matura metit fleturi vota coloni,
Et Cererem in spicis intercipit" etc.

Cum his conferas fragm. Attii:

— „*f r u g e s p r o h i b e t p e r g r a n d e s c e r e.*"

Praeter cetera commemorandum deae fuit, adductam a se Atalanten esse, cuius propter amorem Meleager periret. Ac nescio, an etiam Veneris praesentia colloquioque opus fuerit, sine cuius auxilio illud Dianae consilium haud facile perfici potuerit. Odio autem persequebatur Venus Atalantam, quod a coniugio abhorrebat.

Prodiit deinde chorus vel virginum vel feminarum,

---

*) Vulgo *οὐκ ἔθυσεν Ἀρτέμιδι.* Bergk. et Welcker. *οὐ καθωσίωσέ μοι.* Debebant certe *οὐ καθωσίωσ' ἐμοί.*

quae cupidine ductae videndi viros clarissimos, contra belluam cummaxime profecturos, laborem texendi cum studio canendi permutarunt:

κερκίδος ἀοιδοῦ μελέτας.

In parodo igitur laudem virorum, qui in domo regia congregati erant, praedicatam esse verisimile est. Nomina eorum Apollodorus fere eadem quae Ovidius ponit: *Μελέαγρος Οἰνέως, Δρύας Ἄρεος· ἐκ Καλυδῶνος οὗτοι. Ἴδας καὶ Λυγκεὺς Ἀφαρέως ἐκ Μεσσήνης. Κάστωρ καὶ Πολυδεύκης Διὸς καὶ Λήδας ἐκ Λακεδαίμονος. Θησεὺς Αἰγέως ἐξ Ἀθηνῶν. Ἄδμητος Φέρητος ἐκ Φερῶν. Ἀγκαῖος καὶ Κηφεὺς Λυκούργου ἐξ Ἀρκαδίας. Ἰάσων Αἴσωνος ἐξ Ἰωλκοῦ. Ἰφικλῆς Ἀμφιτρύωνος ἐκ Θηβῶν. Πειρίθοος Ἰξίονος ἐκ Λαρίσσης. Πηλεὺς Αἰακοῦ ἐκ Φθίας. Τελαμὼν Αἰακοῦ ἐκ Σαλαμῖνος. Εὐρυτίων Ἄκτορος ἐκ Φθίας. Ἀταλάντη Σχοινέως ἐξ Ἀρκαδίας. Ἀμφιάραος Ὀϊκλέους ἐξ Ἄργους. Μετὰ τούτων δὲ οἱ Θεστίου παῖδες.*

Statim deinde Meleagrum cum Althaea de virginis amore collocutum esse coniicio. Antea enim, quam fratrum caedem ulcisceretur, Althaeam semel theatro ostendi plane necesse fuit, neque praeter hoc tempus ullam producendae eius opportunitatem fuisse video. Caussam materiamque eius colloquii ostendit Apollodorus hisce verbis: *Μελέαγρος ἔχων γυναῖκα Κλεοπάτραν, τὴν Ἴδου καὶ Μαρπήσσης θυγατέρα, βουλόμενος δὲ καὶ ἐξ Ἀταλάντης τεκνοποιήσασθαι.* Spartanarum virginum mores Euripides in Atalantae ingenio effingendo repraesentaverat, nec minus Meleager instituta Spartanorum admirabatur, quum procreandae prolis robustioris caussa cum aliena femina cuperet concumbere. Fragmenta huius colloquii exstant satis luculenta. Ex Meleagri enim oratione depromta sunt haecce:

ἡγησάμην οὖν, εἰ παραζεύξειέ τις
χρηστῷ πονηρὸν λέκτρον, οὐκ ἂν εὐτεκνεῖν,
ἐσθλοῖν δ' ἀπ' ἀμφοῖν ἐσθλὸν ἂν φῦναι γόνον.

— — — — — — —

καὶ κτῆμα δ', ὦ τεκοῦσα, κάλλιστον τόδε,
πλούτου δὲ κρεῖσσον· τοῦ μὲν ὠκεῖα πτέρυξ,

παῖδες δὲ χρηστοί, κἂν θάνωσι, δώμασι
καλὸν τὸ θησαύρισμα τοῖς τεκοῦσί τε
ἀνάθημα βιότου, κοὔποτ' ἐκλείπει δόμους.

Contra Althaea, honestatem atque temperantiam, res praestantissimas et in quibus solis cernatur virtus, non robustis corporibus magis quam infirmioribus minusque validis inesse docet:

μόνον δ' ἂν αὐτὰ χρημάτων οὐκ ἂν λάβοις,
γενναιότητα κἀρετήν· καλὸς δέ τις
κἂν ἐκ πονηρῶν σωμάτων γένοιτο παῖς.

Non probavit Meleager matri sententiam suam, quippe quae et Atheniensium mores institutaque coleret et postponi a filio uxorem optimam odiosae viragini aegre ferret: eoque dolore postmodum, quum nova accessisset iniuria, in tantam mater iracundiam exarsit, ut filium devovendo interficere non dubitaret *). Ceterum finita illa contentione, altera cum ducibus, societatem viraginis in venatione recusantibus, ineunda fuit, cuius vestigium apud eundem Apollodorum servatur, quum haecce referat: *Κηφέως καὶ Ἀκταίου* (scribe *Ἀγκαίου*) *καί τινων ἄλλων ἀπαξιούντων μετὰ γυναικὸς ἐπὶ τὴν θήραν ἐξιέναι, Μελέαγρος —— συνηνάγκασεν αὐτοὺς ἐπὶ τὴν θήραν μετὰ ταύτης ἐξιέναι.* Lycurgi regis filii erant Cepheus Ancaeusque, Arcadii, qui suae gentis decus defendisse videntur, feminam secum ad certamina profecturam repudiantes. Unum pro utroque verba facere lex tragoediae iubebat, cui haec tribuo:

ἔνδον μένουσαν τὴν γυναῖκ' εἶναι χρεὼν
ἐσθλήν, θύρασι δ' ἀξίαν τοῦ μηδενός.

Caussam Atalante ipsa dicit: et quidem fortitudinem non minus feminis quam viris decori esse ostendit, neque pudicitiam, si feminae in publico atque inter viros versentur, violari, siquidem lux honestati, tenebrae autem vitiis maxime faveant:

ἡ γὰρ Κύπρις πέφυκε τῷ σκότῳ φίλη,
τὸ φῶς δ' ἀνάγκην προστίθησι σωφρονεῖν.

---

*) Cf. Welck. p. 754.

Tum exercitationem corporis non minus feminis quam viris utilem esse docet:

εἰ δ' εἰς γάμους ἔλθοιμ', ὃ μὴ τύχοι ποτέ,
τῶν ἐν δόμοισιν ἡμερευουσῶν ἀεὶ
βελτίον' ἂν τέκοιμι δώμασιν τέκνα.
ἐκ γὰρ πατρὸς καὶ μητρὸς ὅςτις ἐκπονεῖ
σκληρὰς διαίτας, οἱ γόνοι βελτίονες.

De Spartanorum institutorum utilitate atque honestate hoc quoque loco disceptatum esse apparet. Aperte vero Atalante illorum auctoritate se tutabatur hisce utens Attii verbis:

— — Lacaenae virgines,
Queis magi' palaestra, Eurota, sol, pulvis, labos,
Militia studio est, quam fertilitas barbara).*

Eius, inquit, generis femina, quae sola viros parere solaque libertate uti potest, sola digna est, quam viri diligant et vereantur, multoque praestantior,

Quam invita ancillans, dicto obediens viri.

Contra haec rursus accusator:

Μισῶ γυναῖκας — —, ἐκ πασῶν δὲ σέ,
ἥτις πονηρὰ τἄργ' ἔχουσ' ἔτ' εὖ λέγεις.
— — — — — —
πῶς οὖν ἔτ' ἂν γένοιτ' ἂν εὔτακτος πόλις,
εἰ κερκίδων μὲν ἀνδράσιν μέλοι πόνος,
γυναιξὶ δ' ὅπλων ἐμπέσοιεν ἡδοναί;
ἐκ τῆς ἐπιστήμης γὰρ ἐκπεπτωκότες
κεῖνοί τ' ἂν οὐδὲν εἶεν οὔθ' ὑμεῖς ἔτι**).

Haec paene ad verbum reddiderat Attius, id quod ex hoc versu intelligitur:

---

*) Fragm. inc. trag. n. 24. Ad hanc tragoediam recte retulit Welck. p. 761. Testatur enim Nicolaus in Rhet. gr. ed. Walz. II, 276: ὁ δ' αὖ Εὐριπίδης φιλοσοφῶν τὰς Λακεδαιμονίων κόρας συγγυμνάζεσθαι τοῖς νέοις φησίν, οὐκ ἀκρασίαν κατηγορῶν, ἀλλὰ τὴν ῥώμην ἑκατέροις ἐξ ἴσου διδοὺς ἀνδράσι τε καὶ ἅμα μετ' ἐκείνους ταῖς γυναιξίν.

**) Vulgo οὔθ' ἡμεῖς ἔτι. Valckenarius maluit κεῖναι.

Vagent ruspantes silvas, sectantes feras.

Meleagro, litem dirimenti, haec tribuo:

τό τοι κράτιστον, κἂν γυνὴ κράτιστον ᾖ,
τοῦτ' ἐστὶν ἀρετή· τὸ δ' ὄνομ' οὐδὲν διαφέρει *)
— — — — — — —
δειλοὶ γὰρ ἄνδρες οὐκ ἔχουσιν ἐν μάχῃ
ἀριθμόν, ἀλλ' ἄπεισι, κἂν παρῶσ', ὁμῶς.

Composita lite, omnes una in venatum proficiscebantur. Intervallum temporis carminis canendi opportunitatem dabat, quo finito statim nuntius redire remque gestam coram Oeneo rege exponere potuit. De qua narratione haec refert Macrobius Sat. V, 18: „In Euripidis tragoedia, quae Meleager inscribitur, nuntius inducitur describens, quo quisque habitu fuerit ex ducibus, qui ad aprum capiendum convenerant: in eo hi versus sunt:

*Τελαμὼν δὲ χρυσοῦν αἰετὸν πέλτης ἔπι
πρόβλημα θηρός, βότρυσι δ' ἔστεψεν κάρα,
Σαλαμῖνα κοσμῶν πατρίδα τὴν εὐδαίμονα·
Κύπριδος δὲ μίσημ' Ἀρκὰς Ἀταλάντη, κύνας
καὶ τόξ' ἔχουσα **)· πελέκεως δὲ δίστομον
γένυν ἔπαλλ' ***) Ἀγκαῖος· οἱ δὲ Θεστίου
κόροι τὸ λαιὸν ἴχνος ἀνάρβυλοι ποδός,
τὸν δ' ἐν πεδίλοις, ὡς ἐλαφρίζον γόνυ
ἔχοιεν, ὃς δὴ πᾶσιν Αἰτωλοῖς νόμος."*

Ex certaminis ipsius et victoriae descriptione nonnulla et Attii et Euripidis fragmenta relicta sunt, quibuscum Ovidii quidam versus conspirant. De apro dicta sunt haecce:

„*Frigit aestus, rubore ex oculis fulgens flammeo.*"

Cf. Ovid. v. 284 seqq.:

„*Sanguine et igne micant oculi, riget ardua cervix
Et setae densis similes hastilibus horrent.*

---

*) Orion apud Schneidew. p. 50. et 85. Welck. p. 1599.

**) Cf. Ovid. v. 319 seq.:

„*Ex humero pendens resonabat eburnea laevo
Telorum custos; arcum quoque laeva tenebat.*"

***) Vulgo ἀνέπαλλ'. correxit G. Dindorf.

Fervida cum rauco latos stridore per armos
Spuma fluit: dentes aequantur dentibus Indis:
Fulmen ab ore venit: frondes afflatibus ardent."

Inventus est aper in palude quadam atque inde excitatus:

„*Figit fricantem corpus atrum occulte abstruso in flumine*"*).

Cf. Ovid. v. 333 seqq.:

„*Concava vallis erat, quo se demittere rivi*
Assuerant pluvialis aquae: tenet ima lacunae
Lenta salix ulvaeque leves iuncique palustres
Viminaque et longa parvae sub arundine cannae.
Hinc aper excitus medios violentus in hostes
Fertur" etc.

Deinde varii ducum impetus telorumque iaculatio atque eorundem voces referebantur, velut haec:

ὦ Ζεῦ, γένοιτο καταβαλεῖν τὴν σῦν ἐμέ.

Cf. Ovid. v. 349:

„*Phoebe, ait Ampycides, si te coluique coloque,*
Da mihi quod petitur certo contingere telo."

De eventu pugnae haec retulit Apollodorus: *περιστάντων δὲ αὐτῶν τὸν κάπρον, Ὑλεὺς μὲν καὶ Ἀγκαῖος ὑπὸ τοῦ θηρὸς διεφθάρησαν, Εὐρυτίωνα δὲ Πηλεὺς ἄκων κατηκόντισε. Τὸν δὲ κάπρον πρώτη μὲν Ἀταλάντη εἰς τὰ νῶτα ἐτόξευσε, δεύτερος δὲ Ἀμφιάραος εἰς τὸν ὀφθαλμόν· Μελέαγρος δὲ αὐτὸν εἰς τὸν κενεῶνα πλήξας ἀπέκτεινε.* Huic deinde de victoria duces gratulantur:

„*Gaudent, currunt, celebrant, herbam conferunt donum, tenent:*
Pro se quisque cum corona clarum connectunt caput."

quibuscum componas simillima Ovidii v. 419:

---

*) Nonius: Frigit correpta prima syllaba significat erigit. Quod quale sit nescio. Atrum pro acuum suadente Bothio scripsi.

„*Gaudia testantur socii clamore secundo,*
Victricemque petunt dextrae coniungere dextram."

Hac finita narratione tertium chori carmen interponi potuit. Aptissimus autem locus paeani erat, quo et patriae terrore liberatae felicitas et victoris laus et regis, qui talem filium procreasset, honor celebraretur. Hanc laetitiam continuo litigatio summaque calamitas insecuta est. Reversis enim in scenam ducibus et a rege Oeneo honorifice exceptis *), Thestii filii, iidemque reginae fratres, indigne ferentes, quod spolia Atalantae a Meleagro concessa erant, ad hunc accusandum prodierunt. Qua de re haec scripsit Apollodorus: οἱ δὲ Θεστίου παῖδες, ἀδοξοῦντες, εἰ παρόντων ἀνδρῶν γυνὴ τὰ ἀριστεῖα λήψεται, τὸ δέρας αὐτῇ ἀφείλοντο, κατὰ γένος αὐτοῖς προσήκειν λέγοντες, εἰ Μελέαγρος λαμβάνειν μὴ προαιροῖτο **). Plexippus verba fecisse videtur, cuius orationis hos fuisse versus arbitror:

οὐκ ἦν ἄρ' οὐδὲν πῆμ' ἐλευθέραν δάκνον
ψυχὴν ὁμοίως ἀνδρὸς ὡς ἀτιμία ***).

Respondent enim his Attii versibus:

„*Quis erit, qui me non spernens, incilans probris,*
Sermone indecorans, turpi fama differet?"

Rem ipsam, de qua agitur, eiusdem poetae versus hic designat:

„*Quoius exuvias et coronam huic muneravit virgini.*"

Cf. Ovid. v. 427 seqq.:

---

*) Malalas l. l.: ἀπελθὼν δὲ ὁ Μελέαγρος πρὸς τὸν ἑαυτοῦ πατέρα.

**) Diodorus IV, 34: ἠγανάκτησαν, ὅτι ξένην γυναῖκα προετίμησεν αὐτῶν, παραπέμψας τὴν οἰκειότητα. Hyginus: „Pellemque eius ob virtutem Atalantae virgini donavit, quam Ideus, Plexippus, Lynceus, Althaeae fratres, eripere voluerunt." Althaeae fratres ab aliis Plexippus et Toxeus, Apharei filii Lynceus Idasque appellantur.

***) Cf. Bergkii comment. de Chrysippi libris περὶ ἀποφατικῶν p. 6. et 35. Schneidew. coni. crit. p. 112.

„Protinus exuvias, rigidis horrentia setis
Terga, dat et magnis insignia dentibus ora.
Illi laetitiae est cum munere muneris auctor:
Invidere alii, totoque erat agmine murmur.
E quibus, ingenti tendentes brachia voce,
Pone age, nec titulos intercipe, femina, nostros,
Thestiadae clamant" etc.

Contra Meleager se iure suo spolia, sibi mancipio data, concessisse virgini contendit, neque id factum aut sibi aut affinibus cognatisque suis dedecori esse:

„Remanet gloria apud me, exuvias dignavi
Atalantae dare."

Quem eventum haec habuerit litigatio, accuratissime a Diodoro docemur: *Διόπερ ἀκυροῦντες τοῦ Μελεάγρου τὴν δωρεὰν ἐνήδρευσαν Ἀταλάντην, καὶ κατὰ τὴν εἰς Ἀρκαδίαν αὐτῆς ἐπάνοδον ἐπιθέμενοι τὴν δορὰν ἀφείλοντο. Μελέαγρος δέ, διά τε τὸν πρὸς Ἀταλάντην ἔρωτα καὶ διὰ τὴν ἀτιμίαν παροξυνθείς, ἐβοήθησε τῇ Ἀταλάντῃ. Καὶ τὸ μὲν πρῶτον παρεκάλει τοὺς ἡρπακότας ἀποδοῦναι τῇ γυναικὶ τὸ δοθὲν ἀριστεῖον· ὡς δ' οὐ προςεῖχον, ἀπέκτεινεν αὐτούς, ὄντας τῆς Ἀλθαίας ἀδελφούς.* Conspirant verba Hygini: „Illa cum Meleagri fidem implorasset, ille intervenit, et amorem cognationi anteposuit avunculosque suos occidit." Cum mutuis minationibus eos, qui litigaverant, e conspectu theatri abisse putandum est, ut eventus facile posset praevideri. Metum igitur eorum, quae futura erant, et anxietatem chorus carmine, quod quartum cantandum fuit, declaravit. Interim Althaea intus diis gratias agebat donaque obferebat, quod patriam domumque regiam malo liberassent. Statim deinde corpora interfectorum in scenam reportata sunt: excitata est clamore Althaea, resque, quomodo acta esset, nil tale opinanti exposita. Cf. Ovid. v. 444 seqq.:

„Dona deum templis, nato victore, ferebat,
Quum videt exstinctos fratres Althaea referri.
Quae, plangore dato, moestis ululatibus urbem
Implet, et auratas mutavit vestibus atris.
At simul est auctor necis editus, excidit omnis
Luctus, et a lacrimis in poenae versus amorem est."

Althaeae verba haec sunt:

„Timida eliminor
Clamore, simul vox nota ad aures accidit."

Ex narratione autem nuntii unum servatur fragmentum:

σιδηροβριθές τ' ἔλαβε δεξιᾷ ξύλον.

Furorem Althaeae Attii versus describit hic:

„Heu, cor ira fervit coecum! amentia rapior ferorque."

De ratione ultionis deliberans, stipitis recordatur fatalis:

„Eum sibi fati internecionem fore,
Ubi torris esset interfectus flammeus."

Praestantissimus narrationis Ovidianae locus est, quo pietas cum iracundia in matris animo pugnans describitur. Hunc imitatione de Euripidis opere expressum esse haec Attii Euripidisque fragmenta testantur:

„Quae vastitudo haec aut unde invasit mihi?"

— — — — — — —

„Nunc si me matrem mansues misericordia
Capsit?" — —

τερπνὸν τὸ φῶς μέν, τὸ δ' ὑπὸ γῆν ᾅδου σκότος
οὐδεὶς ἑκὼν ἂν εἵλετ' ἄνθρωπος μολεῖν *).
ἐγὼ μὲν οὖν, γεγῶσα τηλικήδ', ὅμως
ἀπέπτυσ' αὐτὸ κοὔποτ' εὔχομαι θανεῖν.

Postquam vicit ira et devotus est filius atque combustus inspectante theatro coram diis publicis (*ἀντήλιοι θεοί* fragm. 22.) fatalis titio, in scenam redit rex, seroque cognita duplici calamitate —

τὸ μὲν ἐν φῷ, τὸ δὲ κατὰ σκότος κακόν —

mittit festinanter famulum, qui de filii vita se certiorem faciat:

„Cave lassitudo poplitum cursum levet,
Laborem aut minuat itiner ingressum via."

ὡς ἡδὺ δούλοις δεσπότας χρηστοὺς λαβεῖν
καὶ δεσπόταισι δοῦλον εὐμενῆ δόμοις.

---

*) Vulgo *οὐδ' εἰς ὄνειρον οὐδεὶς ἀνθρώπους μολεῖν*. Varias aliorum coniecturas refert Matthiaeus. In primo versu *μέν* pro *μοι* reposui.

Moribundus in scenam refertur Meleager, sic lamentans:

ὁρᾷς σὺ νῦν δή μ', ὡς ἐπράϋνας, τύχη.

Inutilem dicit esse pompam funeris:

τοὺς ζῶντας εὖ δρᾶν· κατθανὼν δὲ πᾶς ἀνὴρ
γῆ καὶ σκιά· τὸ μηδὲν εἰς οὐδὲν ῥέπει.

Chori verba haec fuisse suspicor:

φεῦ, τὰ τῶν εὐδαιμονούντων ὡς τάχα στρέφει θεός.

Idem Oeneum consolatur:

„*Erat virile istuc, adversam ferre fortunam facul.*"

Huius aegritudinem sic exprimit Ovid. v. 528 seqq.:

„*Pulvere canitiem genitor vultusque seniles*
Foedat, humi fusus, spatiosumque increpat aevum.
Nam de matre manus diri sibi conscia facti
Exegit poenas acto per viscera ferro."

De Althaeae morte voluntaria Diodorus consentit; Cleopatrae neuter facit mentionem, qua in re Euripidem secuti esse videntur. Ceterum haec intus agi necesse fuit. Ad Oeneum autem in scena versantem Diana descendit, cuius praedictionibus finem actionibus impositum esse ex hoc fragmento cognoscitur:

εἰς ἀνδροβρῶτας ἡδονὰς ἀφίξεται
κάρηνα Τυδεὺς γέννσι Μελανίππου σπάσας.

Unde etiam filiarum Tydei in aves mutandarum mentionem factam esse coniicias.

Magnam fuisse huius tragoediae apud veteres laudem honoremque ex clarissimorum scriptorum commemorationibus apparet. Et Aristophanes quidem illam semel in Avibus (v. 829.), ter in Ranis (v. 864. 1240. 1316.) respexit, Aristoteles bis (Rhet. III, 9, 4. et de poet. aud. apud Macrob. V, 18.). His adde Lucianum, Demetrium Phalereum (fragm. 2.), Macrobium (fragm. 3.), Pseudoplutarchum cum Diodoro, Apollodoro, Hygino, grammaticis et scholiastis. Imitati sunt Attius atque Ovidius: nec non etiam Scirae comici Meleager (quem commemorat Athenaeus IX. p. 402. B.) in Euripidei operis depravatione versatus esse videtur. Accedunt artificum signa, quorum reliquiae exstant plurimae, sed maxime insignia tria Romae anaglypha (Capitol., Al-

ban. et Borghes.), quibus omnibus fere eaedem actiones exhibentur. Primum enim Meleager conspicitur, adstante una Furia, Thestiadas interficiens, quorum alter iam prostratus est, sed nihilominus exuvias retinet, alter cummaxime transfoditur. Deinde Althaea ostenditur, adstante et Furia et Parca una, titionem in accensum arae ignem imponens. Lauro ornata est ara, unde Althaeam paullo ante de victoria diis gratulatam esse coniicias. Tertio loco Meleager moribundus, in lecto cubans, conspicitur. Adsunt et pater et coniux et sorores et Atalante, variis modis omnes dolorem significantes. Dubitari non potest, quin Aristoteles, Poet. c. 13. praestantissimarum numero tragoediarum Meleagrum nominans, Euripidis fabulam dixerit, quandoquidem Sophoclei operis rarissima est commemoratio, et Antiphontis, qui ab Ol. 93, 3 florere coepit, Meleagrum solus Aristoteles commemoravit. Utriusque poetae fabulae opere Euripidis adeo obscuratae sunt, ut mythographi omnes in enarranda fabula, ne Homerum quidem potiorem illo testem esse ducentes, illius Meleagrum secuti sint. Longissime autem inter se discrepant Euripidis et Homeri narrationes: quae discrepantia non temere ab Euripide effecta est. Necesse enim fuit pro bello populorum controversiam singulorum fingere, si quis vellet res gestas Meleagri ad simplicitatem temporis revocare: et sic reliquae quoque mutationes ex dramaticae poeseos conditione pendebant.

C. Oeneus.

Argumentum rectissime quidem omnium, sed nimis breviter, scholiastes Aristophanis ad Acharn. v. 417. retulit. Uberius paullulo Hyginus c. 175. exposuit, qui tamen in eo, quod ex Ilio, non ex Thebis, reducem fecit Diomedem, sine dubio erravit. Ostendunt enim fragmenta ipsa fabulae, verum esse quod scholiastes atque Apollodorus (I, 8, 6.) tradiderunt. Euripidem enim hic quoque secutus esse videtur, exceptis iis, quae ex alia narratione re-

cepit, quae est apud Pausaniam (II, 25, 2.). Attii tragoediam, quae Diomedes inscribitur, eandem atque Euripidis Oeneum fuisse vidit Welckerus p. 589. His igitur utentes auxiliis, iam ad partes fabulae describendas fragmentaque interpretanda aggredior.

Prodit Diomedes, mutata veste, a Thebis atque ex Epigonorum bello rediens, et salutata terra patria de patris sui Tydei, unius de septem ducibus, qui Thebas oppugnando occiderint, interitu, de bello, quod patrum ulciscendorum caussa filii eorundem ducum susceperint, tum de belli eventu et reditu suo, de avi sorte, quem interim, dum ipse abest, regno pulsum ab Agrii filiis, miserum egenumque errare audivit *), denique de consilio suo exponit. Explorandi enim caussa, relicto Argis exercitu, se, comitante Sthenelo, ignotum omnibus, reversum esse ostendit, ut, invento sene miserrimo, regnum paternum sive armorum vi sive aliqua arte recuperare conetur.

Ὦ γῆς πατρῴας χαῖρε φίλτατον πέδον
Καλυδῶνος, ἔνθεν αἷμα συγγενὲς φυγὼν
Τυδεύς, τόκος μὲν Οἰνέως, πατὴρ δ' ἐμός,
ᾤκησεν Ἄργος, παῖδα δ' Ἀδράστου λαβὼν
συνῆψε γένναν — — —
— — — — — —
„*Ogygia moenia*" **)

---

*) Scholiast. Aristoph. l. l.: *Γέγραπται τῷ Εὐριπίδῃ δρᾶμα Οἰνεύς. Μετὰ δὲ τὸν θάνατον Τυδέως καὶ ἐπιστράτευσιν Διομήδους κατὰ Θηβαίων ἀφῃρέθη τὴν βασιλείαν Οἰνεὺς ὑπὸ τῶν Ἀγρίου παίδων καὶ περιῄει ταπεινός.* Apollod. l. l.: *οἱ δὲ Ἀγρίου παῖδες, Θέρσιππος, Ὄγχηστος, Πρόθοος, Κελεύτωρ, Λυκωπεύς, Μελάνιππος, ἀφελόμενοι τὴν Οἰνέως βασιλείαν τῷ πατρὶ ἔδωκαν.* Minus accurate ab Agrio ipso Oeneum regno pulsum esse tradit Hyginus hisce verbis: „Agrius, Partaeaonis filius, ut vidit Oeneum fratrem orbum liberis factum, egentem regno expulit atque ipse regnum possedit. Interim Diomedes, Tydei filius et Deiphyles, ut audivit avum suum regno pulsum, pervenit in Aetoliam cum Sthenelo, Capanei filio" etc. Cum extremis congruunt Apollodori verba: *ὕστερον δὲ Διομήδης ἐξ Ἄργους παραγενόμενος μετ' ἄλλου κρύφα.*

**) Festus p. 178 ed. Müll.: „Ogygia moenia Accius in

— — — — — —

ἐγὼ δὲ πατρὸς αἷμ' ἐτιμωρησάμην
σὺν τοῖς ἐφηβήσασι τῶν ὀλωλότων.

Redit deinde ad illum Sthenelus, explorandi caussa locis finitimis peragratis, nuntiatque se sermones quosdam agricolarum aucupando Oeneum invenisse. Suspenso gradu se adrepsisse auremque admovisse dicit: *ἀκρίζων, ἄκροις ποσὶν ἐπιπορευόμενος, Εὐριπίδης Οἰνεῖ:* Hesychius.

„*Simul aurem attendi, ut quirem exaudire amplius.*"

Videtur autem Oeneus, impatiens contumeliarum, quibus perpetuo afficiebatur, e carcere effugisse atque, dissimulato nomine dignitateque sua, servilia ministeria sub agresti aliquo domino subisse. Itaque quum quotidie cum grege famulorum in agros ad opus faciendum mitteretur, fieri potuit, ut, forte inventus, ex certis quibusdam indiciis a Sthenelo agnosceretur. Ille statim grex in scenam proditurus est chorique functurus munere, id quod praedici a Sthenelo videtur hisce verbis:

„*Unde omnia perdisci ac queuntur percipi*" *).

Advenientibus operariis, Diomedes Sthenelusque, quo commodius possint voces sermonesque rusticorum subauscultari, oculis eorum se subducunt; finito autem cantu, qui pro parodo esset, in conspectum redeunt, sermonem cum Oeneo conserturi, qui, quamvis otium sibi ad satisfaciendum peregrinis esse neget, tamen, ductus dulcedine conquerendorum malorum, de iis, quae perpessus est, fusius exponit:

σχολὴ μὲν οὐχί· τῷ δὲ δυςτυχοῦντί πως
τερπνὸν τὸ λέξαι κἀποκλαύσασθαι πάλιν.

Contumeliarum Apollodorus exemplum refert hisce verbis: *καὶ προςέτι ζῶντα τὸν Οἰνέα καθείρξαντες ᾐκίζοντο.* Ex ipsius operis fragmento cognoscitur, propositum in convi-

---

Diomede appellans significat Thebas, quia eam urbem Ogygus condidisse traditur."

*) Fragm. inc. n. 27.

viis esse pro scopo senis caput, quod, haustis poculis, vini parte, quae relicta esset, domini ferirent, quod ludi genus Graecis usitatum erat:

πυκνοῖς δ' ἔβαλλον Βακχίου τοξεύμασιν
κάρα γέροντος, τὸν βαλόντα δὲ στέφειν
ἐγὼ 'τετάγμην, ἆθλα κότταβον διδούς *).

His adde fragm. Attii:

— — — — — „*ita*
Fletu et tenebris constipatus speciem
amisi luminis."

His expositis excusatione usus est senex ea, quam Aristophanes in Acharnensibus imitatus est sic:

— — *ἀλλ' ἄπειμι· καὶ γάρ εἰμ' ἄγαν*
ὀχληρός, οὐ δοκῶν γε, κοιράνους στυγεῖν.

Neque tamen dimittit Diomedes, sed ulterius exquirit: cui miranti eo insolentiae hostes progressos esse Oeneus haec respondet:

ὅταν κακοὶ πράξωσιν, ὦ ξένοι, καλῶς,
ἄγαν κρατοῦντες κοὐ νομίζοντες δίκην
δώσειν, ἔδρασαν πάντ', ἐφέντες ἡδονῇ.

ΔΙΟΜΗΔΗΣ.

σὺ δ' ὧδ' ἔρημος ξυμμάχων ἀπόλλυσαι;

ΟΙΝΕΥΣ.

πολλοὶ παρῆσαν, ἀλλ' ἄπιστοι, Θεσσαλοί **)
— — — — — —
οἱ μὲν γὰρ οὐκέτ' εἰσίν, οἱ δ' ὄντες κακοί·
— — — — — —
ὡς οὐδὲν ἀνδρὶ πιστὸν ἄλλο πλὴν τέκνων·
κέρδους δ' ἕκατι καὶ τὸ συγγενὲς νοσεῖ.

His auditis Diomedes quis sit aperit:

„*Adsum apud te, genitor.*"

---

*) Athenaeus XV. p. 666. C: *κότταβος δ' ἐκαλεῖτο τὸ τιθέμενον ἆθλον τοῖς νικῶσιν ἐν τῷ πότῳ, ὡς Εὐριπίδης ἐν Οἰνεῖ λέγων οὕτως κτλ.* Cf. Welck. p. 586., qui imitationem contumeliarum, quas Ulysses a sponsis passus est, his inesse recte animadvertit.

**) Fragm. inc. 194. Cod. Ven. schol. Aristoph. Plut. 521: *καὶ Εὐριπίδης ἐν 'Ινοῖ.* Saepissime formae *'Ινοῖ* et *Οἰνεῖ* inter se permutatae sunt.

Oenei laetitiam ridicule imitatus esse Aristophanes videtur in Acharn. vv. 885 seqq.:

ὦ φιλτάτη σὺ καὶ πάλαι ποθουμένη,
ἦλθες ποθεινὴ μὲν τρυγῳδικοῖς χοροῖς,
φίλη δὲ Μορύχῳ — — —
— — — — — —
σκέψασθε, παῖδες, τὴν ἀρίστην ἔγχελυν,
ἥκουσαν ἕκτῳ μόλις ἔτει ποθουμένην.
προςείπατ' αὐτήν, ὦ τέκνα — — —

Maiori scilicet gaudio perfundebatur senex, quam quod pectore solus contineret, et ad societatem laetitiae chorum invitabat. Deinde multus fuit in laudando adhortandoque nepote:

ὅςτις δὲ τοὺς τεκόντας ἐν βίῳ σέβει,
ὅδ' ἐστὶ καὶ ζῶν καὶ θανὼν θεοῖς φίλος *).
— — — — — —
σὺ τὸν τρέφοντα νῦν τρέφοις — —.
„*Benigne et pro beneficio largi atque ampliter!*"

Et Diomedes se haec praestiturum esse pollicetur:

„*Et, qualis fuerit, fama clarescat tua.*"

Quamobrem statim se Argos ad arcessendum exercitum belloque hostes vincendos rediturum esse dicit:

„*Ergo med Argos referam (nam hic sum gnobilis),*
Ne cui cognoscar noto." — —
— — — — — —
„*Multa amittuntur tarditate et socordia.*"

Magnum temporis spatium, quod, donec invasione facta proelio decertaretur **), necessario intercedebat, uno chori carmine expletum esse quominus statuamus, nil impedit. Itaque tota rerum gestarum series statim finito carmine a nuntio potuit explicari: cuius narrationis fragmentum, ex Attii opere depromtum, hoc servatur:

*) Fragm. inc. 241.

*) Hyginus l. l.: „et armis contendit cum Opopa, Agrii filio." Pro Opopa an L y c o p e o scripserit Hyginus, quae nominis forma apud Apollodorum invenitur, aliis disquirendum relinquo.

„*Passimque praeda pecua balabant agris*"— unde imparatos inopinatosque hostes oppressos esse apparet. Agrii filios eo proelio occidisse plane necesse est: quorum quidem nomina praeter unius, qui summae praeerat, vix commemorata esse opinor.

Narrationem carmen chori tertium excepit. Deinde Diomedes ex proelio rediit. Qui postquam avo sibique ipsi, quod tyranni saevissimi crudelitate liberati sint, gratulatus est —

— — — „*fere exantlavimus*
Tyranni saevum ingenium atque exsecrabile" —

exponit ea, quae victoriam insecuta sunt. Populares enim omnes statim ab Agrio desciverunt, ut solent homines rebus secundis quemadmodum lapis magnes ferro trahi:

— — — τὰς βροτῶν
γνώμας ἐπισπῶν ὥςτε Μαγνῆτις λίθος,
τὴν δόξαν ἕλκει καὶ μεθίστησιν πάλιν *).

Simul Sthenelum, ut Agrium caperet atque in supplicium adduceret, recta ad regiam profectum esse ostendit. Crudelitatem in supplicio sumendo adhibendam esse censet Diomedes, refragante Oeneo, qui profecto non mendicorum numero ab Aristophane poneretur **), nisi sapere in rebus adversis didicisset ac more philosophorum res humanas despiceret. Diomedi haec tribuo:

οὐ δεινὰ πάσχειν δεινὰ τοὺς εἰργασμένους ***).

Magnopere enim hunc contendisse, ut crudelitatem in fratre avus exerceri pateretur, haec Oenei verba declarant:

„*Si unquam praepediar, gnate, tu ne attenderis*
Petere a me, quod nefas sit concedi tibi."

---

*) Ingens interpretum trepidatio circa haec verba tolli posse mihi visa est ἐπισπῶν pro σκοπῶν reponendo. Supplendum esse videtur vocabulum ὁ πλοῦτος.

**) Acharn. 418:
τὰ ποῖα τρύχη; μῶν ἐν οἷς Οἰνεὺς ὁδὶ
ὁ δύςποτμος γεραιὸς ἠγωνίζετο;

***) Fragm. inc. n. 180. et 181.

Victus avi constantia atque sapientia, Diomedes Agrium arcessiturus abit. Interponitur chorus quartus. In medio constitutus Agrius satis inanibus argumentis caussam defendit. Regnum usurpare dicit quibuscunque occupandi retinendique facultas sit. Neque enim omnibus eam esse abstinentiam, ut opes potentiamque despiciant:

ἀλλ' ἄλλος ἄλλοις μᾶλλον ἥδεται τρόποις.

Contra Oeneus non opibus homines neque generis nobilitate, sed sola virtute nobilitari ostendit:

ἡ φύσις ἑκάστῳ τοῦ γένους ἐστὶν πατρίς *).

„*Non genu' virum ornat; generis vir fortis loco*" —

neque violentia, sed iustitia regnum quaerendum esse:

— — *ἄρχεσθαι χρεὼν*
κακοὺς ὑπ' ἐσθλῶν καὶ κλύειν τῶν κρεισσόνων **).

Non interfectum esse Agrium, sed in exsilium missum, ipsumque sibi mortem conscisse, recte tradidisse videtur Hyginus, quum scholiasta Aristophanis illum interfectum esse strictius quam verius scripserit: *Ἄγριον μὲν ἀνεῖλε, τὴν βασιλείαν δὲ Οἰνεῖ παρέδωκε.* Illius verba haec sunt: „*Agrium egentem e regno expulit* atque Oeneo avo suo regnum restituit. Postque Agrius, regno expulsus, ipse se interfecit." Conspiciebatur igitur Agrius in eandem miseriam detrusus, in qua antea fuerat Oeneus, fracto animo abiectoque et ad mortem sibi inferendum paratus, admonente choro, ut patienter ferret quae pateretur meritissima:

ἀνέχου πάσχων· δρῶν γὰρ ἔχαιρες ***).

Ante Euripidem eandem materiam exornaverat Pherecydes Lerius, qui vocabatur *γενεαλόγος*, id quod refert Schol. Il. ξ, 120****). Tragicorum num quisquam praeter Euripidem idem argumentum tractaverit, ignoratur. Huius vero opus quanta laude floruerit, non solum ex Aristophanis obtrectatione, sed etiam ex summorum auctorum, velut

---

*) Fragm. inc. n. 13. p. 435. Matth.
**) Fragm. inc. 41.
***) Fragm. inc. 102. Vulgo *ἀνάσχου*.
****) Cf. Welck. p. 583 seq. Matth. p. 238.

Aristotelis (Rhet. III, 16, 7.), Platonis (Ion. p. 533. D.), et grammaticorum satis frequentibus commemorationibus, ex summi poetae Attii imitatione aliisque testimoniis aestimare licet. Respexit ad idem Ovidius Heroid. IX, 153:

— *„solio sedet Agrius alto:*
Oenea desertum nuda senecta premit."

Denique Timocles Comicus versibus quibusdam apud Athen. p. 223., quibus utilem esse docet tragoediam ad vitam moresque regendos, Oenei exemplum senibus miseris, quo se consolarentur, proposuit:

γέρων τις ἀτυχεῖ; κατέμαθεν τὸν Οἰνέα.

D. Syleus.

Hercules, gravi morbo de Iphiti nece correptus, quum Delphos adisset, responsum tulit fore morbi finem, si triennium totum venditus servitutem serviisset atque aestimationem corporis sui pro piaculo Iphiti filiis reddidisset. Quo oraculo edito, Mercurius, rogante Hercule, ipsum pro servo vendidit. Haec retulit Apollodorus II, 6, 3. idemque inter tempus servitutis Syleum in Aulide, qui peregrinos ea iter facientes terram fodere cogeret, ab Hercule, refossis ab radice vitibus, interfectum esse una cum Xenodice filia tradidit memoriae: cum quo conspirat Diodorus IV, 31. In Pelii montis vicinia Syleum habitasse etiam Proclus p. 221, 33. et Photius 186, 17. testantur, unde coniecturam Matthiaei, *ἐν Λυδίᾳ* pro *ἐν Αὐλίδι* apud Apollodorum reponere volentis, repudiandam esse intelligitur.

Philonis Iudaei opera fit, ut structuram dramatis agnoscere atque demonstrare possimus: plura enim de illo p. 681 seq. excerpsit. Praeterea narratio argumenti etiam in Crameri Anecd. II, 7. servatur, additis his verbis: *ἔστι δὲ τὸ τοιοῦτον Εὐριπίδου δρᾶμα.* Prodit igitur Mercurius Herculem ducens, quem venditurus est, exponitque illa de Iphiti nece, de poena, quam dare Hercules illius liberis constituerit, deque suo officio, quod pro servo amicus sibi vendendus sit, de quibus rebus videas Diodorum atque

Apollodorum l. l. exponentes. Iam, domino Herculem emendum adducturus, monet, ne nimis feroci vultu esse velit, sed humili ac verecundo, quo emturi minus deterreantur:

οὐδεὶς δ' ἐς οἴκους δεσπότας ἀμείνονας
αὑτοῦ πρίασθαι βούλεται· σὲ δ' εἰςορῶν
πᾶς τις δέδοικεν· ὄμμα γὰρ πυρὸς γέμεις,
ταῦρος λέοντος ὣς βλέπων πρὸς ἐμβολήν.
— — — — — —
τό τ' ἦθος αὐτὸ τοῦτό σου κατηγορεῖ
σιγῶντος, ὡς εἴης ἂν οὐχ ὑπήκοος,
τάσσειν δὲ μᾶλλον ἢ 'πιτάσσεσθαι θέλων.

Huic colloquio parodos subiungenda fuit. Chorum ex satyris constitisse, quos captos Syleus ad agros suos colendos cogeret, consentaneum est. A quibus de Sylei re domestica edoctus Mercurius, huic Herculem tradere constituit. Prodit Syleus, et conspecto mancipio examinatoque, ne ignavus parumque operibus faciendis idoneus sit, veretur. Refutat Mercurius:

ἥκιστα φαῦλος, ἀλλὰ πᾶν τοὐναντίον,
πρόσχημα σεμνὸς κοὐ ταπεινός, οὐδ' ἄγαν
εὔογκος, ὡς ἂν δοῦλος, ἀλλὰ καὶ στολὴν
ἰδόντι λαμπρὸς καὶ ξύλῳ δραστήριος.

In eandem sententiam Hercules ipse quaedam disputat:

ἐγὼ δ' ἐν αὑτῷ *) καὶ κλύειν ἐπίσταμαι
ἄρχειν θ' ὁμοίως, τἀρετῇ σταθμώμενος
τὰ πάντα **).

Vendito amico Mercurius abit: Hercules statim cum satyris vineam fodere iubetur ***). Syleus in aliam quandam agrorum partem, peregrinos, quos in servitutem redegit, ad opus faciendum compulsurus, abit. Fodit vineam Hercules sic, ut vites singulas cum radicibus exstirpet: tum

*) Vulgo ἐγὼ δ' ἐμαυτῷ.

**) Philo l. l.: πάλιν τὸν αὐτὸν σπουδαῖον οὐχ ὁρᾷς, ὅτι οὐδὲ πωλούμενος θεράπων εἶναι δοκεῖ, καταπλήττων τοὺς ὁρῶντας, ὡς οὐ μόνον ἐλεύθερος ὤν, ἀλλὰ καὶ δεσπότης ἐπόμενος τοῦ πριαμένου;

***) Grammaticus in Crameri Anecd. II, 7: Ἡρακλῆς, πραθεὶς Συλεῖ, ὡς γεωργὸς δοῦλος ἔσταλται εἰς τὸν ἀγρὸν τὸν ἀμπελῶνα ἐργάσασθαι κτλ.

manipulis vitium factis onus tergo imponit et in villam intro aufert*). Interim satyri, saevum tyranni ingenium ferosque mores ostendentes, multis cum lacrimis de infortunio suo conqueruntur. Quorum narratione audita Hercules miseros consolatus, ipse corpus quieti daturus in villam se confert:

βαυβῶμεν εἰςελθόντες· ἀπόμορξαι σέθεν
τὰ δάκρυα.

Sequitur alterum chori carmen, quo spes salutis per Herculem impetrandae a satyris significari potuit. Redit deinde Hercules ex domo, maximos afferens panis orbes, et sine mora taurorum praestantissimum Iovi immolat. Tum, cella vinaria effracta, ianuam pro mensa apponit, dolio autem pulcerrimo aperto convivium et comissationem laetissimam instituit **). Saltantibus et laetitia gestientibus satyris Syleus intervenit et vehementi ira exardescit, videns iacturam rerum et servi socordiam, dominum contemnentis. At ille, nihil mutato vultu, neque propter ea, quae patravit, demissior

κλίθητι, inquit, *καὶ πίνωμεν· ἐν τούτῳ δέ μου*
τὴν πεῖραν εὐθὺ λάμβαν', εἰ κρείττων ἔσῃ ***).

Ad hanc eandem invitationem refero fragm. inc. 135:

οἶνος περάσας πνευμόνων διαῤῥοάς.

Supplicia minitante Syleo, Hercules nil se his terroribus moveri ostendit:

---

*) Apollod. l. l.: *σὺν ταῖς ῥίζαις τὰς ἀμπέλους σκάψας.* Crameri Anecd. l. l.: *ἀνεσπακὼς δὲ δικέλλῃ προῤῥίζους τὰς ἀμπέλους, νωτοφορήσας τε αὐτὰς εἰς τὸ οἴκημα γεωργοῦ τοῦ ἀγροῦ κτλ.*

**) Grammaticus in Cram. Anecd. l. l.: *ἄρτους τε μεγάλους ἐποίησε καὶ τὸν κρείττω τῶν βοῶν θύσας καὶ τὸν πιθεῶνα διαῤῥήξας καὶ τὸν κάλλιστον πίθον ἀποπωμάσας τὰς θύρας τε ὡς τράπεζαν θεὶς ἤσθιέ τε καὶ ἔπινεν ᾄδων κτλ.*

***) Philo p. 681: *ἐπεὶ γάρ, πριαμένου Συλέως, εἰς ἀγρὸν ἐπέμφθη, διέδειξεν ἔργοις τὸ τῆς φύσεως ἀδούλωτον. Τὸν μὲν γὰρ ἄριστον τῶν ἐκεῖ ταύρων καταθύσας Διὶ πρόφασιν εὐωχεῖτο· πολὺν δὲ οἶνον ἐμφορήσας ἄθρουν, εὖ μάλα κατακλιθεὶς ἠκρατίζετο. Συλεῖ δὲ ἀφικομένῳ καὶ δυςανασχετοῦντι ἐπὶ τῇ βλάβῃ καὶ τῇ θεράποντος ῥᾳθυμίᾳ καὶ ἐπὶ τῇ περιττῇ καταφρονήσει εὐτολμότατός φησι· κλίθητι κτλ.*

πρὸς ταῦτ' ἴτω μὲν πῦρ, ἴτω δὲ φάσγανα,
πίμπρη, κάταιθε σάρκας, ἐμπλήσθητί μου
πίνων κελαινὸν αἷμα· πρόσθε γὰρ κάτω
γῆς εἶσιν ἄστρα, γῆ δ' ἄνεισ' εἰς αἰθέρα,
πρὶν ἐξ ἐμοῦ σοι θῶπ' ἀπαντῆσαι λόγον.

Frustra igitur saevit ac tumultuatur Syleus, frustra familiam concitat, nihil extimescente Hercule: quin etiam ipse servi partes subire iubetur, verbera intentante illo, nisi dictis sit audiens; cf. Phil. p. 681: *τοῦτον οὖν πότερον δοῦλον ἢ κύριον τοῦ δεσπότου ἀποφαντέον, μὴ μόνον ἀπελευθεριάζειν, ἀλλὰ καὶ ἐπιτάγματα ἐπιτάσσειν τῷ κτησαμένῳ καί, εἰ ἀφηνιάζοι, τύπτειν καὶ προπηλακίζειν, εἰ δὲ καὶ βοηθοὺς ἐπάγοιτο, πάντας ἄρδην ἀπολλύναι.* Placentas enim, et quidquid tempestas tulerit fructuum, afferre eum iubet; postremo fluvio ad villam ducto omnia inundat: Cram. Anecd. l. l.: *καὶ τῷ προεστῶτι δὲ τοῦ ἀγροῦ δριμὺ ἐνορῶν φέρειν ἐκέλευεν ὡραῖά τε καὶ πλακοῦντας, καὶ τέλος ὅλον ποταμὸν πρὸς τὴν ἔπαυλιν τρέψας τὰ πάντα κατέκλυσεν.* Inter haec pavorem clamoribus prodere potuerunt satyri, quod esset tertium chori carmen. Perseveranter imperium detrectante Syleo, Hercules arrepto rastro, quo vineam fodere iussus erat (armis enim ut servus carebat) *),

εἶα δή, inquit, φίλον ξύλον,
ἔγειρέ μοι σεαυτὸ καὶ γίγνου θρασύ.

Quibus dictis latronem interficit. Tum de facto sibi ipse gratulatur:

τοῖς μὲν δικαίοις ἔνδικος, τοῖς δ' αὖ κακοῖς
πάντων μέγιστος πολέμιος κατὰ χθόνα.

Messoribus locum nullum in hoc dramate fuisse falli-que Welckerum, qui Syleum ac Messores eandem fabulam fuisse putet, apparet. Praeter Philonem et grammaticum, quem diximus, ad eam respexerunt Eusebius, Artemidorus (fragm. 1.), Eustathius, Stobaeus. Antiquorum vero philosophorum maxime admiratus esse videtur Diogenes Sinopeus, adeo ut etiam factis personam Herculis imitari constituerit.

---

*) Diodorus: *τῷ σκαφείῳ πατάξας ἀπέκτεινεν.*

V.

Continuatur de philosophia morali ac de vita domestica Euripidis.

Non possumus de vita moribusque Euripidis dissertationem absolvere, quin etiam, quae de domestica vita deque uxoribus eius memoriae sunt prodita, examinemus. Grammatici fere omnes quum tristem severumque Euripidem fuisse dicant, tum et congressus hominum vitasse et mulieres odisse affirmant *). Hoc ex specie vultuque viri temere collectum fuisse multa testantur. Primum enim Euripides ipse contrariam sententiam veram rectamque esse docet, commendans comitatem, affabilitatem, quin etiam Venerem cum Gratiis, contra austeritatem et nimium sanctitatis studium ab insolentia proficisci ostendens in Hippolyto **). Idem in Bacchis insipientiam esse docet superbum sapientiae studium:

τὸ σοφὸν οὐ σοφία
τό τε μὴ θνητὰ φρονεῖν,

fugiendos esse viros nimis severos:

σοφὸν δ' ἀπέχειν πραπίδα φρένα τε
περισσῶν παρὰ φωτῶν,

ridendum esse et in tempore insaniendum:

θιασεύειν τε χοροῖς
μετά τ' αὐλοῦ γελάσαι
ἀποπαῦσαί τε μερίμνας κτλ.

neque enim Bacchum probitati contrarium esse:

οὐ γὰρ ὁ θεὸς μὴ σωφρονεῖν ἀναγκάσει
γυναῖκας ἐς τὴν Κύπριν, ἀλλ' ἐν τῇ φύσει
τὸ σωφρονεῖν ἔνεστιν ἐς τὰ πάντ' ἀεί.

---

*) Suidas: *σκυθρωπὸς δὲ ἦν τὸ ἦθος καὶ ἀμειδὴς καὶ φεύγων τὰς συνουσίας, ὅθεν καὶ μισογύνης ἐδοξάσθη.* Adde vitas codicum Med., Vind. etc.

**) Cf. v. 92 seqq.

τοῦτο σκοπεῖν χρή· καὶ γὰρ ἐν βακχεύμασιν
οὖσ' ἥ γε σώφρων οὐ διαφθαρήσεται.

Neque haec dicit tantum, sed etiam exemplis confirmat, quandoquidem et Pentheus, Bacchi contemtor, et Hippolytus, mulierum Venerisque osor, miserrimo modo intereunt. Unde Euripidem, quamvis plerumque vultu gravi ac severo prodiens conspiceretur, quamvis vitaret hominum congressus, quamvis saepe, neglecta re familiari, in insulam Salaminem atque in antrum, ad mare situm, solitarium secederet, tamen neque ab hilaritate neque a voluptate neque a conviviorum licentia abhorruisse apparet. Fuit ille quidem sine dubio alienus a levitate Sophoclis, qua offensum esse Periclem, collegam eius in praetura gerenda, memoria est proditum; sed idem multo magis alienus a morositate, a rusticitate ac duritate, ab affectata castitate et sanctitate. Venustati se habitus, quum iuvenis esset, studuisse testatur apud Aristophanem Thesm. v. 173. Mulierosum eum fuisse scripsit Hieronymus in historicis commentariis apud Athenaeum XIII. p. 557. E. Addit idem Sophoclem, quum quidam ei dixisset Euripidem feminas aversari, respondisse, in tragoediis quidem aversari, at in cubili esse illarum amantissimum. Non persuadetur mihi aut tam perverse de Euripidis tragoediis iudicasse Sophoclem aut, in Aristophanis verba iurantem, serio repetisse quae de mulierum odio comicus iocose criminatus erat. Mulierositatis autem Aristophanes quoque Euripidem accusare videtur illo Ranarum loco, quo Aeschylum, quum Euripides eum Venere ac venustate caruisse dixisset (*οὐ γὰρ ἐπῆν τῆς Ἀφροδίτης οὐδέν σοι*), haec facit respondentem:

μηδέ γ' ἐπείη·
ἀλλ' ἐπὶ σοί τοι καὶ τοῖς σοῖσιν πολλὴ πολλοῦ 'πικαθῆτο,
ὥςτε γε καὐτόν σε κατ' οὖν ἔβαλεν.

Haec verba immensarum criminationum posterioribus fons fuerunt. Et quidem in uxores Euripidis omnes omnem calumniam conferendam esse duxerunt, quoniam ipsius vitae sanctitas ne suspicionem quidem libidinis pati videbatur. Ortum autem et incrementum criminationum grammaticorum notis repraesentatum conspicere licet. Scho-

liastes enim Aristophanis in versibus, quos supra posuimus, nil nisi haec adscripsit: *ἵνα διαβάλῃ τὴν γυναῖκα τοῦ Εὐριπίδου.* Calumniari Aristophanem vere recteque monuit. Idem non uxorem tantum, sed amicum quoque Euripidis, cuius et consilio in componendis et opera in docendis dramatibus uti soleret, calumniis comicorum petitum esse docet ad Ran. v. 944: *ὅτι ἐδόκει δοῦλος ὢν συμπονεῖν αὐτῷ ὁ Κηφισοφῶν, καὶ μάλιστα τὰ μέλη· ὃν καὶ συνεῖναι τῇ γυναικὶ αὐτοῦ κωμῳδοῦσιν.* Ab hoc ad vitae scriptores si te conferas, omnia iam pro exploratis certisque tradi videbis; neque hoc solum isti obstinate affirmant, sed etiam effectum esse libidine uxorum, ut et opprobria Euripides in genus universum mulierum perpetuo funderet et postremo, impatiens dedecoris et cavillationis comicorum, relicta patria in Macedoniam concederet *). Multo etiam magis mirum est quod in cod. Mediol. scriptum est, parum abfuisse, quin instar Orphei manibus mulierum laceraretur: *αἱ δὲ γυναῖκες ἐβουλήθησαν αὐτὸν κτεῖναι, εἰςελθοῦσαι εἰς τὸ σπήλαιον, ἐν ᾧ γράφων διετέλει* **). Hanc quoque fabulam originem ex Thesmophoriazusis Aristophanis duxisse apparet ***). Aliam odii mulierum, quod putant, caussam, ex ipsius Euripidis drama-

---

*) Cod. Havn.: *ἔσκωπτε δὲ τὰς γυναῖκας διὰ τῶν ποιημάτων δι' αἰτίαν τοιάνδε· εἶχεν οἰκογενὲς μειράκιον, ὀνόματι Κηφισοφῶντα· πρὸς τούτῳ ἐφώρα τὴν γυναῖκα ἀτακτοῦσαν. Καὶ τὸ μὲν πρῶτον ἀπέτρεπεν ἁμαρτάνειν· ἐπεὶ δ' οὐκ ἔπειθε, κατέλιπεν αὐτὸς τὴν γυναῖκα, βουλομένου αὐτὴν ἔχειν τοῦ Κηφισοφῶντος.* Thomas Mag.: *φωράσας δὲ τὸν αὐτοῦ ὑποκριτὴν Κηφισοφῶντα ἐπὶ τῇ γυναικί, καὶ τὴν ἐντεῦθεν μὴ φέρων αἰσχύνην, σκωπτόμενος ὑπὸ τῶν κωμῳδοποιῶν, ἀφεὶς τὴν Ἀθήνησι διατριβήν, εἰς Μακεδονίαν ἀπῆρε παρὰ τὸν βασιλέα Ἀρχέλαον.* Eadem Suidas et Moschopulus referunt.

**) Revera eum a mulieribus laceratum esse affirmarunt alii, teste Moschopulo: *ἕτεροι δὲ ἱστόρησαν οὐχ ὑπὸ κυνῶν, ἀλλ' ὑπὸ γυναικῶν αὐτὸν διασπασθῆναι, πορευόμενον ἀωρὶ πρὸς Κράτερον, τὸν ἐρώμενον Ἀρχελάου.*

***) V. 453:

νῦν οὖν ἁπάσαισιν παραινῶ καὶ λέγω
τοῦτον κολάσαι τὸν ἄνδρα πολλῶν οὕνεκα κτλ.

tibus haustam, Philochorus, ut videtur, finxit apud Gellium XV, 20., cuius verba haec sunt: „Mulieres fere omnes in maiorem modum exosus fuisse videtur, sive quod natura abhorruit a mulierum coetu sive quod duas uxores habuerat, cum id decreto ab Atheniensibus facto ius esset, quarum matrimonii eum pertaedebat." Nobilissimas saepe ac potentissimas domus binarum uxorum aemulatione eversas esse Euripides pluribus fabulis demonstravit, quarum antiquissima fuisse Ino videtur: quamobrem illum commisisse quod perniciosum esse pridem ipse docuisset, minime verisimile est. Ceterum in Philochori (vel quisquis ille fuit) commento hoc est boni, quod crimine adulterii prior Euripidis uxor vacat: aliorum enim quorundam testium indiciis stupri non minus illa quam posterior insimulatur; cf. cod. Mediol.: *λέγουσι δὲ αὐτὸν γήμαντα τὴν Μνησιλόχου θυγατέρα Χοιρίλλαν, καὶ νοήσαντα τὴν ἀκολασίαν αὐτῆς, γράψαι τὸ δρᾶμα τὸν Ἱππόλυτον, ἐν ᾧ τὴν ἀναισχυντίαν θριαμβεύει τῶν γυναικῶν, ἔπειτα δὲ ἀποπέμπεσθαι. Λέγοντος δὲ τοῦ γήμαντος αὐτὴν, ὅτι σωφρονεῖ παρ' ἐμοί, δύστηνος εἶ, ἔφη, εἰ γυναῖκα δοκεῖς παρ' ᾧ μὲν τὴν αὐτὴν σωφρονεῖν, παρ' ᾧ δὲ μή. Ἐπιγῆμαι δὲ αὐτὸν δευτέραν, ἣν εὑρὼν ἀκολαστοτέραν, προχειροτέρως εἰς τὴν κατὰ τῶν γυναικῶν βλασφημίαν ἐθρασύνετο.* Suidas et Moschop.: *ἀπωσάμενος δὲ ταύτην, ἔσχε καὶ δευτέραν, καὶ ταύτης ὁμοίως ἀκολάστου πειραθείς, μεταναστὰς ἀπ' Ἀθηνῶν ἦλθε πρὸς Ἀρχέλαον.* Alteri uxori nomen *Μελιττώ* fuit: ceterum utrum ante Choerillam an post illam an una in matrimonio habita sit, non constat *). Certum autem est id unum, Choerillae matrimonio usum esse eo tempore Euripidem, quo Thesmophoriazusas docuit Aristophanes, id est Ol. 92, 3. anno 414. Unde statim mendacii arguuntur qui illius libidinem caussam fuisse Hippolyti fabulae scribendae retulerunt. An credibile est eam, quae iam circa Ol. 87. stupri convicta fuisset, retentam in matrimonio esse ad Ol. 92.? An Aristophanem in ea comoedia, qua summis calumniis patrem

*) Cf. Gellium l. l., Thomam M., Suidam reliquosque vitae scriptores.

maritumque eius exagitavit, qua ipsius nomen turpissime depravavit*), flagitium mulieris, si ullum fuisset, omissurum fuisse putamus? Scilicet opportunitas stupri commemorandi nulla dabatur eo loco, quo foedissima quaeque mulierum facinora recensentur. Sin fingamus Choerillae nomen cum Melittonis permutatum esse a grammaticis, quorum verba supra posuimus; si sumamus Melittonis impudicitiam caussam fuisse Hippolyti fabulae scribendae, et posteriori demum tempore, Thesmophoriazusis iam in theatro exhibitis, Choerillam a Cephisophonte stupratam esse, huius autem mulieris libidine factum esse, ut e patria Euripides decederet: aetatem ipsam mulieris libidini obstitisse videbimus. Tres enim ex Choerilla filios, patre non indignos, Euripidi sublatos esse consentienti scriptorum testimonio traditum est**): quorum minimus natu dramata patris docere coepit Ol. 93, 4. anno 404***). Eo igitur tempore illum triginta annorum fuisse necesse est, natumque eundem fuisse anno 434. Unde matrem eius Euripidi nupsisse ante annum 440. vel Ol. 84, 4. necesse est. Anno autem 407. vel 408. Euripidem in Macedoniam concessisse constat. Ergo Choerilla, quo tempore stuprum passa esse fingitur, plus quinquaginta annos nata erat et plus triginta annos fidem matrimonii incorruptam servaverat. Hoccine credibile est? Purgatam igitur crimine Choerillam esse intelligis. Relinquitur Melitto crimini obnoxia. Potest enim Choerilla paullo post, quam fabula Aristophanis docta erat, e vita discessisse; potest dolor probae mulieri, quum et se et patrem et maritum a poeta impudicissimo indigne tractatos esse audivisset, mortem praematuram attulisse, eaque defuncta Melitto a poeta, grandiori natu, ducta in matrimonium esse. Neque mirer, si minus delectata sit virgo marito et sene et rei familiaris negli-

---

*) Facit enim Mnesilochum patrem Choerillae precantem sic (v. 289.):

καὶ τὴν θυγατέρα Χοῖρον ἀνδρός μοι τυχεῖν
πλουτοῦντος, ἄλλως τ' ἠλιθίου κἀβελτέρου.

**) Suidae, Moschopuli, Thomae M., Vitae cod. Havn. et Mediol.

***) Fratris filium fuisse unus tantum scriptorum Suidas refert; cf. Boeckh. de gr. trag. princ. p. 225.

gente et severo parumque amabili. Aiunt enim eum barbam prolixam aluisse et lentiginosum fuisse *). Et canum se barbatumque esse ipse dicit in Thesm. Aristophanis (v. 190.):

ἔπειτα πολιός εἰμι καὶ πώγων' ἔχω.

Sane quidem hic viri habitus et haec vitae consuetudo deliquio mulieris adulterique libidini idonei fuerunt. Sed a crimine Cephisophon Aristophanis ipsius testimonio liberatur. Intelligitur enim ex Ranis huius, integram usque ad mortem poetae atque actoris amicitiam durasse: quod quomodo fieri potuisset, si in stupro deprehensus caussa fuisset alter alteri patria carendi? Sic crimine utramque Euripidis uxorem liberari vides. Felicissimum autem Choerillae imprimis matrimonium fuisse vel ex Mnesilochi amore atque admiratione, qua generum in Aristophanis fabula prosequitur, suspicari licet.

Haec praemittenda esse duximus contemplandam propondituri didascaliam eam, quae in maritorum iuribus uxorumque fide seu perfidia celebranda manifesto tota versatur. Quippe Ol. 85, 2., anno 438., praetore Glaucide Cressas, Alcmaeonem in Psophide, Telephum atque Alcestidem fabulas una in certamen delatas esse testimonio constat eius, qui argumentum illud Alcestidis scripsit, quod nuper in cod. Vatic. a G. Dindorfio inventum divulgatumque est: ἐδιδάχθη ἐπὶ Γλαυκίδου ἄρχοντος ὀλ. πε'. Πρῶτος ἦν Σοφοκλῆς, δεύτερος Εὐριπίδης Κρήσσαις, Ἀλκμαίωνι τῷ διὰ Ψωφῖδος, Τηλέφῳ, Ἀλκήστιδι **). Quarum fabularum duabus uxores probissimae fidissimaeque, duabus alienatae a viris et cum alienis conspirantes in scenam inducebantur. Alcestis enim mortem oppetit pro marito digno, qui colatur cuiusque saluti suam amici ac propinqui postponant: Alphesiboea etiam minus probum coniugem atque eum, a quo ipsa prodita sit, dignum esse statuit, cui, ut ipse salvus felixque esse possit, suum commodum suumque honorem concedat, quemque eundem

*) Cod. Mediol.: ἐλέγετο δὲ καὶ βαθὺν πώγωνα θρέψαι καὶ ἐπὶ τῆς ὄψεως φακοὺς ἐσχηκέναι.

**) Cf. Glum. de Eur. Alcestide comment. p. 7. et 14. et Dindorf. praef.

interfectum ad inferos sequatur. Clytaemnestra, gravi iniuria laesa ab Agamemnone, cum Telepho, et peregrino et hoste, consilia coniungit. Aerope, nulla affecta iniuria, sed sola libidine impulsa, nefaria perfidia regnum a marito ad adulterum transfert *).

A. Cressae.

Materiam eandem Sophocles atque Euripides tractarunt, sed diversa ratione. Docemur autem de argumentis dramatum, quae interierunt, scholiis, quae sunt ad Euripidis Orest. v. 800. et 989. scripta, quibus locis ad utrumque poetam nominatim provocatur, et Euripidem designari vel inde patet, quod philosophi partes (*ὡς ἂν φιλοσόφου*) Atreo tributas fuisse docemur. Verumtamen ad prooemium dumtaxat pertinent quae ibi referuntur; reliqua ab Hygino supplentur, qui c. 88. haecce refert: „Atreus, Pelopis et Hippodamiae filius, cupiens a Thyeste fratre suo iniurias exsequi, in gratiam cum eo rediit et in regnum suum eum reduxit filiosque eius infantes Tantalum et Plisthenem occidit et epulis Thyesti apposuit. Qui cum vesceretur, Atreus imperavit brachia et ora puerorum afferri: ob id scelus etiam sol currum avertit. Thyestes scelere nefario cognito profugit ad regem Thesprotum" etc. Horum pleraque cum fragmentis conspirant; removendae autem sunt duae res. Primum enim ex filiis Thyestis nonnisi unus puerulus erat, alter adultus cum patre de recuperando regno sermonem conferebat. Deinde ex Sophocle adiectum est solem currum avertisse: Euripides enim tantum abfuit, ut superstitioni suffragaretur **), ut doceret id, quod est, contrarium coelo cursum tenere solem, idque ab Atreo primo hominibus patefactum esse ***). Suidas quoque ad Euripidem respexit referens sola suspi-

---

*) Cf. Schoell. de tetralogiis tragic. Attic. p. 130 seqq.

**) Electr. 737: *λέγεται· τὰν δὲ πίστιν σμικρὰν παρ' ἔμοιγ' ἔχει.*

***) Schol. ad Orest. 989: *πιθανῶς δὲ ὁ Εὐριπίδης τὸν μῦθον παρήρμοσεν· ὁ γὰρ φυσικὸς λόγος τὸν ἥλιον ἀποδείκνυσι τὴν ἐναντίαν πορείαν ἰόντα τῷ οὐρανῷ.*

cione et falsis criminationibus ductum Atreum dolo atque saevitia in fratrem grassatum esse *). Recte autem iam Fabricius Senecae tragoediam, quae Thyestes inscribitur, imitatione Cressarum natam esse intellexit. Certe pleraque de Euripide expressit Seneca, sed nonnulla etiam mutavit: eiecit enim personam Aeropae et inculcavit quaedam ex Sophocle depromta. Ex antiquioribus Romanorum poetis non Ennius tantum (quod pridem a Valckenario cognitum est), sed Attius quoque Cressas latine reddiderat, id quod cum aliis ex rebus tum inde patet, quod apud eum iteratae fraudis Thyesten Atreus accusat:

„*Iterum Thyestes Atreum attrectatum advenit,*
Iterum iam adgreditur me et quietum exsuscitat"—

quodque priores fraudes, quibus aureum agnum regina adiuvante surripuit, pridem vel quondam factae esse narrantur:

„*Agnum inter pecudes aurea clarum coma*
Quondam Thyestem clepere ausum esse e regia,
Qua in re adiutricem coniugem cepit sibi."

Apud Sophoclem enim ea omnia nuperrime facta erant, neque regnum tenens Atreus revocatum ab exsilio fratrem, sed regno ipse privatus regnantem ulciscebatur. Nomina autem posuerunt fabulis Ennius quidem Thyestis, Attius autem Atrei. Utroque nomine etiam Euripidis tragoedia passim citatur, sed frequentius Thyestis **).

His igitur ducibus adiutoribusque utentes, fabulae structuram, qualem fuisse putamus, adumbrare iam conabimur.

Prodit Atreus ac de genere suo, de regno deque fratris contentionibus atque insidiis exponit:

„*En imperio Argis sceptra mihi liquit Pelops,*
Qua ponto ab Helles atque ab Ionio mari
Urguetur Isthmus — — — —
— — — *simul et Pisaea praemia*

---

*) S. v. *Ἀτρέως ὄμματα· ὃς ὑπονοήσας ἐκ διαβολῆς τὸν ἀδελφὸν Θυέστην μοιχεύειν Ἀερόπην κτλ.*

**) Cf. Welck. p. 675 seq., qui quidem Atrei nomen tollere studens frustra laborat.

*Erepta, arrepta a socru possedit suo" *).*
Fratris iniurias commemorans, non satis illum habuisse dicit coniugem suam corrupisse, quo contaminaret stirpem —

„Qui non sat habuit coniugem illexe in stuprum,
Quod in re summa summum periculum esse arbitror,
Matres coinquinari regum, regiam
*Contaminari stirpem, admisceri genus" **)* —

sed regnum quoque per fraudem, adiuvante adultera, surripuisse:

„Addo huc, quod mihi portento coelestum pater
Prodigium misit regni stabilimen mei,
Agnum inter pecudes aurea clarum coma,
Quondam, Thyestem clepere esse ausum e regia,
*Qua in re adiutricem coniugem cepit sibi ***).*

Hanc rem explanat scholiastes fabulae Orestis, quo loco nostrae tragoediae argumentum exponit: *ὁ δὲ Ἀτρεὺς βουλόμενος δεῖξαι, ὅτι αὐτοῦ ἐστὶν ἡ βασιλεία, ἔφη δεῖξαι, ὅτι χρυσόμαλλος ἀρνειὸς αὐτῷ ἐτέχθη. Τούτου δὲ ὑπονοθεύσας τὴν γυναῖκα Θυέστης ἔκλεψε τὸν ἀρνειόν. Μὴ δυνηθεὶς οὖν κατὰ τὴν ὑπόσχεσιν δεῖξαι ὁ Ἀτρεὺς ἔμελλεν ἀφαιρεῖσθαι τὴν βασιλείαν ἐκείνου τὸ ὑπ' αὐτοῦ ὑποσχεθὲν δεικνύντος, εἰ μή, ὡς ἂν φιλόσοφος, ἀπέδειξεν αὐτοὺς ἀσεβοῦντας, εἰ Θυέστην βασιλέα ἕλωνται, τεκμήριον δὲ τῆς βασιλείας τὸν ἥλιον καὶ τὰς Πλειάδας ἐκ δύσεως πορευομένους εὑρίσκοντα. Καὶ οὕτως ἐβασίλευσε καὶ τὸν ἀδελφὸν σφόδρα ἐτιμωρήσατο.* Cum his Euripidis ipsius verba congruunt:

δείξας γὰρ ἄστρων τὴν ἐναντίαν ὁδὸν

---

*) Fragm. inc. apud Both. p. 281. n. 33. et p. 285. n. 62. Attii fragm. n. 5. Cf. Welck. T. I. p. 363.

**) Cf. Senec. II, 239.

***) Cic. Nat. D. III, 27, 68.

δήμους τ' ἔσωσα καὶ τύραννος ἱζόμην

— — — — — —

πᾶς προςκυνεῖ στρέφοντα κύκλον ἡλίου *).

Digna est, quam transscribamus, etiam alterius cuiusdam scholiastae ad eundem versum scripta narratio, qui Euripidis verba accuratissime reddidisse videtur et ad illum nominatim provocat: *φιλονεικίας οὔσης αὐτοῖς περὶ τῆς βασιλείας, παρελθὼν ὁ Ἀτρεὺς ἐπηγγέλλετο δεῖξαι πρὸς τὸ βεβαιωθῆναι αὐτοῦ τὴν βασιλείαν* (cf. „regni stabilimen mei") *χρυσόμαλλον ἐν τοῖς ποιμνίοις αὐτοῦ ἄρνα· ἣν ὁ Θυέστης λάθρα παρὰ τῆς Ἀερόπης αἰτήσας ἔλαβεν. Ὅθεν Ἀτρεύς, ὡς ἀπατήσας τοὺς Ἕλληνας* **), *ἐξεβλήθη τῆς ἀρχῆς, Θυέστης δὲ ἐκράτησεν. Ἀλλ' ὕστερον πάλιν ὁ Ἀτρεὺς φιλονεικίᾳ τῇ πρὸς τοῦτον προςελθὼν ἐπηγγέλλετο δεῖξαι τὸν ἥλιον ἐκ δυσμῶν εἰς ἀνατολὰς τὴν πορείαν ποιούμενον καὶ τὴν Πλειάδα ὁμοίως εἰς ἀνατολὴν ὁρμῶσαν κτλ.*

Ambiguum est, sitne illo demum tempore solis cursus a Iove de industria conversus, ut hoc prodigio alterum prodigium superaretur, an, servante sole cursum, quem perpetuo tenuerat, detexerit tantum aperueritque Atreus naturae institutum populis antea ignorantibus. Eam ambiguitatem de industria ab Euripide quaesitam esse consentaneum est; ceterum conferas Orest. v. 992—997. Electr. v. 725 seqq. et Platon. in Polit. p. 269. A.: *τότε δὲ μαρτυρήσας ἄρα ὁ θεὸς Ἀτρεῖ μετέβαλεν αὐτὸ ἐπὶ τὸ νῦν*

---

*) Euripidis nomen pro Sophoclis apud Achillem Tatium I, 8. s. v. *Ἀερόπης κλοπή* ponendum esse suspicatus est etiam Welckerus T. I. p. 361. Confirmatur haec emendatio altero loco *περὶ σφαίρας* in Petavii Uranolog. p. 122. 140., quo loco Euripidis nomen recte adscriptum est. Ceterum eandem rem, et quidem cum scholiasta, quem diximus, consentiens, refert Strabo I. p. 16, 27. (43. A.): *καὶ βασιλέα νενομίσθαι φησί, καθάπερ Δαναὸν μὲν τὰ ὑδρεῖα τὰ ἐν Ἄργει παραδείξαντα, Ἀτρέα δὲ τοῦ ἡλίου τὸν ὑπεναντίον τῷ οὐρανῷ δρόμον.*

**) Universae Graeciae regem esse Atreum, eaque imperii ratione uti, qua postmodum Agamemnon usus est bellum Troianum administrans, Euripides finxerat.

σχῆμα. Converso sideris cursu, pereundum fuisset populis, nisi, tempestive moniti, quaecunque institutorum publicorum privatorumque ex siderum motu pendebant mutato naturae statui accommodassent *). Simul igitur servati sunt beneficio huius inventionis populi, simulque prodigio edocti, vitio atque invitis avibus Thyesti regnum delatum esse, ut qui prius ostentum in suam domum per fraudem transtulisset. Cum his faciunt scholiastae verba: *ἀπέδειξεν αὐτοὺς ἀσεβοῦντας, εἰ Θυέστην βασιλέα ἕλωνται κτλ.*

Prius igitur regno Atreus ipse spoliatus fuit, quam recuperato imperio fratrem et regno et patria expelleret. Hoc autem exsule atque egeno, Atreus, ut sunt tyranni timidi ac suspiciosi, delatoris cuiuspiam criminationibus aures praebuit insusurrantis Thyesten regno vitaeque ipsius denuo insidiari et clandestina consilia cum regina per internuntios conferre. Tum vero vehementer exarsit ira tyranni:

„*Iterum Thyestes Atreum attrectatum advenit,*
Iterum iam adgreditur me et quietum exsuscitat:
Maior mihi moles, maius miscendum est malum,
Qui illius acerbum cor contundam et comprimam" **).

Quasi igitur ignarus esset fraudis, quam frater parare dicebatur, nuntios ad eum mittere constituit, qui ad reditum in patriam benigne invitarent. Et poenitentiam simulat iniquitatis, qua fratrem regno patriaque privaverit, et regnum exsuli ultro se restituturum esse pollicetur. Haec fingit eo consilio, ut, ubi in plagas devenerit frater, una cum liberis miserrime pessumdet. De his rebus conferendus Seneca, qui illam Atrei orationem imitatus est:

„*Regna nunc sperat mea:*
Hac spe minanti fulmen occurret Iovi,

*) Conf. Eurip. Electr. 731—736.

**) Attii fragm. 13. Cf. Cic. N. D. III, 26: „Quid ille funestas epulas fratri comparans? nonne versat huc et illuc cogitatione rationem? *Maior* etc."

Hac spe subibit gurgitis tumidi minas,
Dubiumque Libycae Syrtis intrabit fretum,
Hac spe, quod esse maximum retur malum,
Fratrem videbit." — — —

Nuntio usus est eo, cui facillime fides haberetur, eique mandavit, ut, si forte Thyestes ipse invitationem sperneret, per liberos eius, laborum atque inopiae impatientes regnique cupidos, impetrare Thyestis reditum studeret:

„*si nimis durus preces*
Spernet Thyestes, liberos eius rudes
Malisque fessos gravibus, et faciles capi,
Praecommovebunt. Hinc vetus regni furor,
Illinc egestas tristis ac durus labor
Quamvis rigentem tot malis subigent virum." *)

Eum nuntium, quisquis est (nam filiis Atrei negotium ab Euripide iniunctum esse credibile non est), non nunc demum mitti (ut est apud Senecam), sed cummaxime redire ac de adventu Thyestis Atreum certiorem facere putandum est. Gratulatur sibi Atreus re ex sententia succedente, simulque exquisito ultionis genere se usurum significat:

„*Nescio, quid animus maius et solito amplius*
Supraque fines moris humani tumet,
Instatque pigris manibus. Haud, quid sit, scio,
Sed grande quiddam est. Ita sit! Hoc, anime, occupa!
Dignum est Thyeste facinus et dignum Atreo" **).

Quibus auditis nuntius sive satelles asperum Atrei animum mitigare studet et ad leniora consilia revocare. Monet igitur, ne iracundiae temere obtemperet —

γνώμης γὰρ οὐδὲν ἀρετὴ μονουμένη —

neve metum firmius, quam benevolentiam, regni praesidium esse putet:

„*Quem metuunt oderunt, quem quisque odit, perisse expetit"* ***).

---

*) Seneca II, 299.
**) Senec. v. 267.
***) Ennii fragm. inc. 15.

Eidem satelliti haec tribuo, quibus Atreum, ne coniugis dedecus divulgare velit, moneat:

λύπη μὲν ἄτῃ περιπεσεῖν αἰσχρᾷ τινι·
εἰ δ' οὖν γένοιτο, χρὴ περιστεῖλαι, καλῶς
κρύπτοντα, καὶ μὴ πᾶσι κηρύσσειν τάδε·
γέλως γὰρ ἐχθροῖς γίγνεται τὰ τοιάδε.

Cui contra Atreus:

„*Oderint*, inquit, *dum metuant*" *).

Regibus enim paucos ait fideles esse —

„*Multi iniqui atque infideles regno, pauci sunt boni*" **) —

itaque benevolentiae confidere ineptum esse:

„*Proin ita parent se in vita, ut vinci nesciant*" ***).

Potentiae omnes invidere et principatus cupidine fortissimos quosque teneri:

ἡ γὰρ τυραννὶς πάντοθεν τοξεύεται
δεινοῖς ἔρωσιν, ἧς φυλακτέον πέρι ****).

His digressis, caterva prodit feminarum Cressarum, Aeropes famularum, quae laetitiam declarare potuerunt, quam ex nuntio de lite regum composita perciperet.

Iam Thyestes ipse cum duobus filiis, Plisthene atque Tantalo, advenit, quorum hic, ut puerulus, muta persona est, ille adultus cum patre sermonem conserit. Thyestes, quondam genere opibusque florens,

„*Tantalo prognatus, Pelope natus, qui quondam a socru*
Oenomao rege Hippodamiam raptis nactu' est nuptiis" †),

nunc humilis, egenus, pannis obsitus conspicitur ††). Spem regni pridem abiecit et contemnere coepit tyrannidem,

---

*) Attii fragm. Atrei n. 9.

**) Attii fragm. n. 16.

***) Cic. Tusc. V, 18, 52.

****) Fragm. inc. n. 139. Matth. Electrae nomen per errorem adscriptum est apud Stob. 47. p. 343.

†) Attius apud Cic. Tusc. III, 12, 26.

††) Aristoph. Acharn. 433: τῶν Θυεστείων ῥακιῶν.

splendidam miseriam *); iam vero, regiae magnificentiam cum sua tenuitate conferentem, etiam pavor et malorum, quae passurus est, praesagium invadit:

„*Egone Argivum imperium attingam aut Pelopis digner domo?*
Quoi me ostendam? quod templum adeam? quem ore funesto adloquar?"**)

— — — — — — —

„*Quam maximum etsi hic mi hodie contigerit malum.*"

— — — — — — —

„*Sed ipse me delectat, ductat Delphicus*" ***).

Contra adolescens, regni splendore obcaecatus, bene sperare iubet ac diis ducentibus confidere. Carere enim omnibus bonis eum, qui opibus careat:

ἐπίσταμαι δὲ καὶ πεπείραμαι λίαν,
ὡς τῶν ἐχόντων πάντες ἄνθρωποι φίλοι.

— — — — — —

πλούτου δ' ἀποῤῥυέντος ἀσθενεῖς γάμοι·
τὴν μὲν γὰρ εὐγένειαν αἰνοῦσιν βροτοί,
μᾶλλον δὲ κηδεύουσι τοῖς εὐδαίμοσιν.

Hunc pater docet felicitatem nunquam nasci ab externis bonis, sed in sola virtute positam esse:

οὐκ ἂν δύναιο μὴ καμὼν εὐδαιμονεῖν,
αἰσχρόν τε μοχθεῖν μὴ θέλειν νεανίαν.
— — — *εἰ δ' ἄτερ πόνων*
δοκεῖς ἔσεσθαι, μῶρος εἶ, θνητὸς γεγώς.

Deorum ait favorem plus valere quam opum magnitudinem:

θεοῦ θέλοντος κἂν ἐπὶ ῥιπὸς πλέοις.

Sperare autem, fore fidam patrui amicitiam, stulti esse:

„*Nulla sancta societas*
Nec fides regni est" ****).

Dum Thyestes, filiorum voluntati obsequens, in eo est, ut in aedes regias intret, senex quidam, a regina missus,

*) Seneca III, 446—470.
**) Attii fragm. n. 7.
***) Ennii fragm. n. 3. et 2.
****) Ennii fragm. inc. n. 14.

ad eum accedit, clam de Atrei insidiis edocturus. Cui timide prodeunti anxieque circumspicienti Thyestes:

„*Quemnam te esse dicam, qui tarda in senecta — ?*" *)

Ille quae comperit quaeque mandata sunt exponit:

„*Ibi secum, quid agat, cogitat, paritat, putat.*"

tum, sonitu aliquo territus, e conspectu se subducit:

„*Sed sonitus aures meas pedum pulsu increpat.*"

Non minus celeriter, quam senex, Thyestes quoque cum liberis aufugisse putandus est, et in deorum aris supplex consedisse. Prodit Atreus, qui, fuga Thyestis cognita, se non dubitaturum esse profitetur hominem improbum ab aris ad supplicium rapere:

ἐγὼ γὰρ ὅςτις μὴ δίκαιος ὢν ἀνὴρ
βωμὸν προςίζει, τὸν νόμον χαίρειν ἐῶν
πρὸς τὴν δίκην ἄγοιμ' ἄν, οὐ τρέσας θεούς **).

Ceterum quin ab uxore nuntius Atreo, ut caveret, submissus sit, non dubitat. Quamobrem in hanc vehementer invehitur. Quippe non satis habuisse, quod, adulterii et proditionis convicta, veniam impetrarit,

„*mulier una duum virum*" ***),

sed iam novas insidias, cum Thyeste conspirantem, struxisse:

„*Ecquis hoc animadvertit?! vincite!*" ****)

Ex eadem oratione depromtae sunt hae sententiae:

οὐ γάρ ποτ' ἄνδρα τὸν σοφὸν γυναικὶ χρὴ
δοῦναι χαλινοὺς οὐδ' ἀφέντ' ἐᾶν κρατεῖν.
πιστὸν γὰρ οὐδέν ἐστιν· εἰ δέ τις κυρεῖ
γυναικὸς ἐσθλῆς, εὐτυχεῖ κακὸν λαβών.

— — — — — —

*) Ennii fragm. n. 9.

**) Welckerum sequor, haec in incertis fragmentis n. 42. posita huc trahentem.

***) Attii fragm. incert. n. 20.

****) Attii fragm. n. 12. Hoc dicere videtur: Quis hoc cogitasset?! Concedo vobis victoriam!

γαμεῖτε νῦν, γαμεῖτε, κᾆτα θνήσκετε
ἢ φαρμάκοισιν ἐκ γυναικὸς ἢ δόλοις.

Aerope arcessita caussam magno animo et fidenti dicit. Ad paterni regni splendorem provocat, ad divitias et famularum multitudinem, quarum pompa deducta sit. Denique negat se recusaturam esse, quin in patriam statim revertatur, si coniugii Atreum poeniteat:

„*Si flaccebunt conditiones, repudiato et reddito*" *).

Sed Atreus neque confidentia mulieris neque precibus movetur, atque deprecanti idem quod apud Aristophanem (Vesp. 763.) Philocleon oranti filio respondet:

— ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ *τοῦτο δὲ*
Ἅιδης διακρινεῖ πρότερον ἢ 'γὼ πείσομαι.

Postremo adiurantem, se coniugi studere neque hoc quidem tempore fidem violasse, re, non verbis declarare voluntatem iubet:

οὐπώποτ' ἔργου μᾶλλον εἱλόμην λόγους.

Nam si mariti salutem, ut dicat, omnibus rebus anteponat, communiter ulciscendum hostem esse, in plagas iam deductum: proinde caedis societatem ne abnuat. Horrente sceleris magnitudinem Aerope deorumque iram verente —

ἐγὼ χάριν σὴν παῖδας οὐ κατακτενῶ —

Atreus spernere se vulgi opinionem ostendit:

ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ τόνδ' ἄπειρον αἰθέρα
καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις;
τοῦτον νόμιζε Ζῆνα, τόνδ' ἡγοῦ θεόν,

quae latine vertit Cicero N. D. II, 25:

„*Vides sublime fusum, immoderatum aethera,*
Qui tenero terram circumiectu amplectitur?
Hunc summum habeto divum, hunc perhibeto Iovem,"

et reddiderat etiam Ennius:

„*Adspice hoc sublime candens, quem vocant omnes Iovem*" **).

---

*) Ennii fragm. n. 6.

**) Cf. Matth. incert. fragm. n. 1. Welck. p. 682. Celebratissima haec apud antiquos fuerunt.

Obstinate infitiante Aerope, simulat sibi persuaderi omnique suspicione se liberatum esse, hoc consilio, ut illius ad fratrem capiendum opera utatur:

„*Impetrem facile ab animo, ut cernat vitalem babulum*" *).

Itaque tanquam bono animo hunc initio arcessierit et novissimo demum tempore delatoris cuiusdam criminationibus a recta via abductus fuerit, uxorem rogat, ut blande invitans fratrem in domum deducat. Ad mutatam animi sententiam manifesto pertinent haecce:

. . *πρὶν ἐκφλῆναί με καὶ μαθεῖν λόγον* **).

Grata Aeropae haec Atrei est voluntas speranti fore, ut decepto penitus marito facultas redeat adulterum amplectendi. Aerope cum Atreo ad Thyestem invitandum digressis, locus fit chori carmini tertio. Redit Atreus hospitem, cui scrupulus exemtus est reginae praesentia, cum liberis eius adducens. Quippe Thyestes, cum falsa sint plurima, quae videantur esse vera, posse putat e contrario etiam verum esse aliquid, quod fidem superare videatur:

ἀλλ' εἴπερ ἐστὶν ἐν βροτοῖς ψευδηγορεῖν
πιθανόν, νομίζειν χρή γε καὶ τοὐναντίον
ἄπιστ' ἀληθῆ πολλὰ συμβαίνειν βροτοῖς.

Reliqua huius colloquii qualia fuerint, cognoscere potes ex Senecae opere (III. v. 512.—545.), quae eius tragoediae pars quin ex Euripide expressa sit, non dubito. Postquam satis sibi gratulatus est Atreus fratre recepto satisque hunc ficta laetitiae significatione delenivit, uxorem cum hoc introire et sine mora convivium parare iubet splendidissimum. Tum vero, captum iam tenens atque constrictum hostem, animi sui sententiam consiliumque aperit:

„*Ergo incipiam, conata exsequar*" ***).

---

*) Ennii fragm. 5. Vulgo vitalem Babium. Deploratum locum esse dicit Bothius, simul commemorans v. l. babulum, quod vocabulum legitur apud Apuleium et significare videtur stultum.

**) Vulgo *πρὶν ἂν ἐκφλῆναί με.* Eadem ratione Schoell T. I. p. 131. hoc fragmentum interpretatur.

***) Attii fragm. n. 14. Vulgo: *Ego incipio. Ergo* scribendum esse vidit Bothius.

Hoc deinde conata sua exsequente, inter ipsam puerorum caedem tonitru sibi audire videtur chorus, horrore atque formidine consternatus:

„*Sed quid tonitru turbida torvo*
Concussa repente aequora coeli
Sensimu' sonere"?*)

Intus enim aguntur quaecunque ad nefarias illas epulas pertinent **). Narrationis earum quaedam satis luculenta fragmenta exstant, primum Attii:

„*Epularum fictor, scelerum fratris delitor.*"
— — „*concoquit partem vapor*
Flammae, lacertae stridunt verubus in foco" ***) —

tum Euripidis ipsius:

[αἵ δεύτεραί πως φροντίδες σοφώτεραι] ****).
τί γὰρ ποθεῖ τράπεζα; τῷ δ' οὐ βρίθεται;
πλήρης μὲν ὄψων ποντίων, πάρεισι δὲ
μόσχων τερείνῃ σαρκὶ χηνεία τε δαὶς †)
καὶ πεπτὰ καὶ κροτητά, τῆς ξουθοπτέρου
πελάνῳ μελίσσης ἀφθόνως δεδευμένα.
— — — — — —
τὰ δ' ἄλλα χαῖρε, κύλικος ἑρπούσης κύκλῳ.

Atrei haec sunt verba, ad cibos sumendos fratrem invitantis. Eidem tribuo haecce:

— νόμος δὲ λείψαν' ἐκβάλλειν κυσίν,

quae dicens partem carnis humanae etiam canibus proiiciebat. Pro clausula nuntius hac sententia usus esse videtur:

*) Attii fragm. n. 6.

**) Horat. A. P. 185: „Ne pueros coram populo Medea trucidet Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus."

***) Cf. Senec. IV, 765 seqq. Scelerum fratris delitor est is, qui fratris scelera maioribus sceleribus, quae ipse perpetravit, oblivioni dedit.

****) Hic versus ex Hippolyto (v. 435.) depromtus apud Athen. XIV. p. 640. praemittitur, neque tamen in hac Atrei oratione ullo modo videtur locum habere potuisse; cf. Welck. p. 684. not.

†) Vulgo cum vitio metri: *μόσχων τέρειναι σάρκες χηνεία τε δαίς.*

„*Ne cum tyranno quisquam epulandi gratia*
Adcumbat mensam, aut eandem vescatur dapem" *).

Iam Thyestem ipsum audimus nefaria, quae passus est, horrentem:

„*Nolite, hospites, ad me adire! illico istim!*
Ne contagio mea bonis umbrave obsit:
Tanta vis sceleris in corpore haeret!"

Cui chorus:

„*Quidnam est, obsecro, quod te adiri abnutas?*" **)

Rursus ille:

„*Impius hortatur me frater, ut meos malis miser*
Manderem natos" ***).

— — — — — — —

„*Heu mihi, Fortuna, ut omnia in me conglomeras mala*" ****).

Prodit ipse Atreus, ut miserrimi omnium mortalium dolore oculos pascat, neque solum non infitiatur scelus:

„*Nunquam istam imminuam curam infitiando tibi*" †),

sed etiam laetatur facto:

„*Natis sepulcrum ipse est parens*" ††).

Quod peieraverit, nil curat: itaque fratri exprobranti:

„*Fregistine fidem?*"
„*Neque dederam* (inquit) *neque do infideli cuiquam*" †††).

Iterum igitur Thyestes, sed sexcenties, quam fuerat antea,

---

*) Attii fragm. n. 4.
**) Ennii fragm. apud Cic. Tusc. III, 12. de orat. III, 41.
***) Attii fragm. 11.
****) Ennii fragm. 4.
†) Attii fragm. n. 15.
††) Attii fragm. n. 10.
†††) Attii fragm. n. 8.

miserior, in exsilium proficiscitur, et quidem horrendis exsecrationibus diras fratri imprecans:

„*Ipse summis saxis fixus asperis, evisceratus,*
Latere pendens, saxa spargens tabo, sanie et sanguine atro.

— — — — — — —

Neque sepulcrum, quo recipiat, habeat, portum corporis,
Ubi, remissa humana vita, corpus requiescat malis" *).

Hoc fabulae argumentum mirum quantum congruit cum iis, quae in Aeschyli Agamemnone v. 1583—1602. referuntur, sive haec ipsa Euripides respexit sive eundem uterque auctorem secutus est **). A quibus multum discrepabant quae exhibuerat Sophocles. Statim enim, cum Atreus a minori natu fratre, adiuvante uxore adultera, exutus esset regno, poenam sumsit crudelissimam, tres Thyestis filios, quibus nomina erant Aglaus, Orchomenus et Calaeus, epulandos fratri apponendo ipsumque insuper interficiendo, uxorem autem in mare praecipitando ***). Neque in recuperando regno a Iove ipso vel eius ostentis Atreus, sed sola ultionis saevitia adiutus est. Cursum autem sol non iussu Iovis avertit, ut esset voluntatis divinae significatio, sed horrore retro cessit, nefariarum epularum adspectum fugiens. Haec ratio plus valere ad hominum animos commovendos visa est poetis, velut Senecae, Ovidio, Statio, illa eruditis hominibus probata est, ut Platoni, Polybio, Straboni aliisque ****), quod fore Euripides ipse praeviderat ostenderatque in Electra v. 726 seqq. Ceterum longe Sophoclem Euripide inferiorem fuisse ex ipsa argumenti conformatione existimare licet. Euripidis hoc imprimis laudandum est, quod non simplici, sed iterata iniuria tantam iracundiam inflammari tamque immanem ultionis saevitiam

*) Ennii fragm. n. 11. et 12. Cf. Cic. in Pis. c. 19. Horat. Epod. V, 86: misit Thyesteas preces.

**) Cf. schol. ad Orest. 988.

***) Cf. schol. ad Eurip. Orest. v. 800 et 16.

****) Cf. Welck. T. I. p. 361.

excitari fecit. Vehementissime enim ad crudeliter ulciscendum homines impelli solent tum, quum clementia usi se contemni atque eludi putant. Prudenter etiam rem sic instituit, ut insons Thyestes mulcaretur utque, quum rebus adversis edoctus esset non male vivere qui nascens moriensque falleret, liberatus ipse regnandi cupidine, a liberis ad perniciem duceretur: haec enim aptiora sunt ad misericordiam movendam, quam si in ipso scelere deprensus plecteretur. Scitum illud quoque est, quod Aerope eo ipso tempore, quo salutem Thyestis et liberorum eius impetrasse sibi visa est, consilium Atrei adiuvat et malitiae opitulatur. Nam Aerope suadente Thyestem ab aris discessisse et in aedes intrasse plane necessarium est, neque colloquio Atrei atque Aeropes quidquam proficeretur, nisi hunc haberet eventum. In personarum moribus, imprimis Atrei atque Thyestis, exprimendis plane singularis Euripidis ars conspicitur. Philosophus uterque est, nactus autem est ex philosophia ille divinarum, hic humanarum rerum despicientiam. Ille, ut physicus, qui rerum cognovit caussas et naturae portarum effregit claustra,

„*Quem neque fama deum nec fulmina, nec minitanti*
Murmure compressit coelum,

audentem contra tollere oculos", cum religione simul legum reverentiam omnem exuit. Mirabiliter autem physica et mythica miscebat Euripides, simul philosophi officio et poetae perfungens. Notarunt hoc veteres interpretes ad eum Orestis fabulae locum, quo, Anaxagoram secutus, quum solem massam esse dixisset inter coelum terramque mediam pendentem*), cum hoc physicorum invento Tantali supplicium ita miscuit, ut, utram sententiam probaverit, dignoscere nequeas **). Simili modo iis, quae de cursu solis in

---

*) *Μόλοιμι τὰν οὐρανοῦ*
μέσον χθονὸς τεταμέναν
αἰωρήμασι πέτραν,
ἁλύσεσι χρυσέαισι
φερομέναν δίναι-
σι βῶλον ἐξ Ὀλύμπου.

**) Cf. supra p. 100.

Cressis explicaverat, aeque philosophis atque vulgo satisfecerat, atque Atreo docti eiusdemque auguris tribuerat munera. Nulla in his cernitur poetae inconstantia. Ambiguitas enim rebus ipsis et menti humanae inest, neque cuiquam mortalium, multis in hac re elaborantibus, contigit, ut religionem philosophiamque satis prospero cum eventu conciliaret. Quare Euripides hoc sibi efficiendum esse putavit, ut, suam utraque tenente provinciam, rectam sentiendi agendique viam homines ingrederentur.

Atreus igitur, cum saeva ulciscendi cupido nullo deorum timore coerceretur, effrenata licentia ultioni indulsit. Accessit superbia dominatus, et quae animi perturbationes cum iniustitia necessario coniunctae sunt, metus atque suspicio. Etenim, ut ait Cicero, qui se metui volunt, a quibus metuentur, eosdem metuant ipsi necesse est. Suspicio autem, cum ipsam veri similitudinem, tanquam ad occultandas plagas consulto paretur, timeat, non tollitur ullis veritatis documentis, sed nutritur. Itaque quod Thyestes invitationi obtemperat, hoc ipso delatoris criminationes confirmat, quodque Aerope supplicium eius deprecatur, hoc ipso conspirationem confiteri videtur. Aerope autem formae venustate Helenam paene aequasse, levitate etiam superasse videtur, quarum illa efficiebatur, ut etiam gravissimis delictis veniam impetraret, hac, ut fides ei derogaretur, etiamsi vera dicere videretur. Venustatis documentum est, quod, commisso scelere, non est ab Atreo repudiata. Aeropes ullas fuisse in hac tragoedia partes praeter colloquium, quod exposuimus, non est veri simile, quamquam et epigramma quoddam Anthol. Pal. VI. n. 316.*) et versus Aristophanis Ran. 849.**) huic coniecturae favere videntur. At enim errat scholiastes Aristophanis, ad hanc tragoediam illa referri putans: neque enim *γάμοι ἀνόσιοι* ulli ei inerant neque Creticis monodiis colligendis locus erat; epigrammate autem, quod diximus, Euripidem re-

---

*) *Ἀερόπης δάκρυον διερῆς καὶ λείψανα δείπνων*
δύσνομα καὶ ποινὴν ἔγραφεν Ὠφελίων.

**) *Ὦ Κρητικὰς μὲν συλλέγων μονῳδίας,*
γάμους δ᾽ ἀνοσίους εἰσφέρων εἰς τὴν τέχνην.

spici nemo docet. Multo vero minus, quam haec, quae diximus, locum habuerunt ea, quae schol. Soph. Ai. 1269. refert, Aeropen, stuprum a quodam patris satellite passam, Nauplio a patre traditam esse in mari demergendam, ab hoc deinde Plistheni concessam esse, eoque defuncto in coniugium venisse Atrei. Ipse enim titulus tragoediae his contradicit, quae ex Plisthene Euripidis petita esse ostensurus sum.

Restat, ut veterum de laude huius tragoediae testimonia proferamus. Aristophanes, gravissima quaeque in ridicula convertere solitus, totam Thyestis coenam imitatus erat in Proagone, id quod et ex scholiastae ad Vesparum v. 61. testimonio et ex fragmentis ipsis intelligitur, velut hocce:

ἐγευσάμην χορδῆς ὁ δύστηνος τέκνων,

cf. Bergk. fragm. Aristoph. p. 249 seq. Idem τὰ Θυέστεια ῥάκη irrisit Acharn. v. 433. et uno versu abusus est in Vesp. 759. Aristoteles et versus quosdam ex hac fabula depromtos dissertationibus suis inseruit, et pulcerrimarum numero fabularum posuit Thyestem atque Telephum, hac ipsa nominum consociatione Euripidis potissimum opera a se respici significans. Omitto Athenaeum, Epictetum, Plutarchum, Lucianum reliquosque, qui ex Cressis versus vel servarunt vel respexerunt. Sententiarum celebratissima fuit ea, qua Iuppiter idem esse atque coelum docetur*).

Romanis Ennii Attiique imitationes adeo satisfecerunt, ut horum quidem multa, Euripidis nulla ab iis mentio fieret. De Attio digna memoratu Gellius XIII, 2. refert hisce verbis: „Cum Pacuvius grandi iam aetate et morbo corporis diutino affectus Tarentum ex urbe Roma concessisset, Attius, tunc haud parvo iunior, proficiscens in Asiam, cum in oppidum venisset, devertit ad Pacuvium, comiterque invitatus plusculisque ab eo diebus retentus tragoediam suam, cui Atreus nomen est, desideranti legit. Tum Pacuvium dixisse aiunt sonora quidem esse quae scripsisset et grandia, sed videri ea tamen sibi duriora paullum et acerbiora. Ita est, inquit Attius, ut dicis. Neque id sane

*) Vide Matth. fragm. inc. n. 1. Bothe fragm. Thyest. n. 1.

me poenitet: meliora enim fore spero quae deinceps scribam. Nam quod in pomis est, itidem, inquit, esse aiunt in ingeniis: quae dura et acerba nascuntur, post fiunt mitia et iucunda; sed quae gignuntur statim vieta et mollia atque in principio sunt uvida, non matura fiunt, sed putria." Attiano Atreo saepius tanquam luculentissimo furoris dominationisque exemplo utitur Cicero, velut de orat. III, 58., Tusc. IV, 36., Off. I, 28., itemque Horatius Od. I, 16, 17. Eiusdem personam Aemilius Scaurus repraesentaverat tragoedia quadam, cui nomen inscripserat Atrei: cuius moribus quum Tiberium notasse videretur, hic dicens, quoniam ipse ab eo Atreus factus esset, se contra illum facturum Aiantem, mortem sibi consciscere iussit *). Videtur hic quoque Euripidem imitatus esse, id quod a Seneca factum esse apparet. Ne artifices quidem fabulam Euripidis neglexerunt. Testimonio est amphorae pictura, quam reddidit Millingen tab. 23. **), qua repraesentatur Thyestes, canitie barbae insignis, in ara sedens, et Aerope cum Atreo eum benigne invitando deducere in hospitium studentes. Super Atreum Furia, super Thyesten atque Aeropen Venus cum Cupidine positae sunt sublimes. Sic plena est antiquitas testimoniorum praestantiae fabulae Euripideae; de Sophocle autem *οὐδεὶς λόγος*, neque praeter tres versus quidquam ex eius tragoedia servatum est.

B. Alcmaeon in Psophide.

Argumentum huius fabulae non solum apud Apollodorum III, 7, 5., sed etiam apud Pausaniam VIII, 24, 4. exstat. Fragmentorum numerus exiguus servatur, qui tamen paullo uberior redditur additis fragmentis Attii, cuius Alcmaeonem sive Alphesiboeam (duobus enim nominibus unam fabulam significari pridem vidit Bothe in mus. Rhen. V. p. 252.) ex Euripidis fabula expressam fuisse patet ex hoc versu:

*) Dio Cass. LVIII. p. 634. E.

**) Welck. p. 683.

„*si tui veretur te progenitoris, cedo*,"
cum fragmento vicesimo ad verbum conveniente:

εἴπ', εἰ τεκόντος οὐδὲν ἐντρέπει πατρός.

Quam contra Welckerus sibi deprendere visus est similitudinem versus huiusce:

„*postremo amplexa fructum, quem di dant, cape*,"

cum Sophoclis incerto fragmento:

θεοῦ τὸ δῶρον τοῦτο· χρὴ δ' ὅσ' ἂν θεοὶ
διδῶσι φεύγειν μηδέν', ὦ τέκνον, ποτέ,

eam, si attenderis, nullam esse videbis. Sophoclis enim verborum idem est sensus, qui Homerici illius dicti (Il. γ, 65.):

οὔτοι ἀπόβλητ' ἐστὶ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα.

Apud Attium autem neque *dotes* neque *dona*, sed *fructus* nominantur, quo vocabulo *merces* vel *proventus* significatur. Nimis autem cupide Welckerus ex ista, quam putabat, similitudine coniecit ex Alcmaeonis aliqua Sophoclis fabula illos versus depromtos esse, eamque latine conversam esse ab Attio. Atqui de Sophoclis Alcmaeone tam pauca tamque incerta sunt testimonia, ut magnopere, ne nunquam fuerit, verear. Facile enim Sophoclis nomen pro Euripidis aut etiam pro Theodecti vel Achaei vel Astydamantis vel Chaeremonis, a quibus omnibus scriptae Alcmaeonis sive Alphesiboeae fabulae fuisse traduntur *), substitui potuit. Certe quem Priscianus, fabulae nomine non addito, tanquam Sophoclis citat versum:

'Αλφεσίβοιαν , ἣν ὁ γεννήσας πατήρ,

eum prologo Euripideae fabulae vindicandum esse video.

Rerum status eo tempore, quo res agi finguntur, hic est. Alcmaeon cum, et patris mandatis et Apollinis oraculo impulsus, matrem interfecisset, furiis agitatus Psophidem, Arcadiae urbem, pervenit ad Phegeum. A quo lustratus expiatusque, filiam eiusdem Alphesiboeam uxorem duxit, cui etiam monile ac peplum dono dedit. Postea autem cum nihilominus fame et pestilentia propter eum populus premeretur, consultus Apollo respondit, recessuras ab eo

---

*) Vide Diog. Laert. II, 42. Aristot. Poet. XIV, 6. Athen. XIII. p. 608. (453.)

matris furias esse neque amplius persecuturas nactum eam terram, quae novissima nata esset, e mari emergens. Nactus igitur Acheloi quandam adluvionem, ibi habitavit duxitque in matrimonium Acheloi filiam Callirrhoen *). Mox autem Callirrhoe, misera cupidine monilis peplique habendi flagrans, negavit se cum Alcmaeone coituram, nisi Eriphyles mundum, ab Alphesiboea repetitum, sibi attulisset. Consentaneum est etiam domo pulsum esse Alcmaeonem ab Acheloo, ita ut durissima necessitate coactus Psophidem ad mundum repetendum rediret **).

Haec prooemio ab Alcmaeone ipso, Psophidem reverso, theatro exposita esse fragmenta testantur. Matris necem commemorans, patris mandatis minisque facinus excusat:

μητέρα κατέκταν τὴν ἐμήν, βραχὺς λόγος,
ἑκὼν ἑκοῦσαν ἢ οὐ θέλουσαν οὐχ ἑκών.
— — — — — —
μάλιστα μέν μ' ἐπῆρ' ἐπισκήψας πατὴρ ***),
ὅθ' ἅρματ' εἰςέβαινεν εἰς Θήβας ἰών
— — — — — —
ἀτεκνίαν — — *γῆς τ' ἀκαρπίαν*
ἀρᾶτο ****).

Ad lustrationem per Phegeum factam referuntur verba haecce:

— — *αἷμα γὰρ τὸ μητέρος*
ἀπενίψατ' †) — — —

*) Cf. Thucyd. II, 102. Plutarch. Exs. p. 602: *ὁ δ' Ἀλκμαίων ἰλὺν νεοπαγῆ τοῦ Ἀχελῴου προςχωννύντος ἐνῴκησεν, ὑποφεύγων τὰς Εὐμενίδας, ὥς οἱ ποιηταὶ λέγουσιν.* Expiavit Achelous hoc ipso, quod intra aquarum suarum fluctus humumque adluvione natam recepit; cf. Ovid. Met. IX, 413.

**) Pausan. l. l. *ἄκοντα.*

***) Ad hunc versum respexit Aristoph. Nub. 43.

****) Schol. ad Aristot. Eth. III, 1, 8: *καὶ καταρασομένου αὐτοῦ, εἰ μὴ ἀποκτείνῃ, ἀκαρπίαν τε γῆς καὶ ἀτεκνίαν.*

†) Sic emendanda videntur quae in Bekkeri Anecd. T. III. p. 194. leguntur:

αἷμα γὰρ (φησὶ) σὸν μήτηρ ἀπενίψατο, addita interpretatione: *τουτέστι καθάρσει τινὶ τὸν τῆς μητροκτονίας ἀπενίψατο μολυσμόν.* Cf. Welck. p. 577. et 1590.

Matrimonium commemoratur fragmento, quod Sophoclis esse fertur:

'Αλφεσσίβοιαν, ἣν ὁ γεννήσας πατήρ.

Potuit deinde Alphesiboea statim ipsa prodire, cuius benignitate Alcmaeon in domum reduceretur patrique commendaretur.

Tum choro prodeundum fuit sive catervae virginum popularium, Alphesiboeae aequalium, quae, divulgata fama de Alcmaeonis reditu, eum in domum rursus receptum esse mirarentur. Harum enim carmen et colloquium imitatus est Aristophanes in Equit. v. 1300 seqq., virginibus triremes substituendo:

φασὶν ἀλλήλαις ξυνελθεῖν τὰς τριήρεις εἰς λόγον,
καὶ μίαν λέξαι τιν' αὐτῶν, ἥτις ἦν γεραιτέρα·
οὐδὲ πυνθάνεσθε ταῦτ', ὦ παρθένοι, τἀν τῇ πόλει;

Extremum quidem versum ex Euripidis fabula decerptum esse testatur scholiasta; sed totam orationem ad similitudinem Euripideae compositam esse apparet. Indignatae enim sunt virgines, quod homo nefarius (*ἀνὴρ μοχθηρός*), alterius feminae matrimonio iunctus, ad desertam coniugem priorem redire ausus esset et veniam delicti se impetraturum esse speraret:

ταῖς δὲ δόξαι δεινὸν εἶναι τοῦτο κοὐκ ἀνασχετόν,
καί τιν' εἰπεῖν, ἥτις ἀνδρῶν ἆσσον οὐκ ἐληλύθει·
ἀποτρόπαι', οὐ δῆτ' ἐμοῦ γ' ἄρξει ποτ', ἀλλ', ἐάν με χρῇ,
ὑπὸ τερηδόνων σαπεῖσ', ἐνταῦθα καταγηράσομαι.

Redit cum Phegeo ex aedibus Alcmaeon. Ostendendo atque ob oculos ponendo malorum suorum multitudinem magnitudinemque misericordiam excitare studet Alcmaeon. Nam conscientiae cruciatibus etiamnunc se confici dicit:

„*Ita territa membra animo aegroto*
Cunctant subferre laborem."

Rursus domo pulsum propter piaculum, recta huc contendisse:

ἥκω δ' ἀτενὴς ἀπ' οἴκων.

Monente rege, ut rem ordine planius enarret, vix se mentis ait compotem esse, tantis malis obrutum:

— — — „*In malis*
Meus etsi est depositus animus, quae scibo, exinde audies."

Tum fictum oraculum commemorans, quo mundum Eriphyles, ab Alphesiboea repetitum, Delphos perferre atque Apollini dedicare iubeatur *), sic praefatur, quasi sit rem ancipitem, difficilem molestamque dicturus. Quod dictum ad obscuritatem oraculi a Phegeo refertur:

„*Quid ita? tamne obscure dictum, tamve inenodabile?*" **)

His expositis omnibus precibus a Phegeo petit Alcmaeon, ut monile cum peplo reddi patiatur. Caussam malorum omnium dicit Apollinem esse, cuius oraculis Oedipus et filii Oedipi non tantum ipsi interierint, sed etiam ad se perniciem transtulerint:

ὃς Οἰδίπουν ἀπώλεσ', Οἰδίπους δ' ἐμὲ
χρυσοῦν ἐνεγκὼν ὅρμον εἰς Ἄργους πόλιν ***).

Tum per affinitatem eum perque priora in se collata beneficia obtestatur:

σὺ δ', ὦ γεραιέ, τήνδε παῖδα δοὺς ἐμοὶ
γαμβρὸς νομίζει καὶ πατὴρ σωτήρ τ' ἐμός ****).

Cunctante ac tergiversante Phegeo hocce dicere ille potuit:

„*Tantum ut frustrando lactans, vanans protrahas.*"

Recusante igitur obstinate Phegeo, generosissimo animo Alphesiboea, pro marito nil non tolerare volens, se mundo sponte cedere ostendit. Etiam invidiam deorum timendam esse putat, si retinere velit quae tanquam sua Delphicus deus sibi vindicet:

---

*) Servatur apud Athen. VI. p. 232. oraculum, quod insaniae liberationem Alcmaeoni pollicetur hac conditione, ut mundum Delphos deportet.

**) Cf. Welck. I. p. 282.

***) Cf. Schneidewinum Coniect. crit. p. 104. Welck. p. 1590. Oedipus pro filio suo Polynice nominatur.

****) Vulgo: καί σ', ὦ γεραιέ, τήν τε. Porsoni emendationem cum Welckero admisi.

βροτοῖς τὰ μείζω τῶν μέσων τίκτει νόσους,
θεῶν δὲ θνητοὺς κόσμον οὐ πρέπει φέρειν.

Sic igitur cum quae volebat impetrasset Alcmaeon, cum monili et peplo abiit.

Interpositus est chorus, cuius hoc exstat fragm.:

γυναῖκα καὶ ὠφέλειαν
καὶ νόσον ἀνδρὶ φέρειν μεγίσταν
ἐδίδαξα τὠμῷ λόγῳ.

Tum famulus Alcmaeonis, quem prioribus temporibus in Phegei familia fuisse putandum est, evocato Phegeo, dolum Alcmaeonis aperit, non Apollini, sed Callirrhoae mundum reportari ostendens *). Quo nuntio audito, vehementissima Phegei ira exardescit, qui filios Temenum atque Axionem advocat, reque exposita ignaviam eorum increpat, quod non extemplo ad interficiendum perfidum ulciscendamque patris iniuriam contendant:

„*Atque eccos segnis somno et tarditudine!*"

Vires sibi optat esse eas, quibus quondam usus sit iuvenis:

— — — — — „*quia*
Nec vos nec ille impune inrideret meam
Grandaevitatem."

Tandem illis ad persequendum puniendumque Alcmaeonem se paratos esse ostendentibus, quomodo hostis ex insidiis invadendus sit, praecipit**):

„*Sed tibi cautim est adeundum ad virum.*"

Filiis profectis, locus datur tertio chori carmini. Hoc excipit nuntii narratio, pugnam caedemque exponentis. Qui, quoniam famuli perfidia Alcmaeon interierat, hac uti sententia pro clausula narrationis potuit:

ὅςτις δὲ δούλῳ φωτὶ πιστεύει βροτῶν,
πολλὴν παρ' ἡμῖν μωρίαν ὀφλισκάνει.

Laetitiam et gratulationem Phegei significant haecce:

---

*) Apoll. l. l.: *μηνύσαντος δὲ θεράποντος.*

**) Pausan. l. l.: *δολοφονηθέντα.* Apollod.: *ἐνεδρευθεὶς ἀναιρεῖται.*

„*Ut me depositum et moerentem nuntio*
repentino alacrem
Reddidisti, ac me excitasti ex luctu in
laetitudinem."

Corpore mortui in scenam reportato, prodit Alphesiboea, nunc demum de iis, quae gesta sunt, certior facta. Quae planctibus et lamentis non solum mariti, sed suam quoque et liberorum suorum sortem deplorat:

„*Odiosum hostificumque diem ob vim*
turbamque adspectumque horribilem!"

— — — — — — —

„*Cum ipsa simitu miseritudo meorum est*
illa liberúm" *).

Crudelitatem impietatemque patri exprobrat:

„*quis ducat esse, te cum socerum vi-*
derit,
Generis tanta impietate?"

Fratres autem parricidas appellat neque minus improbos, quam fuerit Alcmaeon:

„*At vereor, cum fratrem Alcmaeoni te*
esse factis dedicas."

Quin etiam mortem se iis illaturam esse minatur per filios Alcmaeonis superstites:

„*Duos deseruit liberos superstites.*"

Huc respexit Propertius I, 14 (15), 15. hisce versibus:

„*Alphesiboea suos ulta est pro coniuge fratres,*
Sanguinis et cari vincula rupit amor,"

conatum mulieris instar facti dicens.

Pater cum sedare commotum filiae animum frustra studuisset neque efficere potuisset, ut haec fidem iuraque coniugialia pietati postponeret —

εἴπ', εἰ τεκόντος οὐδὲν ἐντρέπει πατρός,
„*si tui veretur te prognatoris, cedo*" **) —

---

*) Vulgo: cum ipsa sim eta miseritudo eorum ulla est liberum. Ceterum filios Alcmaeoni non tantum de Callirrhoe, sed etiam de Alphesiboea natos fuisse intelligitur ex Pausan. VI, 17, 4. Neque tamen hi patruos interfecerunt, sed communitatem eorum vitantes demigrarunt.

**) Alterum de altero versum expressum esse vidit Bergk.,

tandem, minis illius territus, ipse filiis auctor fit sororis tollendae. Sarcasmus inest verbis, quibus poenam irrogat:

„*Postremo amplexa fructum, quem di dant, cape.*"

Licebat autem patri de filia supplicium sumere, cuius non caussa solum, verum etiam necessitas esset. Timendum enim erat, ne, aut Alphesiboea coniugem ulciscente, aut fratribus huius ultionem praevertere studentibus, liberi se invicem interficerent. Genus autem supplicii delegit id, quo uti solebant qui, ne caede manus contaminarent, cruorem eius, quem interficiebant, haurire nolebant. Vivam igitur muris concludi iussit.

Forti et constanti animo Alphesiboeam ad mortem profectam esse putandum est, commiserante choro. Ex nuntii narratione exstat fragmentum hocce:

— — — — — „*sede,*
Angustitate saxi inclusa, squalida."

Postremo deum aliquem intervenisse puto, qui Alphesiboeam merita laude afficeret, patrem consolaretur, fratres autem, ut piaculo se solverent, monile cum peplo in templum Apollinis Delphos perferre iuberet. Ex huius oratione depromta esse videntur haec:

„*quod ii interdiu inferam* *)
Penitus interpressam altis clauserunt specis."

Ceterum abfuisse ab hac tragoedia puto caedis commemorationem, qua Temenus atque Axion a Callirrhoes liberis (Amphotero atque Acarnane) interfecti esse dicuntur. Aliter enim ab aliis traditum fuisse colligitur ex Pausaniae loco, quem supra citavimus.

Longe diversam viam ad huius fabulae reliquias interpretandas disponendasque ingressus est Welckerus, Sophocli tribuens quae manifesto Euripidis sunt, et posse huius tragoediae structuram ex fragmentis coniici desperans. Mecum autem consentit Schoell in libro, quem de

---

quem non refutavit Welckerus p. 582. Ceterum libri *ἐπεὶ* et *ἐπ' οὐ* pro *εἴπ' εἰ.*

*) Vulgo: *quod dii interdum.*

tragica Graecorum poesi scripsit, T. I. p. 132 seqq., qui quidem et argumentum fabulae idem fuisse censet et fragmenta eadem ratione interpretatur, quae quin vera sit ratio, neminem iam fore spero qui dubitet.

De rebus personisque pauca monenda sunt. Exemplar amoris pietatem vincentis Alphesiboeam proposuit Euripides, cuius amoris hoc magis admirabilis vis est atque robur, quod aemulam habebat Callirrhoen, forma adeo excellentem, ut Iovem ea tactum esse quidam tradiderint, quodque huius ornandae ditandaeque caussa se ipsam a coniuge spoliatam esse videbat. At enim fido et constanti amore se a coniuge dilectam esse meminerat, antequam et populi voluntate et dei iussu e terra pelleretur, et veniam dabat necessitati, qua ille Callirrhoae gratificari cogebatur. Testis est Ovidius Rem. 455:

„*Amphilochi fràter ne Phegida semper amaret,*
Callirrhoe fecit parte recepta tori."

Ceterum aemularum tam patientes erant probae mulieres, ut Andromache se non solum amoribus harum suffragatam esse, sed etiam mammam infantibus ex his natis praebuisse glorietur (Androm. 222.). Solebant enim pellicibus uti praestantissimi et clarissimi quique viri, neque nonnulli etiam cum binis uxoribus matrimonia iunxerant. Mariti autem amori quin hoc tribuendum fuerit, ut necem eius ulcisceretur, non est dubitandum, modo ne, cum huic officio satisfaceret, laesisset pietatem. Hae mulieris virtutes plane contrariae sunt vitiis, quibus et Eriphyle, mater Alcmaeonis, et Callirrhoe, uxor eiusdem, coniuges suos perdiderunt *).

Alcmaeon, ut excusari, ita non purgari potest, fidissimam coniugem decipiens et per fraudem quaerens id, quod impetrare ingenuitate potuisse videtur. Sed consulto Euripides, quo magis splenderet Alphesiboeae virtus, illius deteriorem effinxisse personam videtur.

Fratres huius quo magis inviti Alcmaeonem necaverant, hoc magis eos exacerbari sororis opprobriis minisque par erat. Ceterum sponte et sine patris auctoritate soro-

*) Cf. Schoell de tetral. trag. Att. p. 134.

rem ab illis sublatam esse non est veri simile. Neque enim poterat sine manifesta tam nefarii sceleris ultione tragoedia concludi, si supplicium exegissent ii, quibus exigendi nullum ius neque potestas erat.

Aristophanes ad hanc fabulam respexit bis, Equit. v. 1299. et Nub. v. 43., cavillatus autem eam est nusquam. Aristoteles, quo loco praestantissimarum numero fabularum esse dixit eas, quibus Alcmaeonis mala argumentum essent (Poet. c. 13.), non postremo harum loco posuisse videtur Euripidis Alcmaeonem. Idem improbans caussas, quibus matricidium Alcmaeon excusat, non Euripidem vituperavit, sed personam *). In honore fuisse apud vulgus hanc tragoediam testatur Attii, in Romanorum eam theatra transferentis, interpretatio. Respexerunt ad eandem Propertius I, 14 (15), 15. et Ovidius Rem. 455., Fast. II, 43., Met. IX, 411.

C. T e l e p h u s.

In cognoscenda huius tragoediae structura multa nos adiuvant. Tanta enim fuit operis gloria, ut omnibus locis omnibusque temporibus et ab eruditis et a vulgo celebraretur, tanta praestantia, ut sua virtute oblivionem effugerit. Hoc intelligentes tres iam viri eruditissimi ad purganda rudera, conquirenda disponendaque fragmenta, ac damnum per temporum iniuriam scribarumque socordiam inlatum, quantum fieri posset, sanandum operam studiumque contulerunt: quorum primus fuit Geel in annal. Instituti Belg. 1830., alter Welckerus T. II. p. 477 seqq., tertius Otto Iahn in epistola ad Welckerum germanice scripta 1841. His me quartum adiungens in auxilium mecum adduco Attium poetam, ab illis spretum, quem non solum imitatum, sed etiam interpretatum Euripidis fabulam esse hi versus testantur cum graecis ad verbum convenientes:

---

*) Aristot. Eth. III, 1, 8: *καὶ γὰρ τὸν Εὐριπίδου Ἀλκμαίωνα γελοῖα φαίνεται τὰ ἀναγκάσαντα μητροκτονῆσαι.* Ibid. V, 9: *λέγων ἀτόπως.* Vide Welck. p. 579.

— *„nam si a me regnum Fortuna atque opes*
Eripere quivit, at virtutem non quiit."
εἰ τοῖς ἐν οἴκῳ χρήμασιν λελείμμεθα,
ἡ δ' εὐγένεια καὶ τὸ γενναῖον μένει.

Reliqua, in quibus ab horum sententiis mihi discedendum esse putavi, rebus ipsis satis excusatum iri spero. Quamobrem, omissa longiore disputatione, statim ad argumentum fabulae enarrandum fragmentaque aptis locis collocanda accedo.

Argis ante aedes Agamemnonis res aguntur*). Prodit Telephus habitu mendici, miser atque claudus**):

Ὦ γαῖα πατρίς, ἣν Πέλοψ ὁρίζεται,
χαῖρ', ὅς τε πέτρον Ἀρκάδων δυςχείμερον
Πὰν ἐμβατεύεις, ἔνθεν εὔχομαι γένος.
Αὔγη γὰρ Ἀλέου παῖς με τῷ Τιρυνθίῳ
τίκτει λαθραίως Ἡρακλεῖ· ξύνοιδ' ὄρος
Παρθένιον, ἔνθα μητέρ' ὠδίνων ἐμὴν
*ἔλυσεν Εἰλείθυια****) — — —.

Quae deinceps sequebantur, teste Strabone, haec fuerunt: Aleus rex, cognito filiae stupro, hanc cum infante cistae impositam in mare abiecit. Minervae autem providentia factum est, ut cista ad ostium Caici in Mysiam deferretur, ubi rex Teuthras inventam mulierem cum puerulo sustulit servavitque, illam secum matrimonio iungens, hunc autem pro filio adoptans, eidemque postea regnum moriens tradidit ****). Quo regnante Graeci, ab Aulide profecti, per ignorantiam locorum in Mysiam delati sunt, eamque

---

*) Cf. Welck. p. 479. Testes sunt Strabo T. I. p. 10. (15.) Dictys II, 7. Hygin. c. 101.

**) Aristoph. Acharn. 428. *χωλός*. Nub. 921. *πτωχός*.

***) Matth. fragm. inc. XCVIII. Welck. p. 480. Iahn. p. 20. Cf. Hygin. c. XCIX.

****) Strabo XIII, 1. p. 615. C. (1341.): *Εὐριπίδης δὲ ὑπ' Ἀλέου φησί, τοῦ τῆς Αὔγης πατρός, εἰς λάρνακα τὴν Αὔγην κατατεθεῖσαν ἅμα τῷ παιδὶ Τηλέφῳ καταποντωθῆναι, φωράσαντος τὴν ἐξ Ἡρακλέους φθοράν. Ἀθηνᾶς δὲ προνοίᾳ τὴν λάρνακα περαιωθεῖσαν ἐκπεσεῖν εἰς τὸ στόμα τοῦ Καΐκου· τὸν δὲ Τεύθραντα, ἀναλαβόντα τὰ σώματα, τῇ μὲν ὡς γαμετῇ χρήσασθαι, τῷ δὲ ὡς ἑαυτοῦ παιδί.* Cf. Hygin. c. XCIX.

Alexandri terram esse putantes, ditionem Telephi incursionibus vastarunt. Qua re cognita Telephus armis sumtis cum exercitu occurrit, trepidos perturbatosque magna strage edita in naves compulit *), et videtur ad internecionem adacturus fuisse, nisi Achilles, re animadversa, succurrisset ac Telephum saucium, sinistro femore iaculo transmisso, repulisset **). Ceterum Graeci tanta clade affecti erant, ut navibus conscensis in Boeotiam redirent atque inde, omissa expeditione, domus suas quisque discederent ***). Telephus autem ex eo tempore insanabilis vulneris doloribus cruciatus miserrimusque fuit ****). Quid enim iuvant opes, quid imperium aegrotum? Itaque, re-

---

*) Cf. Dictyn II, 1 seqq. haec auctius referentem. Schol. ad Aristoph. Nub. 919: *ὁ Τήλεφος βασιλεὺς ἦν Μυσίας, ὃν πλανηθέντων, ὅτε εἰς Τροίαν ἀπήρχοντο, τῶν Ἑλλήνων καὶ δηούντων τὴν αὐτοῦ γῆν ἀντὶ τῆς Τροίας Ἀχιλλεὺς ἔτρωσεν.* Adde epigr. Anthol. Iacobs. T. II. p. 657. XI, 110:

Οὗτος ὁ Τευθρανίας πρόμος ἄσχετος, οὗτος ὁ τὸ πρὶν
Τήλεφος αἱμάξας φρικτὸν Ἄρη Δαναῶν,
Μυσὸν ὅτε πλήθοντα φόνῳ ἐκέρασσε Κάϊκον,
Οὗτος ὁ Πηλιακοῦ δούρατος ἀντίπαλος.

**) Dictys l. l.: telum iaculatus femur sinistrum regi transfigit.

***) Libanius Declam. III. p. 230. D: *ὡς γὰρ ἀνήχθημεν ἀπὸ τῆς Αὐλίδος, ἀγνοίᾳ τῶν τόπων προςπεσόντες τῇ Μυσῶν, τὴν ἀρχὴν κατεθέομεν Τηλέφου, τὴν Ἀλεξάνδρου νομίζοντες. Αἰσθόμενος δὲ ὁ Τήλεφος εὐθὺς ἐν ὅπλοις ἦν καὶ μετὰ τῆς δυνάμεως ἀπήντα. Μάχης δὲ καρτερᾶς γενομένης καὶ τοῦ πράγματος προϊόντος, ὁ τῶν Μυσῶν ἡγούμενος ὑπ' ἐμοῦ τιτρώσκεται. Καὶ οἱ μὲν ᾤχοντο φεύγοντες, ἡμεῖς δὲ γνόντες τὴν πλάνην, ἀποπλεύσαντες αὖθις ἦμεν ἐν Βοιωτίᾳ, καὶ τῷ συμβεβηκότι τὸ στράτευμα διελύετο.* His adde epigr. Anthol. Iacobs. T. II. p. 657:

οὗ καὶ τειρομένοιο περιπτώσσοντες Ἀχαιοὶ
φύρδην Τευθρανίας νεῦνται ἀπ' ἠϊόνος.

Strab. I, 1. p. 10 (15): *ὁ μέντοι Ἀγαμέμνονος στόλος τὴν Μυσίαν, ὡς τὴν Τρῳάδα, πορθῶν ἐπαλινδρόμησεν αἰσχρῶς.* Dict. II, 7: in regna sua hiematum discedunt.

****) Epigr. Anthol. T. II. p. 657:

νῦν ὀλοὸν μηρῷ κεύθων βάρος, οἷα λιπόπνους
τήκεται, ἐμψύχῳ σαρκὶ συνελκόμενος.

lictis his, salutem quaerere constituit et mutata veste in hostium terram ad Apollinem Delphicum profectus est, de sanando vulnere oraculum consulturus *):

„*Regnum reliqui, septus mendici stola.*"
πτώχ' ἀμφίβλητα σώματος λαβὼν ῥάκη
ἀρκτήρια τύχης — — —.
„*Caedem caveo vestitu, squalida stola*
Septus" **).
τί γάρ με πλοῦτος ὠφελεῖ νοσοῦντά γε;
σμίκρ' ἂν θέλοιμι καὶ καθ' ἡμέραν ἔχων
ἄλυπον οἰκεῖν βίοτον ἢ πλουτῶν νοσεῖν.
ἐπεὶ τί δεῖ βροτοῖσι πλὴν δυοῖν μόνοιν,
Δήμητρος ἀκτῆς πώματός θ' ὑδρηχόου,
ἅπερ πάρεστι καὶ πέφυχ' ἡμᾶς τρέφειν;
ὧν οὐκ ἀπαρκεῖ πλησμονή· τρυφῇ γέ τοι
ἄλλων ἐδεστῶν μηχανὰς θηρεύομεν ***).

Conspiciebatur igitur Telephus duplici panno et pilo Phrygico tectus, baculum, peram (σπυρίδα) et testam (ψυκτῆρα) ****) portans. De vitae autem instituto deque patientia malorum explicare pergens rationem reddit, cur non mortem tali vitae anteponat:

ὅςτις δὲ λύπας φησὶ πημαίνειν βροτούς,

---

*) Hygin. c. 101: Ex quo vulnere cum indies tetro cruciatu angeretur, petit sortem ab Apolline, quod esset remedium. Liban. l. l.: κομίζεται Τήλεφος εἰς Δελφοὺς τῷ θεῷ χρησόμενος ὑπὲρ τοῦ τραύματος, ὡς τῆς τῶν ἰατρῶν τέχνης οὐκ ἀρκούσης τῷ πάθει.

**) Ennii fragm. n. 8. et 7. Cf. Horat. A. P. 96: pauper et exsul. Schol. ad Aristoph. Nub. 919: δυςτυχήσαντα δὲ ὕστερον πεποίηκεν Εὐριπίδης ἐν δράματι πήραν ἔχοντα καὶ προςαιτοῦντα.

***) Fragm. n. 28. et incert. n. 14. Recte haec Geel prologo asseruit.

****) Schol. Plat. p. 50: ψυκτὴρ σκεῦος, ἔνθα διανίζουσι τὰ ποτήρια, ἢ ποτηρίου εἶδος, ὡς Εὐριπίδης Τηλέφῳ. Hesych.: σπυρίς· τῶν πυρῶν ἄγγος. Aristoph. Acharn. 453: δός μοι σπυρίδιον κτλ. v. 448: πτωχικοῦ βακτηρίου. v. 439: τὸ πιλίδιον τὸ Μύσιον. v. 459: κοτυλίσκιον. Diog. Laert. VI, 87.

δεῖν δ' ἀγχονῶν τε καὶ πετρῶν ῥίπτειν ἄπο,
οὐκ ἐν σοφοῖσιν ἔστιν, εὐχέσθω δ' ὅμως
ἄπειρος εἶναι τῆς νόσου ταύτης ἀεί *).

Ab oraculo quum responsum tulisset sanaturum eum, qui vulnerasset**), Achillem quaerens, tum forte ad Agamemnonem Argos profectum, eodem se contulit***). Neque solus Achilles, sed Ulysses quoque et Menelaus aliique duces de bello redintegrando consilia collaturi illuc convenerant****). Telephus igitur, postquam pervenit quo tendebat, mendici specie aditum quaerit,

δεῖ γάρ με δόξαι πτωχὸν εἶναι τήμερον,
εἶναι μὲν ὅςπερ εἰμί, φαίνεσθαι δὲ μή.

suppliciter orans †)

— — λῦε πακτὰ δωμάτων,

a ianitore prohibetur:

— — ἄπελθε λαΐνων σταθμῶν ††).

*) Fragm. inc. LXV. Telephi haec esse manifestum est.

**) Liban. l. l.: ὁ δὲ ἀνεῖλε παρὰ τῷ τρώσαντι καὶ τὴν ἴασιν ζητεῖν. Cf. Iahn. p. 23. not. 23. Minus obscure Hyginus l. l.: „neminem mederi posse, nisi eandem hastam, qua vulneratus erat."

***) Dictys II, 10: „Per idem tempus Telephus dolore vulneris, quod in proelio adversum Graecos acceperat, diu afflictatus, quum nullo remedio mederi posset, ad postremum Apollinis oraculo monitus — propere Argos navigat." Proclus: ἔπειτα Τήλεφον κατὰ μαντείαν παραγενόμενον εἰς Ἄργος ἰᾶται Ἀχιλλεὺς ὡς ἡγεμόνα τοῦ ἐπ' Ἴλιον πλοῦ. Hygin.: „Hoc Telephus ubi audivit, ad Agamemnonem venit." Libanius: ταῦτα ἀκούσας εἰς Ἄργος ἔρχεται. Videtur autem antea in Thessaliam venisse: nam scholiasta ad Aristoph. Nub. v. 919., qui et ipse Euripidem secutus est, καὶ πάλιν ἀποροῦντα, inquit, τοῦ θεραπεύσαντος, τῆς Πυθίας „ὁ τρώσας ἰάσεται" ἀνελούσης, παραγενόμενον εἰς Θετταλίαν τῷ χρησμῷ πεισθεὶς θεραπείας ἠξίωσε.

****) Dictys II, 9: „Neque multo post re cognita Argos ab omnibus convenitur." Caussam eius conventus fuisse perhibet, quod barbaros id agere nuntiatum esset, ut Graecos praevertentes in horum terram bellum transferrent.

†) Aristoph. Acharn. 452: γλίσχρος, προςαιτῶν λιπαρῶν τε. Cf. Schol. ad Nub. 919. supra laudatum.

††) Fragm. inc. CCVII. Ex Telepho decerptum esse intelligitur ex Aristoph. Acharn. 479: κλεῖε πηκτὰ δωμάτων. Ibidem v.

Mendicantem produnt haecce:

νικᾷ δὲ χρεία μ' ἡ κακῶς τ' ὀλουμένη
γαστήρ, ἀφ' ἧς δὴ πάντα γίγνεται κακά *).

Perficit tandem, ut regina evocetur. Huic, quod eius animum propter caedem Iphigeniae alienatum ab Agamemnone ducibusque Achivis esse consentaneum est, quis sit, aperire non dubitat. Quae statim cognito viro, cuius virtutem per omnes terras fama celebraverat, misericordia movetur, eumque servare atque adiuvare pro viribus statuit. Telephi verba sunt haecce:

εἰ τοῖς ἐν οἴκῳ χρήμασιν λελείμμεθα,
ἡ δ' εὐγένεια καὶ τὸ γενναῖον μένει **).

Quibus addo quae Aristophanes Thesm. (v. 179.) inseruit:

ἐγὼ δὲ (καινῇ) ξυμφορᾷ πεπληγμένος
ἱκέτης ἀφῖγμαι πρὸς σέ·
„*τοῦ χρείαν ἔχων;*"

Clytaemnestrae sunt haecce:

„*Nam is demum miser est, cuius nobilitas miserias*
Nobilitat" ***).

Telepho recepto atque in aedes ducto, chorum prodire necesse fuit, qui sine dubio constabat ex civibus Argivis et canebat de priori expeditione turpique exercitus reditu, de immolatione Iphigeniae, unde et rex in odium venerit uxoris et odio habere ipse Menelaum coeperit, de redintegrandi belli necessitate deque Agamemnonis poenitentia et belli taedio ****). Huc pertinet fragm. Attii n. 1:

---

449. invenitur *ἄπελθε λαΐνων σταθμῶν*, quod tragicum dictum et quidem Euripidis esse vidit Bothe. Nescio an etiam versus 456. inde petitus sit: *λυπηρὸς ἴσθ' ὢν κἀποχώρησον δόμων*. Cf. fragm. 6. Matth.

*) Fragm. inc. CLIX. Cf. Welck. p. 483.

**) Fragm. inc. LXI. Ex Telepho petitum esse ostendit Attii, quam supra posuimus, interpretatio.

***) Attii fragm. 12.

****) Si usquam, hoc loco commemorandi erant duces tesseris ludentes. Atenim nihil tale infuisse in Telepho scholion illud ipsum (ad Aristoph. Ran. v. 1400.) satis manifesto demonstrat. Inanis enim est illa de duplici operis recensione fabula.

„*Iamiam stupido Thessala somno*
Pectora languentque senentque."

Deinde sequitur Atridarum ipsorum altercatio, quae qualis fuerit, ex Dictyos verbis II, 7. intelligere licet: „Interim in eo otio regi Agamemnoni cum Menelao fratre exercere discordias vacuum fuit ob proditam Iphigeniam. Is namque auctor et veluti caussa luctus eius credebatur." Quippe Menelaus, non satis habens fratrem filia privasse, quam frustra immolatam esse miserrimum erat, iterum de itinere deos consuli, iterum immolandi carissimos liberos periculum adiri iubet. Manente enim itineris ignoratione *), navigari non poterat, nisi dux itineris a diis ipsis monstratus oblatusque fuisset. Affirmat Menelaus, negante Agamemnone, priorem expeditionem diis volentibus atque assentientibus susceptam fuisse:

„*Deumque de consilio hoc itiner credo conatum modo.*"

Non hoc solum negat Agamemnon, sed etiam populi studium renovantibus bellum favere:

— — „*verum quorum liberi leto dati*
Sunt in bello, non lubenter haec enodari audiunt" **).

Quo pertinaciter recusante:

„*studiumque iteris reprime,*" ***)

augetur contentionis vehementia, alternisque versibus, ut ait Cicero, intorquentur inter fratres gravissimae contumeliae, ut facile appareat Atrei filios esse ****):

Agamemnon.

„*Quis homo te exsuperavit unquam gentium impudentia!*

Menelaus.

Quis autem malitia te?!"

Postremo Agamemnon fratrem proturbat:

---

*) Liban. l. l.: χρόνου δὲ ἐπιγιγνομένου καὶ τῆς ἀγνοίας μενούσης κτλ.

**) Ennii fragm. n. 3. et 1.

***) Attii fragm. n. 15. Dictys II, 9: „quod propter filiam renueret profectionem."

****) Cic. Tusc. IV, 36, 77. Mira socordia hoc fragm. Cressis tribuerant critici.

ὦ πόλις Ἄργους, κλύεθ' οἷα λέγει.

— — — — —

ἴθ' ὅποι χρήζεις· οὐκ ἀπολοῦμαι
τῆς σῆς Ἑλένης οὕνεκα. — —
Σπάρτην ἔλαχες· κείνην κόσμει,
τὰς δὲ Μυκήνας ἡμεῖς ἰδίᾳ.

Chori verba, quae abeunte Menelao dicit, haecce sunt:

χαλεποὶ πόλεμοι γὰρ ἀδελφῶν *).

Statim deinde ad Agamemnonem prodit famulus quidam, qui Telephum in aedium sacello sedentem conspexit, deque ea re dominum certiorem facit:

— — „*quem ego ubi adspexi virum,*
Immortalem mi intui viderer, ni vestitus teter,
Moestitudo, vastitudo praedicarent esse hemonem" **).

Quem peregrinum quum planum esset non inscia vel ignara regina recipi potuisse, haec statim evocatur. Quae nomen quidem patriamque et genus peregrini se dicit ignorare, sed videri eum nobili loco natum esse:

„*Nam etsi opertus squalitate et luctu horrificabili,*
Profecto haud quaquam est ortus mediocri satu" ***).

Commenticiam fabulam, quasi a peregrino sibi narratam, refert, illum, cum Telepho bellum gerentem, quum classem coegisset et proelio navali confligeret, victum vulneratumque esse:

κώπης ἀνάσσει, κἀποβὰς ἐς Μυσίαν
ἐτραυματίσθη πολεμίῳ βραχίονι.

Deletis copiis, regno exutum, mutatis vestibus profugisse: ignotus nautis quum in navem ascendisset, nave vi tempestatis ad hostium stationem delata, pereundum fuisset, nisi a domino navis, cui necessitate cogente, quis esset, aperuisset, conservatus esset. Eum enim, misericordia viri captum, navem procul ab hostium classe sub montibus occultasse:

*) Fragm. inc. n. 102.
**) Attii fragm. n. 3. Bothii emendationem admisi.
***) Attii fragm. n. 10. et 8.

„Remisque nixi properiter navem in fugam
Transdunt subter saxa ad laevam, qua
mons mare
Mollibat" *).

Insanabili vulnere laborantem Delphos adiisse ac de sanatione oraculum consuluisse. A deo monitum, ut in Agamemnonis domo remedium quaereret, Argos venisse et, quum introitum a ianitore flagitando impetrasset, confestim se in sacrarium coniecisse. His expositis precationem subiungit ambiguam:

καλῶς ἔχοιμι, Τηλέφῳ δ' ἁγὼ φρονῶ.

Tum vice hospitis, ut ille ab Agamemnone in fidem recipiatur, rogando perficit.

Iam locus datur alteri choro, quo hospitis sortem cives miserati esse videntur:

ἀρκεῖ μετρία βιοτά μοι σώφρονος τραπέζης,
τὸ δ' ἄκαιρον ἅπαν τόδ' ὑπερβάλλον τε μὴ προσ-
είμαν **).

Dum Telephus, egressus ex aedibus, de successu sibi gratulatur, trepida venit regina, ex cuius vultu mali quidpiam imminere facile intelligeret:

ἄνασσα πράγους τοῦδε καὶ βουλεύματος,
τί μοι σκυθρωπὸς ἐξελήλυθας δόμων;

Cui deinde Clytaemnestra aperit delatum esse ad duces certissimum nuntium de Telephi itinere atque adventu, nec dubium esse, quin Ulysses rem brevi exploratam habiturus sit. Quocirca eum monet, ut sibi consulat:

„Nunc tu in re crepera tua quid consili
capias, vide" ***).

Ibi Telephus reginae persuadet, ut Orestem infantem sibi pro obside tradat, quo se tutetur ****). Clytaemnestrae in

---

*) Attii fragm. 4.

**) Fragm. inc. n. 163. Matth.

***) Attii fragm. n. 5.

****) Hygin. l. l.: „Monitu Clytaemnestrae Orestem infantem de cunabulis rapuit." Schol. Aristoph. Acharn. 332: *τὰ δὲ μεγάλα πάθη ὑποπαίζει τῆς τραγῳδίας· ἐπεὶ καὶ ὁ Τήλεφος κατὰ τὸν τραγῳδοποιὸν Αἰσχύλον* (scr. *Εὐριπίδην*), *ἵνα τύχῃ παρὰ τοῖς Ἕλλησι σωτηρίας, τὸν Ὀρέστην εἶχε συλλαβών.*

maritum tantum est odium, ut neque ipsum neque filium eius superstitem esse cupiat:

ἀπέπτυσ' ἐχθροῦ φωτὸς ἔχθιστον τέκος.

Itaque cunabula infantis eum in locum transferenda curat, ubi Telepho eius potestas sit.

Interponitur chorus tertius, ad Telephi calamitatem atque discrimen pertinens:

τόλμα ἀεί, κἄν τι τρηχὺ νέμωσι θεοί.

Iam Ulysses Agamemnonem adit, de hospite quaesiturus:

κακός τίς ἐστι προξένῳ σοι χρώμενος.

Hanc nuntiationem aperte Aristophanes imitatus est in Thesm. 577:

καὶ νῦν ἀκούσας πρᾶγμα περὶ ὑμῶν μέγα,
ὀλίγῳ τι πρότερον *κατ' ἀγορὰν λαλούμενον*,
ἥκω φράσων τοῦτ' κτλ.

Rex ignorantiam suam confitetur:

„*Qui neque cuiatis esset, unquam potuimus,*
Multa erogitantes, sciscere" *).

Arcessitur igitur Telephus ipse et convincitur ab Ulysse:

καὶ μήν σ' ἐλέγξαι βούλομαι τεκμηρίῳ **).

„*Te ipsum hoc oportet profiteri et proloqui*
Advorsum illam mihi" ***).

Telephus primum obfirmato animo obmutescit, id quod testatur Amphis ap. Athen. VI. p. 224: οὓς (piscatores) ἂν ἐπερωτήσῃ τις, ἢ λαβών τι τῶν παρακειμένων *ἔκυψεν*, *ὥςπερ Τήλεφος*, *πρῶτον σιωπῇ* κτλ. Mox in angustias compulsus hoc dicit:

ὦ Φοῖβ' Ἄπολλον Λύκιε, τί ποτέ μ' εἰργάσει;

---

*) Attii fragm. n. 9.

**) Aristoph. Eq. v. 1232. Ridiculam in illis imitationem inesse manifestum est. Versum 1240. scholiasta ipse notavit ex Telepho decerptum esse. Rursus eandem quaestionem Aristophanes in Thesm. 627. imitatur:

ἄπελθ', ἐγὼ γὰρ βασανιῶ ταύτην καλῶς κτλ.

***) Ennii fragm. n. 5.

Ulyssis verba, quae dicens illum quasi iam constrictum tenet, haec sunt:

ὁ δ' εἴτε Μυσὸς εἴτε κἄλλοθέν ποθεν,
οὐκ ἔσθ' ὅπως οὐ Τήλεφος γνωρίζεται *).

Iam vero Ulysse atque Agamemnone mortem intentantibus, unam, eamque infirmam, spem sibi relinqui videns —

λεπτή τις ἐλπίς ἐστ', ἐφ' ἧς ὀχούμεθα **) —

in sacrarium se coniiciens infantem de cunabulis rapit eumque se interfecturum esse minitatur, nisi Agamemnon, quam fidem ignoto pollicitus sit, eandem praestet cognito:

πληγὲν μαχαίρᾳ τῇδε φοινίας φλέβας
καθαιματώσει βωμόν ***).

Hoc tumultu excita accurrit regina seque interponit ****). Indignantem Agamemnonem Telephi oratio mitigat:

Ἀγάμεμνον, οὐδ' εἰ πέλεκυν ἐν χεροῖν ἔχων
μέλλοι τις εἰς τράχηλον ἐμβαλεῖν ἐμόν,
σιγήσομαι, δίκαιά γ' ἀντειπεῖν ἔχων †).

Tum, fraudem excusans, non speculandi se caussa venisse ostendit, neque ficta esse quae de remedio vulneris deque Apollinis oraculo Clytaemnestrae retulerit. Neque se hostem Graecis esse, neque, cum sit sanguinis necessitudine cum iis coniunctus, dubitaturum fuisse eos, si per legatos se adiissent, hospitio excipere et donare muneribus ††). Mitigato iam Agamemnone, repente Achilles ar-

*) Olympiod. ad Plat. Gorg. p. 521. B. Verba corruptissima traduntur: in quibus emendandis secutus sum virum quendam doctum in actis litt. Hallensibus anni 1840. N. 8. p. 57 seqq. Cf. Iahn. p. 28.

**) Aristoph. Eq. v. 1244.

***) Aristoph. Thesm. 693., quo loco haec dramatis pars in ridiculum convertitur.

****) Hoc factum esse tam ex imitatione Aristophanis (Thesm. 695.) quam ex signis caelatis, quae Iahn interpretatus est, intelligitur.

†) Imitatus est haec quoque Aristoph. Acharn. 318: *ὑπὲρ ἐπιξήνου θελήσω τὸν Κέφαλον ἔχων λέγειν.*

††) Dictys II, 5: „Ipsorum potius, ait, culpa factum, quod amicissimos et iunctos sibi generis affinitate regno suo appulsos ignoraverit: praemittendos etenim fuisse, per quos, cognito eorum adventu, obviam ire gratulatum oportuerit

matus intervenit, Telephum, quem in domum regis clam irrepsisse audivit, ut hostem Graeco nomini infestissimum eundemque speculatorem perfidissimum extemplo interfecturus*):

κακῶς ὄλοιτ' ἄν, ἄξιον γὰρ Ἑλλάδι.

„*Qui illum di deaeque magno mactassint malo*"**).

Cuius furor cum ab Agamemnone repressus esset —

ὥρα σε θυμοῦ κρείσσονα γνώμην ἔχειν —

Telephus ipse, caussam dicturus, in medium prodiit:

μή μοι φθονήσητ', ἄνδρες Ἑλλήνων ἄκροι,
εἰ πτωχὸς ὢν τέτληκ' ἐν ἐσθλοῖσιν λέγειν.

„*Palam mutire plebeio est piaculum*"***).

Altius repetens primum, caussa belli quam levis fuerit, ostendit —

„*Quantam Tyndareo gnata et Menelai domus*
Molem excitarit belli pastorque Ilius" ****), —

tum quantus furor Graecorum:

„*Et civitatem video Argivam incendier,*"
— — — — — — —
„*Aere atque ferro fervere, igni, insignibus*
Florere" †).

Qui quum, coeco impetu in suam terram facto, omnia ferro ignique vastarent —

---

atque amice hospitio receptos donatosque muneribus, quum commodum ipsis videretur, remittere."

*) Achillis personam in Lamachum mutavit Aristophanes, haec in Acharn. v. 570. imitans.

**) Ennii fragm. n. 6.

***) Ennii fragm. n. 4.

****) Attii fragm. n. 13. Pro Helena Aristophanes, hanc Telephi orationem per singulas partes persequens, Simaetham posuit meretricem, Acharn. v. 524.

†) Ennii fragm. n. 2. Attii fragm. n. 11. Euripidis verba in hisce Aristophanis latere suspicor: *κἀντεῦθεν ἀρχὴ τοῦ πολέμου κατεῤῥάγη* sive *κἀντεῦθεν ἤδη πάταγος ἦν τῶν ἀσπίδων.*

„*Flucti cruores volverunt mihi*" *) — necesse sibi fuisse iniuriam repellere:

ἐρεῖ τις· οὐ χρῆν· ἀλλὰ τί χρῆν; εἴπατε.

Absurdum enim esse postulare, ut ipse otiosum se vastationis spectatorem praeberet et pateretur ea, quae neque ipsi neque reliquorum mortalium quisquam aequo animo passurus fuisset:

φέρ' εἰ — — — —
— — — — — —
καθῆσθ' ἂν ἐν δόμοισιν; ἦ πολλοῦ γε δεῖ.
— — — — — —
ταῦτ' οἶδ' ὅτι ἂν ἐδρᾶτε· τὸν δὲ Τήλεφον
οὐκ οἰόμεσθα; νοῦς ἄρ' ὑμῖν οὐκ ἔνι **).

His auditis admiratur chorus Telephi eloquentiam:

οὐτἄρ' Ὀδυσσεύς ἐστιν αἱμύλος μόνος·
χρεία διδάσκει, κἂν βραδύς τις ᾖ, σοφόν.

Suffragatur Agamemnon neque rectum esse dicit irasci Telepho, ut quem maiori iniuria affecerint, quam passi essent ipsi:

— — — εἶτα δὴ θυμούμεθα
παθόντες οὐδὲν μᾶλλον ἢ δεδρακότες;

Id vero indignatus, inconstantiae eum arguit Achilles:

τί δ', ὦ τάλας, σὺ τῷδε πείθεσθαι θέλεις;

Ex hac oratione depromta quaedam Aristophanes fabulis suis inseruit, et quidem Acharn. 576:

οὗτος ἄνθρωπος πάλαι
ἅπασαν ἡμῶν τὴν πόλιν κακοῤῥοθεῖ ***),

atque Thesm. 198:

τὰς ξυμφορὰς γὰρ οὐχὶ τοῖς τεχνήμασι
φέρειν δίκαιον, ἀλλὰ τοῖς παθήμασιν.

Ad eandem orationem referendum est fragm. 17:

Ἕλληνες ὄντες βαρβάροις δουλεύσομεν;

---

*) Ennii fragm. 14.

**) Male doctus scholiasta ad Aristid. T. II. p. 16: τίς τῶν ποιητῶν εἰςάγει τὸν Τήλεφον ἐλέγχοντα τὸν Ὀδυσσέα ἐκ τῶν αὐτοῦ λόγων, οὓς πρὸς τὸν Τήλεφον εἶπε. Etenim non Ulyssem, sed Achillem Telepho adversari ex reliquis fragmentis apparet. Cf. Welck. p. 487 seq.

***) Cf. Welck. p. 1584.

Rursus deinde Telephus verba facit et supplicibus precibus non tantum ut sibi ignoscat Achilles efflagitat, sed etiam, Delphici dei oraculo prolato, orat, ut vulneri medeatur *):

σὺ δ' εἴκ' ἀνάγκῃ καὶ θεοῖσι μὴ μάχου·
τόλμα δὲ προςβλέπειν με καὶ φρονήματος
χάλα· τά τοι μέγιστα πολλάκις θεὸς
ταπείν' ἔθηκε καὶ συνέστειλεν πάλιν.

„*proinde istaec tua*
Aufer terricula atque animum iratum comprime." **)
„*Pro certo arbitrabor sortis oracla, aditus auguria.*" ***)

Quum Achilles se operam non dare arti medicae respondisset, Ulysses, non te, inquit, Apollo, sed auctorem vulneris hastam nominat ****):

πριστοῖσι λόγχης θέλγεται ῥινήμασι.

Tum demum victus Achilles Telephum ad medicos abducit sanandum †). Intercinuntur quaedam a choro. Interim Agamemnoni in mentem venit oraculi, quo Graeci ducem itineris Telephum quaerere iubebantur neque posse sine huius ductu Troiam capi praedictum erat ††). Quare cum Telephus liberatus malo in scenam rediisset, acta sunt ea, quae Hyginus refert his verbis: „Quam (hastam) cum

---

*) Dictys II, 10: „Dein cunctis ducibus caussam adventus eius admirantibus, oraculum refert atque ita orat, ne sibi praedictum remedium ab amicis negaretur."

**) Attii fragm. n. 6. Conferendus Aristoph. Acharn. 582: ἀλλ' ἀντιβολῶ σ', ἀπένεγκέ μου τὴν μορμόνα.

***) Attii fragm. 7.

****) Hygin. l. l.: „Achivis autem quod responsum erat sine Telephi ductu Troiam capi non posse, facile cum eo in gratiam redierunt et ab Achille petierunt, ut eum sanaret. Quibus Achilles respondit se artem medicam non posse. Tunc Ulysses ait: Non te dicit Apollo, sed auctorem vulneris hastam nominat."

†) Cf. Horat. Epod. 17, 8. Ovid. Met. XIII, 171. Ibid. 254. Dictys l. l. Achilles cum Machaone et Podalirio, adhibentes curam vulneri, brevi fidem oraculi firmavere.

††) Cf. Hygin. l. l.

rasissent, remediatus est. A quo cum peterent, ut secum ad Troiam expugnandam iret, non impetrarunt, quod is Laodicen, Priami filiam, uxorem haberet; sed ob beneficium, quod eum sanarunt, eos deduxit; locos autem et itinera demonstravit; inde in Moesiam est profectus" *). Ex hoc epilogo nihil fragmentorum servatum est, nisi forte hoc inde decerptum est:

μοχθεῖν ἀνάγκη τοὺς θέλοντας εὐτυχεῖν.

Dei interventu, quum eius vice oracula fungerentur, non fuit opus.

Praeter Euripidem hoc argumentum cum alii complures **) tum Aeschylus tractarunt. Cuius ratio atque institutum quale fuerit, quamquam non potest ex ullis vestigiis coniici, tamen, qua uti solet argumentorum simplicitate, aut Argos rem translatam ab eo aut Clytaemnestrae personam immixtam fuisse negare non dubito. Neque me movet, quod scholio, quod est ad Aristoph. Acharn. 332. scriptum, Aeschylus rideri ab Aristophane traditur, ut qui Orestem a Telepho rapi pro pignore salutis fecerit. Neque enim unquam Aristophanes Aeschylum risit, neque Euripidem illo loco respici quisquam infitiatus est, et Euripidem illis ipsis scholiis dici satis demonstratur iis, quae deinceps ex Thesmophoriazusis de Mnesilocho, culeum pro infante mulieris arripiente, addita sunt. Quare Aeschyli nomen a sciolo aliquo inculcatum esse mihi quidem luce clarius esse videtur, et cognoverat hoc iam Vater (de Soph. Alead. p. 19). Multo vero minus credibile est exsulem, egenum, pannis et squalore obsitum Telephum ab Aeschylo repraesentatum fuisse.

Aristophanes non uno loco, sed pluribus, hanc fabulam deformavit et in ridiculum convertit. Nam praeter Acharnenses etiam in Thesmophoriazusis et in Equitibus

---

*) Liban. l. l.: *καὶ τῶν ἀλγηδόνων παύεται, ταῖς ναυσὶν ὁμολογήσας ἡγήσεσθαι, καὶ γίνεται τῆς ἰατρείας μισθὸς ἡ τῆς ἀγνοίας τῶν τόπων ἀπαλλαγή.* Dictys II, 10: „dux Telephus ob acceptam gratiam factus." Id. II, 7: „Telephum adeunt eumque de opportunitate temporis consulunt."

**) Vide Iahnium p. 42. Bothium p. 63. Aristot. Poet. c. 13. §. 5.

inest imitatio eius fabulae partis, qua Telephus, postquam est denudatus convictusque, infantis periculo suum capitis periculum propulsat. Acharnensium vero pars maxima in imitando Telepho versatur, qui repraesentatur primo aditum quaerens, tum infanti mortem intentans, deinde caussam dicens bellique originem atque iniquitatem ostendens, denique Achillis mitigans ferociam. Quam imitationem non tam ea ratione a comico poeta factam esse, ut laudi eius, quem imitabatur, obtrectaret, quam ut rerum levitas cum gravitate tragoediae comparata risum vehementius moveret, et veteres interpretes dixerunt *) et recentiorum quidam sensisse videntur. Et vellem haec macula a moribus Aristophanis abesset, neve contumelia affecisset eum, cuius bonis pascebatur. Verum invidiae malitiaeque indulgens, atque animo his vitiis obcaecato, cavillatus est ea ipsa, quae maximam admirationem habuerunt non tantum vulgi, sed eruditorum quoque et summorum philosophorum. Nam Aristoteles eo ipso loco, quo Thyestem Telephumque laudat, haud obscure ad Aristophanis vituperationem respiciens, iniuriam Euripidi fieri ait ab iis, qui vitio vertant, quod tam multa tragoediis eius miseria insit et plurimae fabularum in res asperrimas desinant **). Rectum enim hoc esse dicit, et Euripidem maxime tragicum inter poetas.

Proditum est memoriae Cratetem tam vehementer commotum esse Telephi dignitate atque miseria, ut, hoc dramate spectato, ad cynicam se philosophiam applicaverit ***). Etiam Aristippo et Diogeni et omnibus eius generis philosophis auctorem atque exemplar Telephum fuisse sine ulla dubitatione affirmo. Qua in despicientia rerum humanarum tanta inest animi elatio, ut eam Alexander non

---

*) Schol. ad Acharn. 332: *τὰ μεγάλα πάθη ὑποπαίζει τῆς τραγῳδίας.*

**) Aristot. Poet. c. 13, 6: *διὸ καὶ οἱ Εὐριπίδῃ ἐγκαλοῦντες τὸ αὐτὸ ἁμαρτάνουσι κτλ.*

***) Diogen. Laert. VI, 87: *τοῦτόν φησιν Ἀντισθένης ἐν διαδοχαῖς θεασάμενον ἔν τινι τραγῳδίᾳ Τήλεφον σπυρίδιον ἔχοντα, καὶ τἆλλα λυπρὸν, ᾀξαι ἐπὶ τὴν Κυνικὴν φιλοσοφίαν.*

inferiorem esse iudicaverit sua mortalibus omnibus imperandi cupiditate. Et sensit idem Euripides, cum Atreum, regem potentissimum dominandique cupidissimum, cum Thyeste, altero Telepho, componeret ita, ut eodem utrumque studium animi habitu niti ostenderet. Sic Euripides, quod est magnorum ingeniorum, quae postera demum aetate vel in eruditione vel in vita eventura erant, mente divina anticipavit et quasi dux factus est hominum studiis ad summa enitentibus, similis ipse Telepho, qui ad Troiam expugnandam proficiscentes de locis itineribusque edocuit. O iniquam criminationem eorum, qui summum poetam infimae plebi adulando laudem et favorem captasse accusant! Ille vero quaecunque maxima et gravissima in hominum vita, in rebus gestis, in reipublicae administratione, in artium studiis, in philosophia atque eruditione inerant amplectendo, et verissimo iudicio non minus ea, quae iam nata et consummata erant, quam ea, quae, nondum adulta, quasi germinabant, aestimans, tanta admiratione summos infimosque affecit, tanta delectatione et qui legebant et qui spectabant opera sua tenuit, ut proxime omnium poetarum ad Homerum auctoritate et gratia accessisse videatur. Alterum Aristophanes Telepho crimen intendit, quod sit *προςαιτῶν, στωμύλος, δεινὸς λέγειν* *). Habemus auctorem, a quo instructi hanc quoque iniuriam propulsemus. Nam Horatius, et testis locupletissimus et iudex sincerissimus, non solum non indigna tragoedia esse iudicat ea, quae a Telepho Euripidis dicantur, sed etiam tanquam exemplari orationis rebus accommodatae hac ipsa Telephi persona utitur:

„*Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri*
T e l e p h u s et P e l e u s, cum p a u p e r et e x s u l uterque
Proiicit ampullas et sesquipedalia verba,
Si curat cor spectantis tetigisse querela.
Non satis est pulcra esse poemata: dulcia sunto,
Et quocunque volent animum auditoris agunto.

---

*) Adde Nub. 922: *ἐκ πηριδίου γνώμας τρώγων Πανδελετείους*, cum scholiis eius loci.

Ut ridentibus arrident, ita flentibus adsunt
Humani vultus: si vis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi; tunc tua me infortunia laedent,
Telephe vel Peleu: male si mandata loqueris,
Aut dormitabo aut ridebo."

Euripidis enim tragoedias ab Horatio respici manifestum est. At vero, inquiunt, non querelas Telephi vituperavit Aristophanes, sed precum humilitatem orationumque contentiones. Audio: sed primum his ipsis precibus orationibusque inerant Telephi querelae, ut recte Horatii iudicium Aristophanis accusationi opposuerim; deinde absurdum esse dico eius offendi orationibus, cui praeter has nil, quo se tutetur, relictum sit. Nihil unquam vile Aristophanis invidia mordacissima rosit, ut Welckerus tanto maiorem fuisse huius tragoediae laudem oportere, quanto frequentius isti opportunitatem ridendi dederit, rectissime iudicaverit *). Idem de poeta ipso, quem perstringit, statuendum est. Certe Telephus Euripidis tanto omnes reliquorum poetarum Telephos gloriae splendore superavit, ut, quum illius frequentissima mentio sit, quum multi passim versus citentur, quum a pluribus scriptoribus de argumento doceamur, horum praeter nomina vix quidquam commemoratum inveniatur. Accedit, quod nobilissimi Romanorum poetae, Ennius atque Attius, illius opus dignum esse, quod interpretando Romanorum notitiae traderent, censuerunt. Quibus rebus factum est, ut singulas dramatis partes, quales fuerint, cognoscere possimus. Quas quidem sic comparatas fuisse intelligimus, ut omnes et rerum gravissimarum discriminibus inopinatisque eventibus et consiliorum magnitudine atque audacia et effectuum vehementia ad metum vel miserationem vel admirationem movendam aptissimae essent. His adde personarum dignitatem et disputationum contentiones, verborum, ut par est, luminibus sententiarumque acuminibus distinctas, et morum ad philosophiae praecepta conformatorum exempla. Quanto autem haec erant graviora, severiora, admirabiliora, tanto certius risum movebant a comico ad deformia pravaque

*) Welck. p. 491.

translata, ut ipsa praestantia sua Aristophanem allexisse videantur, eandem gratiam, quam gravitate rerum Euripides adeptus erat, contrariis se assecuturum esse sperantem. Non minus, quam partium, totius operis elegans fuit compositio. Duplex rerum implicatio initio paratur. Ab altera enim parte Telephi conditio et reginae cum eo conspirantis consilia, ab altera patriae periculum et ducum cum rege militiam detrectante contentiones suspensos habent animos. Tantae utrimque difficultates sunt, ut nulla ratione expediri posse videantur: novae existunt utrisque partibus inter se conflictantibus. Tamen in hoc ipso medela parata est, et nascitur tranquillitas ex ipsa procella. Conciliantur inimicissima, pacem et concordiam iungunt quae se vehementissime fugiebant, et communi consilio, faustissimis ominibus, sublato errore, remotis difficultatibus, ad ulciscendos patriae hostes cuncti proficiscuntur. Sic a tristi initio ad laetum exitum res procedunt, ut, si valeret ineptorum hominum auctoritas, hac regula tragoedias a comoediis distinguentium, in harum numerum Telephus referendus esset. Quorum tamen sapientiam qui admirantur, non minus turpiter labuntur, quam qui, prout aut nuptiae virorum feminarumque se amantium concilientur aut mors iisdem obtingat, ita aut pro comoediis aut pro tragoediis fabulas habendas esse putant.

A pictoribus quoque et iis, qui signa fabricabantur, Telephus frequenter repraesentatus est *), inter quos erat nobilissimus Parrhasius. Euripidem enim hic secutus esse videtur, id quod colligi inde potest, quod eaedem personae, quibus in huius tragoedia res transiguntur, Telephus, Achilles, Agamemnon atque Ulixes, in illius tabula consociati conspiciebantur **). Accuratissime autem ex Euripide expressum est opus Etruscum, quod Iahnius inter-

*) Cf. Epigr. Anthol. Iacobs. T. II. p. 657.

**) Plin. H. N. XXXV, 10 (36), 71: laudantur et Aeneas Castorque ac Pollux in eadem tabula, item Telephus, Achilles, Agamemnon, Ulixes. Eandem ab hoc tabulam duobus aliis locis dici (XXV, 5 (19), 42. et XXXIV, 15 (45), 152.) coniecit Iahnius p. 9.

pretatus est, quo ostenditur Telephus in ara sacelli sedens, altera manu Orestem parvulum in gremio tenens, altera stricto gladio ictum minitans. In hunc irruentes Agamemnon, Ulysses atque Achilles a Clytaemnestra prohibentur. Quorum Achilles Ulyssesque armati sunt strictosque gladios manibus tenent, Agamemnon autem, ut qui bellum aversetur, vestitum habet eum, quo uti poterat inter cives degens, et sceptrum pro gladio tenet. Telephi vultus sciscitanti similis, reliqui anxietatem produnt, in infantis periculum ora convertentes. Achillis personam addens artifex anticipasse quae in dramate paullo serius eveniebant videtur. Eandem rem repraesentatam inveni in amphora quadam Hamiltonii, quam ad Astyanactis mortem perperam Tischbein (T. II. tab. 6.) retulit. Sedet in ara triglyphis, signis duabusque Sphingibus ornata Telephus, dextro pede fasciis obvoluto, ictumque minatur puero Oresti, qui passis manibus auxilium implorat nutricis, a parte sinistra accurrentis. Ab altera parte Clytaemnestra se obiicit Agamemnoni cum hasta et gladio in Telephum irruenti. Vultus omnium gestusque evidentissimi sunt.

Non possum finem huic dissertationi imponere, quin veritatis exemplar demonstrem, ad cuius similitudinem Telephi sors conformata est. Themistoclis enim exsulis et hostium fidei se permittentis casus fere singulos hac fabula repraesentari planum est *). Ad Molossorum regem Admetum, sibi infestum, confugit Themistocles, et suadente atque auxilium promittente uxore eius Phthia, parvulum regis filium arripuit et cum eo se in sacrarium, quod summa colebatur cerimonia, coniecit. Inde non prius egressus est, quam rex eum data dextra in fidem reciperet, quam praestitit. Nam quum ab Atheniensibus et Lacedaemoniis exposceretur publice, supplicem non prodidit **). Postea idem Themistocles ad regem Persarum confugit, in cuius domum plurima mala omnium Graecorum contulerat, quum Xerxem bellum universae Europae inferentem cum tantis copiis, quantas nemo antea habuerat,

*) Viderunt hoc Vaterus Vindic. Rhes. p. CLXIV. Geel l. l. et Welckerus p. 481.

**) Cornel. Themist. c. 8. Thuc. I, 136.

in sua prudentia atque fortitudine, tanquam in scopulo, illiso exercitu, infecta re redire coegisset fecissetque, ut Asia Europae succumberet. Huius igitur regis nunc supplex auxilium ac praesidium petiit, adeptusque pollicitus est se, si ad Graeciam opprimendam cum exercitu redire vellet, consiliis eum adiuturum esse, neque tamen contra patriam arma ferre sustinuit. In Asiam ex Macedonia traiicienti, nave vi tempestatis in Naxum delata, ubi tum Atheniensium erat exercitus, pereundum fuisset, nisi generositate domini navis, quem clarissimi viri miserebat, conservatus esset. Hos igitur Themistoclis casus Telepho fabula expressos redditosque esse manifestum est, estque hoc alterum exemplum, quo doceamur Euripidem ad similitudinem earum rerum, quas geri ipse vidisset, fabulas conformare solitum esse. Quemadmodum autem sua mala Goethius noster suosque ipse dolores imitando vehementissime omnium animos movit, ita Euripides ea, quae et populus et viri in republica principes vel fecerant vel passi erant, quibusque publice privatimque omnes afficiebantur, fictis sub nominibus personisque repraesentando magis etiam, quam ille, fabulas graves et verisimiles et affectibus aequalium familiares effinxit, et quasi qui cibum praeberet esurientibus desiderio communi omnium satisfecit. Videtur autem Themistocles paullo ante e vita discessisse, quam fabula Euripidis acta est. Denique iterata Graecorum expeditio expeditioni Persarum iteratae, et Telephus dux Hippiae duci simillimus est.

D. A l c e s t i s.

Venit dies fatalis, qua moriendum est Alcestidi, pro coniuge vitam deponenti; brevis horae momento mulier quidem probissima exstincta, vir autem optimus, quem salvum atque felicem esse summo studio amici cupiunt, factus erit miserrimus: iam enim illa animam agens in manibus suorum gestatur, vulnus insanabile marito, si eripiatur, relictura. Haec Apollo docet, moestus ex Admeti

domo prodiens, ut in qua ei funesta morari non liceat, et calamitatem regis optimi, amici humanissimi, cuius pietate mutua generosorum amicorum beneficia certatim provocantur, non sine dolore ostendens. Tali igitur amico quum privari se Apollo, servitutem apud illum patris iussu serviens, non sustinuisset, quumque diem ei fatalem appropinquare divinandi facultate, qua pollet, praevidisset, dolo Parcas decepit, quas constat neque vi cogi neque precibus molliri posse, impetravitque ab iis invitis, ut Admetus, si quis pro eo alius morti se obtulisset, ipse exsolveretur ac longius vitam ei producere liceret. Decuit autem aut patrem aut matrem, quibus et parvum vitae spatium superesset, neque quidquam praesidii, privatis filio iuvene, relinqueretur, mortem pro hoc haud cunctanter obire. His vero recusantibus, Admeti uxor, flore iuventutis vigens, sua morte coniugis vitam redimere constituit. Uxoris autem mors vicaria quin probanda fuerit ac redemtio lubentissime accipienda Admeto, et regi et patrifamilias, in cuius unius salute et popularium et liberorum salus niteretur, nemo dubitare potest, nisi qui officia personarum discernere nequit. Ceterum morte quidem Admetus per coniugem liberatur, sed idem huius obitu dolore afficitur tanto, quanto maiorem vix ex ulla alia re percipere potest. Itaque dimidium tantum salutis accepisse videtur, nisi aut vi aut arte etiam Alcestis morte liberetur. Neque difficile esset Apollini telis, quibus semper armatus est, Orcum, cummaxime ad initiandam devovendamque Alcestin cum gladio accedentem, repellere: sed eripere diis inferis praedam lege Iovis vetatur; quippe quum hanc ipsam ob caussam, quod Aesculapium, vitam mortuis restituentem, adiuvit, exsilio ac servitute mulctetur. Relinquitur, ut comitate et speciosis argumentis Orcum ad permutandam Alcestin cum grandaevis parentibus adducere conetur. Postquam ille, ut est durus, ferus truculentusque, nullam voluntatis neque gratiae suae rationem habere vidit, venturum alterum Admeti amicum praedicit, qui a se inchoata perficiat et mulierem per vim Orco eripiat. Haec locuti, quibus totus rerum decursus praedicitur, alter a domo abit, alter ad immolandam Alcestin intro se confert. Absolutum

artis opus hunc prologum esse iudicavit Goethius, et merito. Planissime enim docendo simul atque gravissime movendo maximum momentum facit minimo verborum actionumque impendio. Iam enim saevum Orcum, gladio armatum, nigris alis praeditum nigrisque vestibus tectum, in domum intrantem conspeximus ad capillos feminae praestantissimae libandos, qua cerimonia diis inferis consacretur: moribundam, animam agentem, in manibus viri, liberorum famulorumque gestari audivimus, extremos illius spiritus anxie observantium. Anxii habemur ipsi silentio, quod est circa aedes regias; cupimus aliquem prodire, qui nos certiores faciat, sitne iam pro mortua lugenda, an adhuc lucem videat regina; timemus, ne statim gemitum vel planctum vel ploratum exaudiamus, quo actum esse de illa significetur; neque tamen defunctam esse credimus, quoad nondum crines desectos neque aquam lustralem ante portas in vestibulo positam esse videmus; optamus, ut aliquid auxilii etiamnunc inveniatur; frustra precationes, frustra sacrificia, frustra oraculorum consultationes fuisse dolemus; operam et officium Aesculapii desideramus, qui solus duram necessitatem vincere potuerit vitamque mortuis restituere, antequam Iovis fulmine cohiberetur; iam remedium malorum nullum relinqui videntes, animum despondemus. Hos animorum affectus caterva civium pronuntiat, qui, regis mitissimi benignissimique amore ducti, illius calamitate non levius quam ipse moventur.

Altero actu illa omnia, quae vel suspicati sumus vel exspectavimus, praesentia exhibentur. Et primum quidem famula prodit, quae, postquam Alcestin pronam ad mortem esse lacrimans nuntiavit, quanta animi aequitate fato obviam ierit, ostendit. Nam ubi adesse diem fato destinatam senserit, fluviali aqua corpus ablutum vestibus recentibus purisque decenter ornasse; tum stantem ante aram Vestae orasse, ut tutelam liberorum suorum dea suscipere vellet, atque alteri probam uxorem iungere, alteri generosum maritum, denique curare, ne, sicut ipsa, immatura morte absumerentur, sed beati in patria vitam explerent iucundam. Item deinceps reliquas aras adisse, singulas ramis myrteis cinxisse, in singulis preces fecisse sine

gemitu, sine lacrimis, nil mutato oris colore. Ubi autem intrasset in cubiculum, tum vero lacrimasse, recordatam nuptiarum, quarum caussa iam, novae nuptae locum datura, ipsa de vita decederet, et osculatam esse lectum et multis lacrimis rigasse, et foras egressam saepius rediisse et subinde in torum se reiecisse. Liberos vero haerentes in matris vestibus plorasse, amplectente matre atque osculante, ut moritura. Tum famulis omnibus lacrimantibus, singulis dextram porrexisse, neque quemquam tam abiectum visum esse, quem non alloqueretur et audiret ultro alloquentem. Miserrimum autem esse Admetum, adfectum eo dolore, cuius oblivisci nunquam possit; et plorare, uxorem in manibus tenentem, et ne se deserat obsecrare, cupientem ea, quae fieri nequeant. Iam enim reginam, languido corpore, exiguo spiritu marcescere. His expositis famula in domum redit, civium studium officiumque dominis nuntiatura; mox regina, quod solis lumen ultimum videre cupit, foras ab Admeto producitur. Interim chorus miseratione Admetum prosequitur, cuius reliqua vita plena aegritudinis futura sit, simulque Apollinem precatur, ut aliquod huius mali remedium comminiscatur.

Produci foras moribundam non optime quidem naturae convenit, sed est theatri caussa necessarium. Solem et lucem et terram patriam cum domo paterna ultimum salutat Alcestis, dum videre sibi videtur manium portitorem cum navigio ad traiiciendum parato et audire hortantem, ut festinet, simulque sentire Orcum luridum, volucrem, qui se manibus iniectis ad inferos abducat. Viribus deficientibus, caligine oculis offusa, in lectum reclinatur; tum coniugi lamentanti et omni vitae iucunditate cum coniuge se spoliari sentienti haecce dicit: Ego animam meam salute tua viliorem esse ducens pro te morior, quum liceret Thessalorum cuicunque vellem nuptae opibus ac potentia frui. Sed nolui te privata vivere cum liberis orbis, quamvis iucunda vigerem iuventa, quum parentes tui grandaevi, quibus, te unico filio privatis, neque spes neque praesidium ullum vitae relinquebatur, et me et te et liberos nostros perdere, quam pati id, quod et officium et honestas iu-

bebant, maluerint. Pro hoc meo beneficio hanc a te gratiam peto neutiquam parem (vita enim nihil donari maius potest), sed aequam iustamque, ne novercam liberis meis in domum ducas, quae, invidia ducta, illos male tractet. Infestae enim solent novercae esse prioris tori liberis neque viperis mitiores. Et filii quidem masculi patris possunt in praesidio niti; filiae autem, cum sint iniuriis omnibus obnoxiae, et laesa fama nuptiarum spe privantur et solatio auxilioque omni destitutae sunt. Acerbum est vel hoc, quod neque in nuptiarum laetitia neque in partus doloribus, ubi nil matre dulcius est, matris opera et praesentia filia confirmabitur. Mihi enim iamiam moriendum est: proinde sitis felices, sitis memores, tu quidem, coniux, uxoris, vos, liberi, matris optimae. His auditis Admetus Alcestin etiam mortuam solam sibi uxorem fore pollicetur, neque ullam dignam esse, quae in eius locum succedat. Neque se, quoad vivat, luctum minuturum esse, sed valere iubere convivia et serta et cantus, omni gaudio cum uxore e vita sua exemto. Solum aegritudinis levamen fore, si imaginem uxoris, sollertis artificis manu effictam, amplectatur, summum gaudium, si eandem in somnis conspiciat. Quodsi Orphei sibi vox cantusque esset, quo Proserpinam cum Plutone demulceret, ad inferos descensurum esse, nullis terriculis prohibitum, quin in lucem illam reduceret. Nunc autem rogare, ut illuc se venturum exspectet locumque sibi paratum habeat: in eadem enim arcula cedrina compositum, latere lateri iuncto, curaturum esse, ne mortuus separetur ab ea, quam solam habuerit fidelem. Hac accepta fide, liberos Alcestis patri in manus tradit commendatque orbatos, mariti animum, una mori cupientis, confirmat, statimque exstinguitur. Ibi Eumelus, exstinctum oculorum vigorem solutasque manus videns, piis querelis matrem defunctam prosequitur, suam et sororis et patris sortem deplorans. Admetus autem, consolante choro, missis querelis, funus et honores defunctae adornat. Chorum naenias cantare iubet, populares omnes tonsis crinibus et pullis vestibus lugere, etiam equorum iubas secari, denique tibiarum lyraeque cantu duodecim menses abstineri. His mandatis editis, intro corpus

mortuae componendum aufertur; chorus statim naeniam orditur: o Peliae filia, vale in Orco domum tenebricosam habitans. Te longe optimam feminam Charon per paludem Acherontiam vexit; tuam laudem carminibus poetae celebrabunt, quotiescunque verno tempore Carneorum festa redibunt. Utinam possem te ex Orco in lucem reducere! Tu enim sola, o carissima mulier, coniugis vitam mortem obeundo redimere sustinuisti. Sit tibi terra levis! Si novum matrimonium coniux contrahat, vehementer mihi liberisque tuis invisus fuerit. Recusantibus enim parentibus neque servare filium, quem pepererunt, volentibus, quamvis essent aetate provecti, tu in ipso flore iuventutis vitam pro marito profudisti. Talem mihi uxorem esse opto, quae rara est felicitas, et vacuam dolore mecum aetatem exigere.

Tertio actu Hercules prodit hospitium Admeti quaerens, cum forte in Thraciam proficiscatur ad equos Diomedis abducendos. Praestantissimam huius personam effinxit poeta et convenientissimam iis, quae de viri rebus gestis memoriae tradidit antiquitas. Pari enim animi aequitate et laetis rebus, forte oblatis, fruitur et cum adversis, ubicunque accidunt, conflictatur. Neque laborem ullum, quamvis periculosum, detrectat, neque voluptatem, quamvis blandam, repudiat: superior enim utroque est, neque dolores mortemque timet, neque paret libidini, sed imperat. Futura nil curat, neque metu malorum imminentium perturbatur, neque cupidine gestit, neque voluptatum illecebris delinitur. Idem neque successibus victoriisque effertur, neque malorum, quae perpessus est, dolore cruciatur. Totus ubique est in rerum praesentium usu, nullis distentus curis, nullis alienis cogitationibus distractus. Sic quae quoque tempore agenda sunt rectissime cognoscit, neque unquam, sicut ii, qui suarum rerum satagunt, aut amicorum officiis aut populorum saluti aut generis humani commodis deest. En verissimum fortitudinis exemplar, en rectissimam perturbationes animi vincendi rationem. Hic quantum distat a timido illo Prodiceo Hercule, quem victorem fore et terrarum omnium et marium et Orci ter-

riculorum quisnam credat, quum Voluptatis, mulierculae, vel speciem horruerit? An quisquam futurorum nimis providus cautusque pericula strenue subiit? Quippe non providendo neque vitando mala superantur, sed viribus firmandis et sic conformando animi corporisque habitu, ut ad quemvis casum ferendum, quemvis eventum tolerandum apti simus. Noster igitur Hercules tam securus est futurorum, ut ad monstra equorum subigenda proficiscatur, nihil antea neque de horum natura neque de domini fortitudine sciscitatus, atque, edoctus forte de adversariorum immanitate, ad epulas et laetitiam convertatur; tam temperans a praesentis voluptatis cupidine, ut a comissatione continuo ad certamen cum Orco ineundum contendat; tam alienus ab admiratione rerum, quae patravit, ut omissa vitulatione et neglecta laetissimorum festorum, quae Admetus parat, celebratione, finito labore statim ad alterum laborem ineundum proficiscatur. Haec altera inducitur persona, quae pro amico optimo et benignissimo mortem adire non dubitet. Idem, si propositum fuisset, ut lentam mortem citra certamen periculumque obiret morbo marcescens, quin cognati alicuius vel affinis vel amici, in cuius vita minus quam in sua momenti esset, morte vicaria se redimi passurus fuisset, noli dubitare. Aliud enim est certamen ineuntem, proposito virtutis praemio, mortem non pavere, aliud quietum tabescere atque exstingui, ubi nihil utilitatis ex tali patientia sit neque in nostros neque in alienos redundaturum. Illud est praevalentium viribus hominum et invictam in se virtutem esse intelligentium; mortem pro aliis subire est minus viribus suis fidentium et plus in morte quam in vita sua amicis praesidii esse videntium. Hac ratione Orestes Pyladesque de morte obeunda inter se contendunt: quorum huic facile persuadetur, ut superstes esse velit, Oreste suam vitam nulli amicis utilitati esse docente. Contra Admeto cum uxore de eadem re contendere turpe fuisset: nam

εἷς ἀνὴρ κρείσσων γυναικῶν μυρίων ὁρᾶν φάος.

Sentiebant hoc Graeci, ut nihil opus habuerit Euripides theatrum de ea re docere, et sentirent nostri quoque, si

minus rara essent virorum feminis praestantium exemplaria *). Sed plerique nihil probare consueverunt, nisi quod effeminatum est, mollitiem animi humanitatem esse ducunt damnantque ingenuitatem vacuam ab affectatione.

Dignum Hercule amicum se praestat Admetus eo, quod, gravissimo luctu affectus, sensu doloris non perturbatur, neque proprio incommodo sic occupatur, ut officium amicitiae negligat. Qui alieni commodi caussa sic animo imperare, vincere vehementissimum dolorem, luctum acerbissimum dissimulare potest, adeo ut, recenti perculsus calamitate, ne quid ex dolore suo incommodi in amicum redundet, humanissime caveat, eum duritiae animi accusare, eum dicere vel proprii commodi studio vel vitae amore vel metu mortis adductum suam vitam vitae uxoris praeposuisse paene nefas est. Nemo unquam amicus pro amico ullo vel coniux pro coniuge incommoda ac labores sponte suscepit nisi eo, quem honestum, liberalem et generosum esse crederet, ut posset, si venisset usus, suum commodum amici commodo postponere; neque Alcestis pro Admeto mortem obisset, nisi eius animi magnitudinem ad quidvis pro amicis honeste patiendum faciendumque paratam esse cognovisset dignamque, pro qua invicem quidvis paterentur facerentque amici. Huius magnanimitatis testimonium ut exstaret, prudenter curavit poeta, quum dissimulato luctu amicum, ambiguitate dictorum deceptum, in hospitium ab Admeto recipi fecerit. Eam liberalitatem supra vulgarem hominum captum magnanimam (cf. v. 565.) meritis laudibus prosequitur chorus, ubertatem agrorum et fecunditatem gregum et insignem opulentiam inde natam esse ostendens. Motum enim hac liberalitate Apollinem Admeti domum habitare dignatum esse, quo greges custodiente inter dulcissima carmina pastoralia auctum esse mirum in modum pecorum iumentorumque numerum, arvorum autem spatia porrecta esse ad Molos-

*) Idem de Valerii M. IV, 6, 1. iudicio dicendum erit. Tib. enim Gracchum, qui coniugem quam se superstitem esse maluerit, multo Admetum generositate antecedere putat. Quid autem? Num ille invitam occidere uxorem potuit?

sorum fines et ab altera parte ad Aegaeum mare. Eadem liberalitate nunc Herculi domum patuisse, uxoris morte funestam, et repressas esse lacrimas verecundia hospitis. Tantam generositatem non destitutum iri digno praemio, et perfectum iri huius hospitis grato animo opus Apollinis benevolentia inchoatum, praesagit animus.

Quartus actus conficitur iis rebus, quae inter funus Alcestidis aguntur. Et primum quidem ultio quaedam ab interfectoribus illius in ipso funere, praesente mortuae corpore, exigitur et merita poena afficiuntur ii, quorum ignavia atque nequitia factum est, ut matrisfamilias morte tota domus confunderetur. Etenim conditione proposita, ut pro universae familiae salute morti se offerret is, cuius in vita minimum esset ad felicitatem reliquorum momentum, proximi fuerunt huic necessitati subeundae parentes grandaevi, in quorum persona minima pars salutis communis niteretur, administratione et rei familiaris et regni liberis tradita, tum quibus proprii auxilii praesidiique spes nulla relinqueretur, unico filio iuvene privatis, et qui minimo aetatis fructu fraudarentur, in limine vitae constituti. Quibus officium deserentibus, Alcestis non pro marito, sed pro parentibus mariti nequissimis mortem obisse, vel potius nefario scelere ab his interfecta esse videtur. Atqui pietatem Admeti non minus parentes, quam reliqui eius amici necessariique, experti erant, per longum spatium senectutis pie culti, sustentati et ab iniuriis defensi. Quibus beneficiis neglectis, quum filio, cuius tutela securi erant, se privari ipsi voluerint, iure ac possessione sua ultro cesserunt. Neque enim Admetus amplius vivit iis, quorum voluntate mortuus est, neque quidquam officii debet iis, qui vivere cum turpitudine atque ignominia, quam filium, domus columnam, servare maluerunt. Haec Admetus exprobrat patri ad corpus mortuae, dum effertur, insigni cum impudentia accedenti ac dona ornamentaque cum honestorum verborum pompa afferenti, quibus facti turpitudinem purgare conatur. Caussam Pheres defendit duobus argumentis, satis infirmis: nulla lege patres pro filiis mortem obire iuberi; reliquis officiis, quae civitatis instituto praescribantur, a se omnibus satisfactum esse. Tum vitam

omnium bonorum suavissimum esse, id quod Admeti ipsius facto, cum uxorem pro se mori passus sit, confirmetur. Quasi honestum sit exspectare, donec ad officium leges cogant, et quasi vita per se, destituta decore atque honore, cuiquam, nisi foedi abiectique animi homini, iucunda sit! Haec atque alia obiiciente Admeto, ad tantam turpitudinem delabitur Pheres, ut ignominiam se curare neget, dummodo, quoad fata sinant, vitam producere liceat. Meritis laudibus hanc dramatis partem extulit Wakefieldus: „Nihil recondunt, meo saltem iudicio, thesauri veterum venustatum, quod in tenui materia praeponi debeat sermocinationi, quae sequitur inter Pheretem et Admetum filium. Simplicitatis paene plus quam Euripideae filo ducitur oratio sententiarum prudentium referta, et mordacissimorum salium, sensu tamen praegnans illaborato, in omnibus denique perquam admirabilis, et quo vix perfectius aliquid ab humani ingenii conatibus sperari queat" *). His sic transactis et Pherete domo atque officiorum communione pulso, corpus ad rogum effertur, choro ultimum defunctae valedicente atque exsequias funeris prosequente, ut vacua fiat scena.

Interim, dum ploratus et planctus et lugubre carmen in scena audiebantur, Hercules intus citharae sono et laetissimis carminibus, vino epulisque recreatus, animum exhilarabat. In adversa enim aedium parte hospitalia collocata erant, et claudi iusserat Admetus ianuam faucium, quibus aula hospitalis cum aula familiae et tota illa aedium pars cum reliqua domo coniungebatur; idem famulis, quibus curam hospitis mandaverat, praeceperat, ut diligenter caverent, ne flendo lugendoque hilaritatem eius interpellarent. Accedebat, ut Hercules ipse suo cantu planctibus obstreperet. Hanc viri importunitatem aegre ferens famulus quidam, vixque lacrimis temperans in benignissimae dominae funere, prodit, quo liberius dolori, quem celare

*) Vix credas fieri potuisse, ut risum movere voluisse Euripidem hanc patris filiique contentionem super probissimae mulieris funere institutam proponendo quisquam arbitraretur; sed cf. Glumii comment. p. 55 seq.

iussus est, indulgeat. Et vehementer irascitur hospiti, qui, nulla calamitatis ratione habita, in domum intraverit funestam, neque modeste acceperit dona oblata, sed insuper postulaverit quaecunque luberet, tum mero calescens, corona myrtea capiti imposita, absurda ululaverit, domo ploratibus resonante. Hunc furem improbum et latronem appellat, indigne ferens, quod, quominus dominae funeri exsequiisque adesset, per eum sit prohibitus. Iam Hercules ipse, habitu epulantis, capite sertis redimito, in publicum prodit, vidensque famuli frontem tristem atque austerum, exhilarare eum studet praeceptis sapientiae iisdem, quibus saepissime Horatius, ad compotationem invitans tristes severosque, in carminibus utitur, brevem esse vitam neque cuiquam exploratum esse, an in posteram lucem victurus sit, tum mutabilem esse fortunam neque ulla arte aut ratione regi. Proinde neque vinum, quo tristitia resolvatur, neque voluptatem neque dulcissimos amores spernendos esse, et quod in diem detur vitae, in lucro deputandum, cetera, ut in fortunae arbitrio posita, minime quaerenda esse. Inde eum ad communiter potandum curasque vino pellendas invitat, morosis et male sua sorte contentis hominibus omnia dura a diis proposita esse affirmans *). Ad haec quum servus respondisset non esse eam domus fortunam, cui laetitia et potatio conveniret, Hercules quaerendo veritatem cognoscit. Tum vero indignans se in funesta et luctuosa hospitis domo comissatum esse caputque sertis redimisse, et admirans generositatem verecundiamque amici, qui ne gravissima quidem calamitate perculsus officium hospitii negligere voluerit, sine mora ad pugnam cum Orco committendam recuperandamque Alcestin proficiscitur. Sperat autem fore, ut prope tumulum inveniat ex inferiis delibantem atque impetu ex insidiis facto alatum opprimat. Sin minus ad inferias venerit, se

---

*) Plane inepta est scholiastae vituperatio: *οὐ λόγῳ τὸν ἥρωα εἰςήγαγε φιλοσοφοῦντα ἐν μέθῃ, ὃν ἔδει καὶ ἄλλον φιλοσοφοῦντος διαπαίζειν.* Quasi hoc genere philosophandi non omnes ubivis utantur, quicunque, aegre ferentes aliorum tristitiam in sua hilaritate, ad societatem laetitiae eos invitant.

etiam ad inferos descensurum esse praedicit, neque quieturum, donec, lucta superior factus, uxorem amico reduxerit. His dictis ad sumenda arma in domum redit, inde per ianuam hospitalem ad tumulum egressurus. Quo vix digresso, Admetus cum choro ex funere ad aedes redit et multo vehementius quam antea dolet in domum desolatam intraturus. Beatam iudicat defunctam, et cum illa esse apud inferos cupit; aegre fert, quod a choro, quominus in fossam sepulcri se praecipitaret, prohibitus sit. Felices existimat coelibes, quod morte coniugum liberorumque, acerbissimo omnium malo, nunquam afficiantur. Tum pompa funebris, qua uxor elata est, memoriam revocat pompae nuptialis, qua quondam in domum deducta est, quam laetitiam cum hoc luctu et priorem consuetudinem cum praesenti solitudine comparantem taedet aedium, in quibus et torus et sellae et liberi et famulorum vultus amissae coniugis admoneant, neque foris acquiescere potest, connubiis civium et conventibus mulierum et specie uxoris sodalium usque desiderium amissae augentibus, tum vero etiam inimicorum invidiam et infamiam veretur, quod, prodita uxore, superstes esse voluerit. Haec lamenta chorus consolando interpellat, dicens, nihil defunctam iuvari aegritudine, non Admetum solum neque primum coniuge privatum esse, malis mortales omnes aliis alios laborare, nihil accidisse novi, et perpetua usum felicitate Admetum impatientem esse doloris; tum exemplum commemorat senis grandaevi, qui filii unici mortem forti animo et constanti tulerit; postremo ad carmen sublimius quoddam canendum transit, quod genus *μετάβασιν* appellari diximus*), necessitatis vim celebrans, omni medicina, omni incantatione atque etiam ferro superiorem, neque precibus neque sacrificiis flexibilem, summi Iovis sociam. Huius vinculis correptum Admetum perdurare debere: neque enim lacrimis defunctos ab inferis reduci, et consumi morte etiam deorum filios. Quemadmodum autem heroas, ita Alcestin

*) Schol.: *ὁ ποιητὴς διὰ τοῦ προσώπου τοῦ χοροῦ βούλεται δεῖξαι, ὅσον μετέσχε τῆς παιδεύσεως· „καὶ περὶ μετεώρων ἐφρόντισα," οἷον ἠστρολόγησα καὶ ὁρμὴν ἐπὶ τούτῳ ἔσχον.*

quoque post mortem superstitem esse, neque pro tumulo eius sepulcrum habendum esse, sed pro ara, quam, ut beati numinis, viatores perpetuo veneraturi sint.

Postremus actus, qui reductionem habet Alcestidis, prudentissimo poetae consilio sic institutus est, ut Admetus insigni morum ingeniique exemplo edendo magis etiam quam antea dignus videatur, pro quo et uxor mortem obierit et amicus periculum atrocissimum susceperit. Is enim esse cognoscitur, qui plane nihil, quod modo honestum sit, amicis negare possit et omnibus in rebus suum commodum amicorum commodis postponat. Nam quod in ipso funere uxoris carissimae faciendo operam dedit hospiti luctumque celavit, parvum est, si comparetur cum obsequio, quo roganti amico satisfacturus est, peregrinam, quam putat, mulierem, et doloris sui incitamentum acerbissimum et infamiae invidiaeque fontem uberrimum, et cuius tactum instar Gorgonis horreat, in domum recipiendo. Tum facultas eidem datur confirmandi quod moribundae pollicitus est uxori, se nullam amplius mulierem tacturum esse et in lugenda coniuge reliquum vitae tempus consumturum, atque ea praesente Alcestide dici agique gaudemus. Neque minus Herculis vice laetamur, reducentis eam, qua amissa felicitas salusque amici in perpetuum exstincta esse videatur, et ignaro in manus tradentis virtute et labore suo recuperatam, quam ulla vi aut arte restitui posse ille negarit. Solum laboris praemium est Herculi videre laetitiam amici, subito ex moestitia natam. Quo spectaculo quo pleniori fruatur, ludificando antea moestitiam auget, quum peregrinam aliquam mulierem, quam praemium victoriae ex certamine publico a se reportatam esse fingit, in domum recipere ac, donec ipse ex Thracibus reversus sit, servare iubeat: cuius mulieris speciem habitumque velatae intuens Admetus, quum coniugem suam cernere sibi videatur, tam acri defunctae desiderio commovetur, ut temperare lacrimis, subito prorumpentibus, minime possit. Ibi Hercules optat sibi facultatem esse Alcestidem ex inferis in lucem reducendi restituendique amico. Negante Admeto id fieri posse, consolatur eum, denique novum matrimonium ineundo dolori iubet mederi. Eam vero vocem quum in-

dignetur ille et moriturum se prius, quam proditurum esse defunctam, affirmet, rursus mulierem, quam adducit, recipere iubet. Quod quamvis omnium rerum molestissimum sit, atque etiam horrorem mulier similitudine formae Admeto iniiciat, quasi sit spectrum ab inferis missum, tamen, qua est animi bonitate, amico enixe roganti obsequitur, mox, ubi iubente amico tetigit vultumque adspexit, uxorem agnoscit. Planum est, Euripidi hanc scenam componenti illa, quae de Pygmalione narrabantur, ob oculos versata esse. Simulacrum uxoris se pro vera posthac amplexurum esse dixerat Admetus. Simulacri instar Alcestis reducitur; sed quod vivit atque aliena esse videtur, faces admovet dolori, neque desiderio satisfacit, sed iniicit horrorem: qui affectus repente in laetitiam mutantur, ubi veram Alcestin esse intellectum est. Ceterum vocis usum, donec triduum peractum et iusta inferis diis rite soluta essent, Alcestidi negari rectissime finxit poeta. Carens enim oratione, quae est mentis imago, non repente integrum vitae vigorem recepisse videtur, id quod et veritati et deorum inferorum naturae consentaneum est, qui, etiamsi inviti, tamen nunquam gratuito nec sine mercede iuribus suis cedere credebantur. His sic peractis, gratulationem et supplicationem cum choreis publice indicit Admetus, Hercules continuo eo, quo tendit, proficiscitur.

Summi momenti ad aestimandam non huius tantum fabulae naturam, sed aliarum quoque, quae eiusdem sunt generis, et omnium Euripidis operum conditionem cognoscendam fragmentum est didascaliarum, quod in codice Vaticano inventum G. Dindorfius nuper divulgavit. Docemur enim satyrici dramatis locum Alcestidis fabulae ab Euripide assignatum fuisse, et natura sua satyricis esse, quam tragicis, fabulis propiorem visam esse antiquis. Cuius iudicii caussam non in solo exitu, quod in laetas res miserae convertantur, sed in universa fabulae structura quaerendam esse apparet. Excepta Herculis persona nihil vigoris nec roboris huic dramati inesse, sed molle et flebile carmen videri atque elegiae propiorem, quam tragoediae, speciem habere recte iudicavit Hermannus. Sed ipsa illa Herculis persona talis est, qualis satyrico dramati

melius, quam tragico, conveniat. Primum enim vastus importunusque est adeo, ut in domum hospitis funestam intret, neque rasuram eius neque os lacrimis oppletum neque reliqua manifesta gravissimi luctus documenta reputans, (quibus, si minus simplicis fuisset animi, plus credidisset, quam verbis ambiguis, haesitantibus verecundisque); ut benignitate hospitis impudenter abutatur, postulans atque afferri iubens quaecunque lubet; ut, vix ingressus, statim comissationem ordiatur atque ululanti voce carmina cantet, planctibus familiae obstrepens. Tum remissus ad comitatem hilaritatemque est adeo, ut in publicum prodiens habitu comissantis sententiam expromat iis, qui minus sunt generoso magnoque animo, quam pollet ipse, parum salutarem, sed lubricam atque perniciosam, et ad communiter bibendum servum invitet. Denique levitatis est tantae, ut ex gravissimo vitae periculo atque atrocissimo certamine tanquam ex comissatione redeat, non triumphet, neque gratuletur sibi, non magnificis verbis victoriam celebret, sed festive iocetur ludificetque amicum, nec nisi interrogatus atque obiter de re gesta doceat.

Proprium satyricorum est dramatum *) inducere personas et ab honestatis studio et ab humanitatis sensu alienas, cuius generis primum satyri sunt impudici, turpes, protervi, agrestes, nudi iis rebus, in quibus cultus vitae humanus civilisque positus est, ignari officiorum omnium, quorum studio hominum coniunctio et familiarum, gentium, civitatum, populorum, denique generis humani universi societas servatur; deinde monstra illa vel hominum vel daemonum, qui, a pietate, a iustitia, a religione, a deorum metu, a sensu humanitatis alieni, rapinis vivunt et nefariis sceleribus, instar belluarum, tum populorum civitatumque tum privatorum salutem perdunt. Alteri ignari sunt legum morumque, magisque ridiculi quam noxii, ob eamque rem Baccho grati, cuius dono mortales aegritudine et molestia liberantur, qua rei et domesticae et publicae cura

*) Glumius quum multa conquireret, quibus satyricam huius dramatis naturam fuisse efficeret, caput et principium caussae non reperit.

perpetuo afficit eos, qui, deposita naturae libidine, relicta vita silvestri, iurum legumque vinculis cohibentur. Alteri, virium magnitudine freti, spernunt leges evertuntque consulto et damna inferunt societati humanae, ubicunque exstiterunt: itaque in iis tollendis purgandisque terris ab hac peste virtus virorum magno animo, magnis viribus magnaque prudentia praeditorum praecipue elaborat. In medio utrorumque positus est Hercules, virium vastitudine nullo monstro inferior, remissione animi, ubi vino se epulisque dedit, satyrorum societatem non spernens, naturae suae violentia legibus omnibus superior, idem in vindicandis legibus tollendisque latronibus semper occupatus. Unde factum est, ut Herculis latrones interficientis et cum satyris comissantis persona satyricis fabulis familiaris esset. Et pleraque horum, quae modo exposui, huic quoque dramati inesse videmus. Absunt satyri, quorum loco servus ad comissandum invitatur; adest autem monstrum diis hominibusque invisum, Orcus sive *Θάνατος*, cuius ex manibus praeda eripitur.

Ad Admetum transeo, qui manifesto primas partes agit, quamvis Alcestidis nomen fabulae inscriptum sit. Hic nulla earum virtutum insignis est, quae vel bellatorem vel regem rebus magnis gerendis idoneum vel virum ad labores fortiter sustinendos, pericula strenue adeunda, mala magno animo et constanti perferenda aptum deceant; sed simplicis prae se fert patrisfamilias speciem. Pietate, liberalitate, benignitate, bonitate, teneritate excellit, quas virtutes summi facere solet nostra aetas ac paene solas laude dignas habere. Mollities animi conspicitur in eo, quod nihil potest iis, quos diligit, negare, quamvis sibi non modo periculosum, verum etiam ignominiosum fore sentiat. Mirarer, quod talis ingenii homo uxoris consilium mortem pro ipso obeundi probasset, nisi quo quis ad tribuenda beneficia paratior sit, eo ad accipienda eundem proniorem esse intelligerem, cuius rei caussa posita est in consuetudine ex nostris ingeniis alios aestimandi. Neque enim recusamus accipere id, ad quod praestandum, si res paterentur, ipsi parati essemus. Idem ab omni turpitudine committenda alienissimus est, satisque fortis ad ce-

landum dolorem cohibendasque lacrimas iustissimas, et fidem incorruptam servat et ultionem malorum strenue persequitur, et quanta fide bonorum amicitiam colit, tanta constantia ignavos ingratosque propellit:

Ἀδμήτου λόγον, ὦ 'ταῖρε, μαθών, τοὺς ἀγαθοὺς φίλει,
τῶν δειλῶν δ' ἀπέχου, γνοὺς ὅτι δειλῶν ὀλίγα χάρις.

Forte et generosum facinus edit Alcestis, animam effundens pro Admeti salute. Neque tamen ardore animi incitatur, ut parva ducat esse quae amittat prae iis, quae efficiat atque consequatur, ut, exemplum se proponere mulieribus aeterna laude dignum intelligens, doloris obliviscatur et bono animo etiam maritum esse iubeat, ut more Iphigeniae atque Polyxenae mortem obiens triumphet. In pietate colenda, in fide praestanda, in gratia referenda virtus eius tota cernitur, nec dissimilis est Admeto, quem anima sua cariorem habet.

Sic in mitioribus mollioribusque animi affectibus celebrandis universum hoc drama versatur. Accedit, ut saevitas atrocitasque absit malo, quo domus Admeti laborat. Materfamilias enim morte fatali decedit et, e mariti amplexibus, ex liberorum consuetudine erepta, ad rogum, comitantibus exsequias famulis civibusque, effertur, quae magis idyllica quam tragica est rerum conditio. Neque desunt hilaria, quibus res miserae et interpellentur et in fine tollantur. Contra omissa est certaminis atrocissimi narratio, ut naturae dramatis parum conveniens.

Reprehensio ab antiquis quidem scriptoribus huic dramati facta est nulla, contra laudis atque admirationis documenta exstant plurima. Recentiorum quo quis longius abfuit a recta cognoscendi aestimandique via (et abfuerunt alius alio errore ductus plerique), hoc plus invenit, in quo offenderetur, quos omitto, partim iam ab aliis refutatos, partim iam dictis iis, quae ad arcendos errores apta sint. Vehementer theatrum Atheniensium motum esse veritate affectuum et verborum omnium rerumque concinnitate, a fuco atque inani pompa alienorum, testatur Aristophanes, pluribus locis praestantissimis Euripidis dictis abutens, velut Equit. 1251., Acharn. 639. 893., Avib. 539., Thesm. 194.,

Nub. 1415., quod facere non potuit, nisi (quae est vere simpliciterque dictorum virtus) animis auditorum illa quasi sponte haererent. Et sentit quivis, quamvis sit rudis indoctusque, nisi sit nostri saeculi erroribus imbutus, non solum verborum elegantiam, sed rerum quoque aptam compositionem et morum prudentem temperationem, quibus hoc drama excellit. Omitto recensere, qui vel argumentum dramatis vel singulos versus respexerint imitatique sint, velut Aelianum N. A. XII, 44., Plutarchum Cons. 107. C., Dion. Cass. p. 71. A., Arrianum Epict. II, 22., Platonem Sympos. p. 179. B., Sextum Emp. I, 33. p. 61. Totum vero opus qui imitati sint, plures et inter antiquos et inter recentes inveniuntur, de quibus adeas G. Hermannum et G. A. Wagnerum in iis, quae editionibus suis praefati sunt, tum Glumium in commentatione de Eur. Alc. p. 21 seqq., quibus adde Vilandium in opp. vol. XLVII. p. 204 (XLVI. p. 18). Fabulam omni poesi carentem Herderus composuit, quum superare Euripidis opus studeret. Laevius, poeta latinus, utrum Euripidem, an Phrynichum, an Moschionem (si quidem Pheraeis huius idem, quod Alcestidi, argumentum fuit *)), imitatus fuerit, dubito; fragmenta quidem ab Euripidis opere non absona esse videntur. Ad v. 470. enim referri possunt verba haec:

corpore pectoreque
Undique obeso ac mente exsensa,
Tardigenulo senio oppressum,

ad v. 635. dulcioriloquus, ad v. 438 seqq. loca silenta, ad v. 342. carendum tui est, ad v. 656. oblitera gens, ad v. 403. vel 189. manciolis tenellis, ad v. 847. accipitret, ad v. 800. subducti supercilii carptores **). Ceterum quaedam eorum, quae Gellius XIX, 7. collegit, ex aliis poematis decerpta esse recte suspicatus esse videtur Hermannus. Attianae fabulae unus versus servatur apud Priscianum:

quum striderit retracta rursus inferis,

qui potest in oratione Herculis v. 850—854. locum ha-

---

*) Suspicatur hoc Welckerus p. 1049.

**) Cf. Glumii comment. p. 33 seq.

buisse. De Vilandii nostri imitatione videnda est Goethii fabula dii heroes Vilandiusque inscripta, plena festivitatis atque facetiarum. Picturis quoque et caelatis operibus Euripideae fabulae argumentum saepius repraesentatum esse documento est et tab. 86. monumentorum, quae Vinkelm. Romae 1767. edidit, et Gernhardii imaginum tab. 28. centuriae pr. et Zoegae cael. opp. Rom. tab. 43.

In disponendis huius didascaliae fabulis ab atrocioribus ad mitiora, a gravioribus ad leviora, a tristioribus ad laetiora Euripidem progressum esse apparet. Pathetici generis fuerunt Cressae et saevitia vindictae horrorem iniecerunt. Paullo mitiora fuerunt quae in Alcmaeonis fabula acta sunt, sed, si per se spectentur, tamen atrocissima: interficitur enim a patre, qui genuit, mulier probissima et praemio, non supplicio, dignissima. Et harum quidem tragoediarum infelicissimus est exitus. Sequuntur duae, in quibus miserae res in laetas convertantur. Et Telephum quidem eius generis fuisse, quod implicatum (πεπλεγμένον) dixit Aristophanes, planum est; Alcestin ad morale genus recte retuleris.

VI.

De philosophia Euripidis rationali.

„Pericles, Xanthippi filius, primus adhibuit doctrinam: quae quanquam tum nulla erat dicendi, tamen, ab Anaxagora physico eruditus, exercitationem mentis a reconditis abstrusisque rebus ad caussas forenses popularesque facile traduxerat. Huius suavitate maxime hilaratae sunt Athenae, huius ubertatem et copiam admiratae, eiusdem vim dicendi terroremque timuerunt. Haec igitur aetas prima Athenis oratorem prope perfectum tulit. Nec enim in constituentibus rem publicam nec in bella gerentibus

nec in impeditis ac regum dominatione devinctis nasci cupiditas dicendi solet: pacis est comes otiique socia et iam bene constitutae civitatis quasi alumna quaedam eloquentia. Itaque ait Aristoteles, cum sublatis in Sicilia tyrannis res privatae longo intervallo iudiciis repeterentur, tum primum, quod esset acuta illa gens et controversiis nata, artem et praecepta Siculos Coracem et Tisiam conscripsisse." Verba sunt Ciceronis in Bruto c. 11 seq., quibus addas cap. 8: „Tum Leontinus Gorgias, Thrasymachus Chalcedonius, Protagoras Abderites, Prodicus Ceus, Hippias Eleus in honore fuit aliique multi temporibus eisdem docere se profitebantur, arrogantibus sane verbis, quemadmodum caussa inferior (ita enim loquebantur) dicendo fieri superior posset (*τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν*)."

Quanta Euripidis aetate mentium morumque mutatio disciplina philosophorum, cuius optimi quique et nobilissimi adolescentes cupidissimi erant, effecta fuerit, cum omnibus fabulis, tum imprimis Nubibus Aristophanes ostendit, in quibus induxit rustici cuiusdam filium, qui nobilium adolescentium mores imitando rem familiarem perdidisset, operam dantem philosophis hoc consilio, ut, iniustam doctus orationem, posset ius et iniuriam confundendo rem perditam restituere. Hic igitur, ad Socratem deductus, non solum astronomiam et geometriam, sed etiam dialecticam atque rhetoricam sive orationum spinosarum argutias (*λόγων ἀκριβῶν σχινδαλάμους*) docetur. Cuius disciplinae fructus summa disserendi agendique libido est. Nihil enim eorum, quae publice sancita sunt, verum, certum firmumque esse videtur, sed quum et initio disserendo atque persuadendo omnia instituta esse videantur et postmodum opinionum tenacitate atque consuetudine confirmata, posse etiam disserendo tolli, apparet; cf. v. 1421:

οὔκουν ἀνὴρ ὁ τὸν νόμον θεὶς τοῦτον ἦν τὸ πρῶτον,
ὥσπερ σὺ κἀγώ, καὶ λέγων ἔπειθε τοὺς παλαιούς;
ἧττον τί δῆτ' ἔξεστι κἀμοὶ καινὸν αὖ τὸ λοιπὸν
θεῖναι νόμον τοῖς υἱέσιν, τοὺς πατέρας ἀντιτύπτειν;

Inde cum auctoritate morum a maioribus traditorum cumque legum sanctitate simul deorum veneratio tollitur, et in locum numinum, quae colit vulgus, tria substituuntur,

aether sive aer cum nubibus, qui coelestium deorum munera dignitatemque sibi vindicet, lingua, quae res humanas administret, et chaos, ex quo omnia formentur (v. 424: *τὸ Χάος τουτὶ καὶ τὰς Νεφέλας καὶ τὴν Γλῶτταν, τρία ταῦτα*). Horum autem principatum tenent nubes ideo, quod in quamlibet formam facillime mutantur neque quidquam habent solidi, firmi certique, atque eam ob caussam eaedem dialecticae sunt praesides auctricesque, tribuentes hominibus prudentiam, disserendi vim et praestigias cum calumniandi, commovendi opprimendique facultate (v. 317):

αἵπερ γνώμην καὶ διάλεξιν καὶ νοῦν ἡμῖν παρέχουσι
καὶ τερατείαν καὶ περίλεξιν καὶ κροῦσιν καὶ κατάληψιν.

Unde fit, ut dialectica sive *ἄδικος λόγος*, qua unice homines nunc confidunt, contraria sit probitati, sanctitati, fortitudini et frugalitati, quas colebant patres. Quemadmodum autem ad Herculem Prodiceum Virtus Voluptasque venerunt, quae suis quaeque bonis propositis ad se sequendum certatim eum invitarent, ita coram Phidippide Dialectica et Probitas (*δίκαιος λόγος*) certamine inito de principatu contendunt, et superior discedit dialectica, quidvis flagitii se duce impune committi posse ostendendo. Hanc igitur amplexus ille patrem verberibus afficit, et recte factum esse tam speciosis argumentis confirmat, ut ei ipsi, quem percussit, persuadeat. Morum conversionem his verbis praedicat (v. 1399):

ὡς ἡδὺ καινοῖς πράγμασιν καὶ δεξιοῖς ὁμιλεῖν,
καὶ τῶν καθεστώτων νόμων ὑπερφρονεῖν δύνασθαι.
ἐγὼ γάρ, ὅτε μὲν ἱππικῇ τὸν νοῦν μόνον προςεῖχον,
οὐδ' ἂν τρί' εἰπεῖν ῥήμαθ' οἷός τ' ἦ, πρὶν ἐξαμαρτεῖν·
νυνὶ δ', ἐπειδή μ' οὑτοσὶ τούτων ἔπαυσεν αὐτός,
γνώμαις δὲ λεπταῖς καὶ λόγοις ξύνειμι καὶ μερίμναις,
οἶμαι διδάξειν, ὡς δίκαιον τὸν πατέρα κολάζειν.

Eam autem morum permutationem non minus Euripidis carminibus, quam Socratis philosophia effectam esse

tum in hac fabula tum in Ranis arguit comicus. Repudiat enim Phidippides, ut priscos obsoletosque, Simonidem atque Aeschylum

ψόφου πλέων, ἀξύστατον, στόμφακα, κρημνοποιόν,

contra Euripidem ut sapientissimum admiratur et canit Aeoli fabulam, qui incestum cum germana commissum callide tegat purgetque; quin etiam eam ipsam ob caussam, quod Euripidem vituperet, patrem verberibus castigat. In Ranis omnis accusatio a Socrate ad Euripidem transfertur, qui *πανοῦργος* vocatur, sicut ille *ὁ πάντα τολμῶν* (Nub. 375.), et inducitur Dionysus tanquam Atheniensium, quales illo tempore erant, exemplar, ignavus, vafer, versutus, et Euripidis admiratione insanus. Caussa admirationis sophistice est, qua novos deos eosdem, quos Socrates, inducat (v. 892.) et veteratores pro bellatoribus repraesentet, qui fas nefasque misceant (v. 1078—1088.), eoque nomine improbissimo cuique gratissimus sit,

τοῖς λωποδύταις καὶ τοῖσι βαλαντιητόμοις
καὶ τοῖσι πατραλοίαισι καὶ τοιχωρύχοις,
ὅπερ ἔστ' ἐν Ἅιδου πλῆθος· οἱ δ' ἀκροώμενοι
τῶν ἀντιλογιῶν καὶ λυγισμῶν καὶ στροφῶν
ὑπερεμάνησαν κἀνόμισαν σοφώτατον.

Iam enim eruditio etiam ad infimos humillimosque permanavit, ut nemo Atheniensium non libros legat discatque subtilitates (v. 1114):

ἐστρατευμένοι γάρ εἰσι,
βιβλίον τ' ἔχων ἕκαστος μανθάνει τὰ δεξιά.

Huius igitur dicendi facultatis, huius eruditionis, huius acuminis se civibus auctorem fuisse praedicat Euripides (v. 954.):

ἔπειτα τουτουσὶ λαλεῖν ἐδίδαξα —,
νοεῖν, ὁρᾶν, ξυνιέναι, στρέφειν, ἐρᾶν, τεχνάζειν,

et testatur Aeschylus palaestram cum dicendi studio ab Atheniensibus permutatam esse, quum sua memoria praeter *μᾶζαν* et *ῥυππαπαί* nil dicere potuerint (v. 1069.):

εἶτ' αὖ λαλιὰν ἐπιτηδεῦσαι καὶ στωμυλίαν ἐδίδαξας,
ἣ 'ξεκένωσεν τάς τε παλαίστρας καὶ τὰς πυγὰς ἐνέτριψε κτλ.

Congredientes deinde in certamen alter magniloquentia et praerupta verborum audacia, tum rerum pondere et gravitate adversarium percellit, alter acumine, subtilitate, calliditate, argutiis vim minasque eludit (v. 818—829.), sed postremo suo ipsius gladio instar Palamedis iugulatur, respondente Baccho diffamata illa *ἡ γλῶσσ' ὀμώμοκε* et *τί δ' αἰσχρόν, ἢν μὴ τοῖσι θεωμένοις δοκῇ;* et *τίς οἶδεν, εἰ τὸ ζῆν μέν ἐστι κατθανεῖν;* Principium autem et fontem depravationis tum morum tum poeseos quaerendum esse in philosophia sive in Socraticis chartis iudicat Aristophanes iisdem, quas recte scribendi magistras esse dixit Horatius. Damnandum esse illius iudicium spernendamque sententiam hodie quivis, qui vel mediocriter sapit, intelligit: absolvit enim Socratem et comprobavit philosophiam eius saeculorum omnium posteritas: neque huius caussa ab Euripidis segregari potest, neque Aristophanes ipse segregari eam voluit, et huius non minus quam illius personam falsis criminationibus turpavit. Miseret nos stultitiae Aristophanis, si eruditionem Atheniensium cultumque ingeniorum, ex quo summa beneficia ad universum genus humanum permanaverunt, quem et Romani victores et christiani hostes, quum reliquas laudes omnes damnarent, admirati sunt, sine quo hodie Graecos non pluris quam Aegyptios vel Persas faceremus, hunc, inquam, si improbavit ac tanquam improbitatis nequitiaeque caussam damnavit, si Meliti Anytique accusationi nomen subscripsit, scilicet vehementer dignus est, cuius iudicium nos miremur, qui lucem veritatis posthabitis rebus omnibus nos sequi gloriemur! Refutationem Aristophanis qui quaerit, Periclis orationem funebrem adeat, qua neque philosophiae studium fortitudini Atheniensium neque ingeniorum cultum exercitationi corporum obfuisse ostenditur. Sed enim non est opus alienis testibus: contradicit sibi Aristophanes ipse, nec minus acriter priscos mores et *μαραθωνομάχων* illorum ineptias, morositatem, rusticitatem, gloriositatem, superstitionem, sordes in Vespis, quam vitia iuniorum in Nubibus perstringit, neque omnino certam aliquam sententiam tueri, sed risum movere ac delectare vult*). Con-

*) Non vituperationem, sed risum sequi comicos (*οὐ ψόγον, ἀλλὰ τὸ γελοῖον*) cum alii tum Aristoteles docet Poet. 4, 9.

firmantur his, quae disputavi, graecorum hominum iudicia de Aristophane reliquisque comicis facta, velut Plutarchi in vit. Pericl. c. 13: *καὶ τί ἄν τις ἀνθρώπους σατυρικοὺς τοῖς βίοις καὶ τὰς κατὰ τῶν κρειττόνων βλασφημίας, ὥςπερ δαίμονι κακῷ, τῷ φθόνῳ τῶν πολλῶν ἀποθύοντας ἑκάστοτε θαυμάσειεν;* Luciani in bis accus. §. 33: *τὸν Εὔπολιν καὶ τὸν Ἀριστοφάνην, δεινοὺς ἄνδρας ἐπικερτομῆσαι τὰ σεμνὰ καὶ χλευάζειν τὰ καλῶς ἔχοντα.* Aeliani V. H. II, 13: *Ἀριστοφάνην τὸν κωμῳδίας ποιητήν, βωμολόχον ἄνδρα καὶ γελοῖον ὄντα καὶ εἶναι σπεύδοντα.* Aristotelis Poet. 4, 7: *οἱ μὲν γὰρ σεμνότεροι τὰς καλὰς ἐμιμοῦντο πράξεις καὶ τὰς τῶν τοιούτων, οἱ δὲ εὐτελέστεροι τὰς τῶν φαύλων.* adde ibid. §. 10. Quid? quod Aristophanes ipse se in Euripide idem illud, quod in Ranis acerbissime vituperat et propter quod dignum fuisse dicit, qui medius disrumperetur*), maxime admiratum ac studiosissime imitatum esse fatetur apud Plutarchum de aud. poet. c. 11. p. 30: *ὁ δὲ ἐμφύεται τῷ κάλλει καὶ τῇ κατασκευῇ τῶν ὀνομάτων, καθάπερ ὁ Ἀριστοφάνης περὶ τοῦ Εὐριπίδου φησί·*

χρῶμαι γὰρ αὐτοῦ τοῦ στόματος τῷ στρογγύλῳ,

quodque ea imitatione illum alterum Euripidem factum esse Cratinus comicus testatur?

τίς δὲ σύ; κομψός τις ἔροιτο θεατής·
ὑπολεπτόλογος, γνωμοδιώκτης, Εὐριπιδαριστοφανίζων **);

Sui igitur ipsius exemplo confirmavit verum esse, quod Euripidem praecipuum eruditionis Atheniensium auctorem fuisse et ad summos infimosque huius poetae vim atque disciplinam manasse testatus est. Atqui hoc obtrectatores hodie non tam virtutis poetae, quam depravationis populi Atheniensium signum esse volunt. Qui si sibi constare volent, non Athenienses solos cum sociis, sed hostes quoque eorum, Peloponnesios, nec tantum eos populos, qui belli perniciosissimi labe inquinarentur, sed etiam eos, qui contagionis malorum expertes essent, neque vicinos tantum-

*) V. 955: *ὡς πρὶν διδάξαι γ' ὤφελες μέσος διαῤῥαγῆναι.*
**) Attulit Pflugk. in praefat. p. XXXVIII.

modo, sed remotiores quoque, Siculos atque Caunios, ea potissimum aetate, qua in fastigium eruditionis Graecorum gentes ascendisse, iis temporibus, quibus philosophia, litteris, humanitate vitam perpolitissimam fuisse, quibus summam omnium artium perfectionem et sincerissimum hominum iudicium fuisse constat, eo igitur saeculo, quo praestantissimarum artium studia vigebant, quo illa ipsa inventa sunt, quae hodie omnes admiramur, quo ad perfectionem adducta sunt quaecunque in vita humana praeclara habentur, eo saeculo Graecos universos depravatos, corruptos, turpissimos, vitiis omnibus inquinatissimos fuisse affirmandum erit. Audiamus quae Plutarchus in vita Niciae c. 29. memoriae prodidit, quibus non modo confirmatur quod Aristophanes testatur, Athenienses illo tempore prae reliquis Graecis eruditionis laude floruisse, idque Euripidis potissimum opera beneficioque doctissimarum fabularum effectum fuisse, sed etiam quicquid esset Graeci nominis eiusdem eruditionis eorundemque carminum audiendorum cupidissimum fuisse ostenditur. Enarratis enim variis Atheniensium, qui expeditioni Siciliensi interfuerunt, fatis, „Non pauci," inquit, „vel furtim ex latomiis subtracti vel qui inter servos delituissent divenditi sunt. Verum his verecundia et morum honestas auxilio fuit. Aut enim brevi manumissi sunt, aut in honore habiti apud dominos remanserunt. Nonnullis etiam Euripides salutem attulit. Nam praeter ceteros interiores Graecos Siculi huius poetae studiosi fuisse videntur, et cum exigua subinde illius carminum specimina et quasi gustus ad eos perferrentur, ediscebant laetique inter se communicabant. Eo igitur tempore ferunt permultos eorum, qui sospites domum revertissent, Euripidem honoris caussa salutasse ac praedicasse alios se libertatem ex servitute recepisse, quod quae memoria tenerent illius carmina dominos docerent, alios se, quum post pugnam vagantes victu carerent, cibo potuque adiutos esse, cum versus illius cantarent. Quo minus mirandum est, quod Caunios narrant, cum navigium quoddam (Atheniensium) latronibus insequentibus ad portum eorum confugisset, initio quidem non recepisse sed prohibuisse aditu, tum vero interrogasse,

ecquid Euripidis cantilenas nautae tenerent, et, affirmantibus his, statim concessisse, ut navis subduceretur."

Loquacitatis quidem Euripides non ab Aristophane solo, sed ab aliis quoque scriptoribus passim accusatur, teste Plutarcho de rect. rat. aud. c. 13: μέμψαιτο δ' ἄν τις Ἀρχιλόχου μὲν τὴν ὑπόθεσιν, Παρμενίδου δὲ τὴν στιχοποιίαν, Φωκυλίδου δὲ τὴν εὐτέλειαν, Εὐριπίδου δὲ τὴν λαλιάν, Σοφοκλέους δὲ τὴν ἀνωμαλίαν. Philosophantur enim apud eum promiscue omnes, mulieres, adolescentes, servi, id quod gloriantem ipsum fecit Aristophanes Ran. v. 949:

ἀλλ' ἔλεγεν ἡ γυνή τέ μοι χὠ δοῦλος οὐδὲν ἧττον
χὠ δεσπότης χἠ παρθένος χἠ γραῦς ἄν —,

tum etiam iis, quorum personas philosophia minus dedecet, saepe sententiae tribuuntur eae, quibus magis Euripidis, quam ipsorum, sensa exprimantur. Quum difficile sit omnibus poetis in hoc genere moderari animo, cupidinem reprimere studiumque celare sic, ut sub aliena persona latentes perpetuo fallant, tum vero eorum, qui a philosophia ad fabulas componendas proficiscuntur, vix ullum invenias, qui in via lubrica non titubet et saepissime etiam labatur. Est enim investigatio caussarum, qua ad cuiusque rei abditam originem perspiciendam descendimus, contraria ei mentis cogitationi, qua res utcunque natas imaginamur et speciem continuo talem, qualem res effectae nanciscuntur, effingimus. Attamen perfectissima artis opera ex utriusque facultatis conciliatione nascuntur, sicut eorum, quae natura procreavit, praestantissima quaeque sunt ea, in quibus dotes inter se contrariae felicissima mixtione consociatae sunt ita, ut aliae aliis compensentur, confirmentur, illustrentur. Non recte munere officioque poetae fungitur is, qui nullis sui animi dotibus instructos ditatosque homines tales, quales vulgo sunt, effingit. Neque enim vulgarem rerum speciem in fabulis quaerimus, sed poetae, sub alienis personis latentis, opera opibusque auctos homines et in altiorem quendam locum evectos, unde pateat liberior in caussarum effectuumque nexum prospectus. Nam quis ferret satyrorum turpitudinem, quis rudium hominum stupiditatem, quis sceleratorum impietatem libere se iactantes, nisi horum quasi persona indutus poeta imi-

taretur tantum, non ipsam repraesentaret naturam eorum, ut illius animum perspicere nobis videremur, horum sermones actionesque cognoscentes. Hoc, puto, intelligens Euripides levium rudiumque hominum personis aliquid momenti addendum esse statuit, et participes eos facere eruditionis, cui illa aetate promiscue omnes studuisse constat, hoc spectans, ne qua carminum pars utiliter disputatis monitisque vacaret. In Atheniensium moribus institutisque illae quoque frequentissimae orationum contentiones nituntur, quibus fere binae personae, quarum altera accusatoris altera rei vicem subeat, caussas quasi in iudiciis dicunt tam docte atque egregie, ut artis magistri vix inveniant, quod vel corrigere possint vel reprehendant. Fecit idem Sophocles, item saepissime hoc artificio, tanquam plurimum valente ad delectandos movendosque spectatores, usus est Aristophanes. Quippe certaminibus spectandis unice delectabantur Graeci; his acui vires, incendi studia credebant, ut ad summa quaeque fastigia aemulatione eniterentur. Contendebant inter se non solum pugiles luctatoresque, sed etiam poetae, musici, oratores; certamina singulis tam animi quam corporis virtutibus instituta atque praemia proposita erant, quae suae quisque laudis aemulos peteret vincendo. Quid? quod ipsorum magistratuum honorumque ambitio atque universa reipublicae administratio in contentionibus aemulorum posita erat, neque ulla pars vel privatae vel publicae vitae certaminibus vacabat. Hunc igitur morem in fabulis componendis necessario secuti sunt etiam tragici poetae: quod factum non est quod vituperemus, sed potius, si fieri possit, imitemur. Neque enim alia ratione planius, simplicius, luculentius, gravius caussae personarum, quarum diversis contrariisque studiis difficultates omnisque rerum implicatio conficitur, exponi et ius atque iniuria partis utriusque demonstrari potest*).

*) Goethe in iis, quae de veterum parodia disseruit, haecce scripsit verissima: „Die Griechen, die als geselliges Volk gerne sprachen, als Republikaner gern sprechen hörten, waren so an den öffentlichen Vortrag gewöhnt, dafs sie unbewufst die Redekunst sich eigen gemacht hatten und dem-

In hoc autem genere praecipue viget ars Euripidis oratoria: summo enim acumine, summa subtilitate personae omnes quaecunque ad caussam defendendam apta sunt inveniunt, summa prudentia argumenta disponunt, summa eloquentia ornant orationem; conciliant eriguntque animos, exponunt probabiliter, confirmant sua, refutant adversaria, perorationem vel inflammantem addunt vel restinguentem, denique omnes exemplo suo confirmant illud, quod ponitur in Antiopae fabulae fragmentis:

ἐκ παντὸς ἄν τις πράγματος δισσῶν λόγων
ἀγῶνα θεῖτ' ἄν, εἰ λέγειν εἴη σοφός.

Iidem et summa calliditate commissa tegunt, et artificiis ingeniose excogitatis se expedire conantur circumventi; neque ulla tam perdita est caussa, quam non speciosis argumentis purgent ita, ut hebetioribus persuadeant. Confirmari his, quae disputavimus, vides sententiam Quinctiliani, qui (lib. XI. c. 1. §. 68.) Euripidem ait et sententiis densum esse et in iis, quae a sapientibus tradita sint, paene ipsis parem, et dicendo ac respondendo cuilibet eorum, qui fuerint in foro diserti, comparandum. Ceterum non est quod moneamus Euripidem, quum opinionum perversitatem tolleret ac disserendi subtilitate, quid in quaque re verum esset, exquireret, hoc imprimis efficere studuisse, ne metu malorum, quae nulla essent, ac superstitionibus animi supra modum perturbarentur, ne vi morum malorum opinionumque depravatarum a recta ratione tenenda detru-

---

gemäſs dieselbe ihnen eine Art Bedürfniſs geworden war. Dieses Element war dem dramatischen Dichter höchst willkommen, der auf einer fingirten Bühne die höchsten menschlichen Interessen vorzuführen und das Für und Wider verschiedener Partheien durch Hin- und Widerreden kräftig auszusprechen hatte. Bediente er sich nun dieses Mittels zum höchsten Vortheil seiner Tragödie und wetteiferte mit dem Redner im völligen, obgleich imaginären, Ernste, so war es ihm für das Lustspiel beinahe noch willkommener: denn indem er die niedrigsten Gegenstände und Handlungen durch hohes Kunstvermögen ebenfalls im groſsen Styl zu behandeln wuſste, so brachte er etwas Unbegreifliches und höchst Ueberraschendes vor."

derentur, ne tanquam servi legum institutorumque vinculis inviti ignarique cohiberentur, sed aequo, libero lubentique animo quae vera rectaque esse intellexissent sequerentur*).

His in universum disputatis, ut tanquam exemplis documentisque quae disseruimus confirmentur, de didascalia ipsa, cuius partem Aeoli fabulam fuisse fingimus, explicemus. Revocamus autem ad unum quasi corpus tetralogiae Oedipi fabulam, qui cum matre, Aeoli, qui cum sorore incestum committit, Laodamiae, quae virum, quem perdite amat, neglecto patris amore, ad inferos sequitur, Achillis, qui cum filia Lycomedis, tanquam sorore, concumbit. Neque enim quidquam obstat, quin haec dramata circa Ol. 86, 1. anno 435. una in certamen commissa esse fingamus, et similitudinem quandam rerum argumentorumque intercedere, qua recte consociarentur et ad certam poetae voluntatem significandam revocarentur, facile intelligitur.

A. Oedipus.

Argumentum narrationi, quam Hyginus c. 66. et 67. scriptam reliquit, inesse pridem cognitum est ab iis, qui de huius dramatis conformatione inquisiverunt **). Ibi igitur de priori Oedipi vita haec sunt memoriae prodita: „Laio, Labdaci filio, ab Apolline erat responsum, de filii sui manu ut caveret. Itaque Iocasta, Menoecei filia, uxor eius, cum peperisset, iussit exponi. Hunc Periboea, Polybi regis uxor, cum vestem ad mare lavaret, expositum sustulit. Polybo sciente, quod orbi erant liberis, pro suo educaverunt eumque, quod pedes transiectos haberet, Oedipum nominaverunt." Qua ratione ad littus Corinthiorum infans delatus sit, scholiasta Euripidis ad Phoen. v. 26. docet: *οἱ δὲ, εἰς θάλασσαν ἐκβληθῆναι εἰς λάρνακα καὶ προσοκείλαντα τῇ Σικυῶνι ὑπὸ τοῦ Πολύβου*

*) Cf. Aristoph. Ran. 971:
τοιαῦτα μέντοὐγὼ φρονεῖν
τούτοισιν εἰσηγησάμην κτλ.

**) C. Fr. Hermannus quaest. Oedip. 1837. Welck. p. 537.

*ἀνατραφῆναι· ἔνιοι δὲ καὶ φασιν αὐτὸν εἶναι παῖδα**). De pedum tumore idem: *οἱ δὲ ἀπὸ τῶν σπαργάνων φασὶν αὐτὸν ἐξῳδηκέναι ἐκ ταὐτομάτου τὼ πόδε.* In reliquis Hyginus ab Euripide recessisse Sophoclemque secutus esse videtur. Illius autem vestigia in hisce scholiastarum notis deprehendere mihi videor: ad v. 33: *ἔνιοι δέ φασιν εἰς Πυθῶνα ἐληλυθέναι τὸν Οἰδίποδα, ἵνα τροφεῖα ἀποδῷ τῷ Ἀπόλλωνι.* Nunquam enim antea dubitasse Oedipum, quin ex Polybo ac Periboea procreatus esset, neque ullam ei suspicionem sodalium exprobratione iniectam fuisse necesse est. Caussam caedis eandem Euripides in Oedipo atque in Phoenissis finxisse videtur: ad quem locum haec notata in cod. Gu. invenimus: *λαβὼν τοὺς ἵππους ἀπῆλθεν εἰς Κόρινθον παρὰ Πολύβῳ, εἰπὼν οὕτω·*

Πόλυβε, θρεπτήρια ταῦτα
ἵππους τοι δώσω, δυςμενέων ἐλάσας,

ὥς φησιν Ἀντίμαχος. Καθαρθεὶς δὲ ἐκεῖσε αὖθις ἀπῆλθε παρὰ τὸν Πύθιον, καὶ λαβὼν χρησμὸν, ὅτι ἐπὶ φθορᾷ καὶ συνελεύσει μητρὸς ἐτέχθη, ἔγνω φυγεῖν τοὺς δῆθεν δοκοῦντας αὐτῷ πατέρας καὶ καταλαμβάνει Θήβας κτλ. Paene eadem ab alio quodam grammatico in eodem codice scripta sunt: *τότε οὖν Οἰδίπους, τοὺς τοῦ Λαΐου ἵππους λαβὼν καὶ πάντα τὰ αὐτοῦ, καταλαμβάνει τὴν Κόρινθον, καὶ διδοὺς ταῦτα πάντα Πολύβῳ τροφάς, ἐκεῖθεν ἀναχωρεῖ, τὸν περὶ τῆς πατροκτονίας καὶ τῆς τῇ μητρὶ συνελεύσεως χρησμὸν δεδιώς· ᾤετο γὰρ πατέρας αὐτοῦ τῷ ὄντι Πόλυβον καὶ τὴν ἐκείνου γυναῖκα εἶναι κτλ.* Quibus adde notam ad v. 44. scriptam: *μετὰ ταῦτα τῶν ἵππων ἀφανῶν γενομένων, λῃστῶν ἐδόκει τοὖργον γεγονέναι.* Et paullo post: *ὑποστρέψας εἰς Κόρινθον μετὰ τῶν ἵππων Λαΐου, καὶ καθαρθεὶς τὸν φόνον, πάλιν ... ἐπανῆκε πρὸς τὸν θεόν· λαβὼν δὲ χρησμὸν, ὅτι ἐπὶ φθορᾷ τοῦ πατρὸς ἐτέχθη καὶ συνουσίᾳ τῆς μητρός, διέγνω Κόρινθον φυγεῖν, τὴν νομιζομένην*

---

*) Ad v. 28: *τινὲς εἰς λάρνακα βληθέντα καὶ εἰς θάλασσαν ῥιφέντα τὸν παῖδα προςπελασθῆναι τῇ Κορίνθῳ φασί.*

πατρίδα κτλ. Maximi momenti est, quod spolia Laio detracta Oedipus Corinthum deduxit et patri, quem putabat, donavit: quo defuncto quum eadem cum reliquis Polybi bonis, quippe haereditate ad ipsum redeuntia, Thebas deportare vellet eiusque rei caussa Corinthum se contulisset, comitantibus satellitibus suis, qui iidem fuerant Laii, cui ille successerat, satellites, hi, agnito Laii curru armisque, et comperto regem, quem a latronibus interfectum esse antea putaverant, Oedipi ipsius manu trucidatum esse, statim in itinere supplicium de scelerato sumere non dubitarunt: regno enim Thebanorum insidians ille regem occidisse videbatur, ipsi autem ad ulciscendos manes defuncti pietate atque officio impellebantur; cf. Welck. p. 538 seq.

Ceterum non haec ipsa prooemio exponi potuisse planum est. Potius dicendum fuit, quomodo Oedipus Polybi, Corinthiorum regis, filius, sublata Sphinge, et regnum Thebanorum et reginae matrimonium adeptus esset. Tum de liberis eius, de regni splendore deque felici rerum successu exponendum fuit. Denique de commutata fortuna, de morte Polybi, de Oedipi luctu atque itinere, deque pestilentia, qua inter absentiam illius terra vexaretur, spectatores docendi fuerunt. Hunc enim rerum statum fuisse ex Hygino cognoscimus: „Interim Thebis sterilitas frugum et penuria incidit ob Oedipi scelera, interrogatusque Tiresias, quid ita Thebae vexarentur, respondit: Si quis ex Draconteo genere superesset et pro patria interisset, pestilentia liberaturum. Tum Menoeceus, Iocastae pater, se de muris praecipitavit. Dum haec Thebis geruntur, Corinthi Polybus decedit" etc.

Per totam vitam Oedipus, qui summo ingenii acumine aenigma Sphingis interpretatur, a diis eluditur et quasi captus mentis oculis ab errore ad errorem ignarus invitusque compellitur, ut postremo imprudentissimus mortalium omnium fuisse arguatur is, qui prudentissimus esse et sibi et reliquis visus sit. In ignoratione igitur veritatis huius dramatis momenta posita fuisse apparet. Solet autem Euripides, quo maioribus erroribus personarum, qui agunt, res impediuntur, hoc enixius curare, ut planissime omnia pateant spectatoribus, et

recte quidem. Gravissime enim commovemur, cum vel maxime adversaria esse personis ea, quae acerrimo sui adiuvandi studio ipsi moliantur, et suis gladiis ipsos iugulari intelligimus. Unde prooemiorum, quae multi perverse accusant, utilitas elucet. Necesse igitur fuit aut a deo aliquo aut a Laii umbra sive manibus statim in principio dramatis accuratissime theatrum de caussa rerum et nexu edoceri. Alteram prologi partem sive colloquium, quod prooemio subnecti solet, a Menoeceo atque Tiresia actum esse consentaneum est. Illius enim erat, cui regni administratio, dum Oedipus abesset, mandata erat, vatem arcessitum de remedio pestilentiae consulere: cuius cognito responso senex decrepitus, quum neminem praeter se et Creontem ex Draconteo genere superstitem esse crederet, vitam patriae obferre seque de muris praecipitare non dubitavit. Fragmentum prologi unum exstat, quo Sphingis natura declaratur:

οὐρὰν δ' ὑπίλασ' ὑπὸ λεοντόπουν βάσιν
καθέζετ' — — — —.

Chori partes mulieribus Corinthiis, Periboeae reginae famulis, poeta detulerat, quas Oedipus, antequam ipse cum satellitibus, patrimonium plaustris curribusque impositum avehens, Corintho proficisceretur, cum matre, quam putabat, praemiserat. Initium parodi Strabo VIII. p. 379 (582.) servavit (Matth. p. 383. inc. fragm. n. 94.):

ὕδατι χλωρῷ περικλυζόμενον
ἥκω προλιποῦσ' Ἀκροκόρινθον,
ἱερὸν ὄχθον, πόλιν Ἀφροδίτας.

Post parodum in scenam prodiit Creon, cui Menoeceus, antequam se praecipitaret, regni administrationem commendavit. Is iusta funeri senis generosissimi, qui liberandae malo patriae caussa morti se obtulit, persolvenda curat. Adest Iocaste regina, lamentans sortemque suam deplorans, quod absente marito sit privata parente, optans, ut Oedipus, pridem desideratus, revertatur, qui laboranti patriae, sicut quondam, cum Sphingis saevitia vexaretur, succurrat. Hoc ipso tempore satellites Corintho redeunt, et producto in medium curru, qui quondam Laii fuit, cum armis eiusdem, Oedipum in itinere, quod Laium ab illo in-

terfectum esse certissimis ex indiciis cognovisse, excaecatum a se proturbatumque esse narrant*); cf. schol. Phoen. v. 61: *ἐν δὲ τῷ Οἰδίποδι οἱ Λαΐου θεράποντες ἐτύφλωσαν αὐτόν·*

„ἡμεῖς δὲ Πολύβου παῖδ' ἐρείσαντες πέδῳ
ἐξομματοῦμεν καὶ διόλλυμεν κόρας."

Numinis vindicta hoc evenisse Creon testatur:

— ὁρῶ γὰρ ἐν χρόνῳ
δίκην ἅπαντ' ἄγουσαν εἰς φάος βροτοῖς.

Nec miratur, quod Oedipus, qua sit violentia animi, facinus patraverit, sed ex uno fonte et benefacta et maleficia fluxisse intelligit: qua enim audacia, certamine Sphingis sustentato, Thebas pernicie liberaverit, eadem temeritate rege interfecto regnum ab eo occupatum esse:

πότερα γενέσθαι δῆτα χρησιμώτερον
συνετὸν ἄτολμον, ἢ θρασύν τε κἀμαθῆ;
τὸ μὲν γὰρ αὐτῶν σκαιόν, ἀλλ' ἀμύνεται,
τὸ δ' ἡσυχαῖον ἀργόν· ἐν δ' ἀμφοῖν νόσος.

Contra Iocaste nefaria fraude, regni recuperandi caussa, a Creonte, quum Oedipi virtute regno se excludi doleret, satellites suspicatur subornatos esse, qui illum de medio tollerent:

φθόνος δ', ὁ πολλῶν φρένα διαφθείρων βροτῶν,
ἀπώλεσ' αὐτὸν κἀμὲ συνδιώλεσεν.

Quin etiam poena deorum fratrem, et quicunque sceleris participes sint, serius ocius affectum iri praedicit:

οὔτοι προςελθοῦσ' ἡ Δίκη σε, μὴ τρέσῃς,
παίσει πρὸς ἧπαρ, οὐδὲ τῶν ἄλλων βροτῶν
τὸν ἄδικον, ἀλλὰ σῖγα καὶ βραδεῖ ποδὶ
στείχουσα μάρψει τοὺς κακούς, ὅταν τύχῃ **).

Quae dicens se suam ipsius sortem praedicere nescit. Eiusdem generis est fragm. 13., quod his praecedere potuit:

ἀλλ' ἡμέρα τοι μεταβολὰς πολλὰς ἔχει.

---

*) Qui cum Laio fuerant ad oraculum proficiscente satellites, eos omnes ab Oedipo una interfectos esse, neque relictum esse, qui interfectorem proderet, finxerat Euripides.

**) Fragm. inc. n. 2.

Creon, conscientia fretus, aequo animo tulisse videtur quae in recenti animi tumore mulier criminabatur:

ἄλλως τε πάντων δυςμαχώτατον γυνή.

Hoc colloquio finito, locus fiebat alteri chori carmini. Aut luis gravitas deplorari aut Bacchi res gestae celebrari potuerunt: quorum utrumque fit apud Senecam. Deinde Oedipus caecus, ducente uno famulo fideli, in scenam prodiens uxorem conveniebat. Post mutua lamenta Iocaste fidem amoremque plane singularem ostendendo maritum consolatur et quantum officio, cura, obsequio et pietate effici possit, operam se daturam esse pollicetur, ut detrimentum, quod oculorum lumine privatus sit, compenset:

ἡδὺ δ', ἢν κακόν τι πράξῃ, συσκυθρωπάζειν πόσει
ἄλοχον, ἐν κοινῷ τε λύπης ἡδονῆς τ' ἔχειν μέρος.
σοὶ δ' ἔγωγε καὶ νοσοῦντι συννοσοῦσ' ἀνέξομαι
καὶ κακῶν τῶν σῶν συνοίσω, κοὐδέν ἐστί μοι πικρόν.
μετὰ φίλων γὰρ εὐτυχεῖν τε χρὴ φίλους καὶ δυςτυχεῖν·
— — *τί γὰρ δὴ τὸ φίλον ἄλλο πλὴν τόδε;*
— — — — — — —
πᾶσα γὰρ δούλη πέφυκεν ἀνδρὸς ἡ σώφρων γυνή,
ἡ δὲ μὴ σώφρων ἀνοίᾳ τὸν ξυνόνθ' ὑπερφρονεῖ.
— — — — — — —
οὐδεμίαν ὤνησε κάλλος εἰς πόσιν ξυνάορον,
ἀρετὴ δ' ὤνησε πολλάς· πᾶσα γὰρ ἀγαθὴ γυνή,
ἥτις ἀνδρὶ συντέτηκε, σωφρονεῖν ἐπίσταται.
πρῶτα μὲν γὰρ ταῦθ' ὑπάρχει· κἂν ἄμορφος ᾖ πόσις,
χρὴ δοκεῖν εὔμορφον εἶναι τῇ γε νοῦν κεκτημένῃ·
οὐ γὰρ ὀφθαλμὸς τὸ κρῖνόν ἐστιν, ἀλλὰ νοῦς τόδε
— — — — — — —
εὐλογεῖν δ', ὅταν τι λέξῃ, χρὴ δοκεῖν, κἂν μὴ λέγῃ,
κἀκπονεῖν ἂν τῷ ξυνόντι πρὸς χάριν μέλλῃ λέγειν).*

Et confirmatur animo erigiturque Oedipus cognoscens amorem fidorum amicorum omnibus opibus praestantiorem esse:

*) Fragm. inc. 151. 152. Huc referenda esse viderunt C. F. Hermannus et Welckerus.

οὔτοι νόμισμα λευκὸς ἄργυρος μόνον
καὶ χρυσός ἐστιν· ἀλλὰ κἀρετὴ βροτοῖς
νόμισμα κεῖται πᾶσιν, ᾗ χρῆσθαι χρεών.
— — — — — —
μεγάλη τυραννὶς ἀνδρὶ τέκνα καὶ γυνή·
ἴσην γὰρ ἀνδρὶ συμφορὰν εἶναι λέγω
τέκνων θ' ἁμαρτεῖν καὶ πάτρας καὶ χρημάτων
ἀλόχου τε κεδνῆς· ὡς μόνων τῶν χρημάτων
κρεῖσσον τόδ' ἐστὶ τἀνδρί, σώφρον' ἂν λάβῃ.

Videndum igitur omnibus esse, ut probitatem magis morum, quam formae venustatem, in uxoribus ducendis sequantur:

ἑνὸς δ' ἔρωτος ὄντος οὐ μί' ἡδονή·
οἱ μὲν κακῶν ἐρῶσιν, οἱ δὲ τῶν καλῶν.
— — — — — —
νοῦν χρὴ θεάσασθαι· τί τῆς εὐμορφίας
ὄφελος, ὅταν τις μὴ φρένας καλὰς ἔχῃ *);

Hanc fidem Iocastes, hanc animi aequitatem chorus admirans obsequium feminis carmine commendat:

πᾶσα γὰρ ἀνδρὸς κακίων ἄλοχος,
κἂν ὁ κάκιστος
γήμῃ τὴν εὐδοκιμοῦσαν.

Inde maior moles malorum in virum miserum irruit: subtrahuntur etiam illa praesidia, in quibus solis acquievit; in nefas mutatur coniugium, in hostes liberi, quin etiam bene factorum conscientia ei eripitur. Postquam regnum filiis duobus concessit, pietate suorum unice confidens, neque eorum, quibus antea delectabatur, praeter coniugis amorem quicquam retinuit, prodeunte ad eum Periboea, dolor redintegratur. Uno enim tempore et patre se privatum et effossis oculis obcaecatum esse, neque habere, cuius auxilio praesidioque nisus ulciscatur cives ingratos, quorum impietate pro summis acceptis beneficiis supplicio crudelissimo affectus sit, id vero miserum, acerbum, luctuosum esse testatur. Talibus lamentis auditis Periboea, consolari

---

*) Dubito an ad hoc colloquium referendum sit fragm. inc. in Rhet. gr. T. VII. p. 601: *ἵν' ἀνταπολλύωμεν οἵ με προὔδοσαν* (vulgo *ἵν' ἀνταλλάσσωμεν*), quo de ultione Oedipum cogitasse significatur.

moestum volens, non esse illum a Polybo procreatum aperit *). Tum vero Oedipus, splendidissimos natales suos fuisse aut etiam divina stirpe se oriundum esse sperans, et fore, ut cognitis parentibus repente in altissimum gloriae honorisque fastigium evehatur —

ἐκ τῶν ἀέλπτων ἡ χάρις μείζων βροτοῖς
φανεῖσα, μᾶλλον ἢ τὸ προςδοκώμενον —

non quiescere constituit, donec quae latent patefacta sint quaeque ignorat compererit. Intellexit interim Iocaste tempus, quo Oedipus a Periboea sublatus sit, congruere cum eo tempore, quo ipsa infantem recens natum iussu mariti exposuerit: iam igitur dira fata coniiciendis indiciis perspicit. Quamobrem abstrahere a studio natales cognoscendi Oedipum conatur:

ἐκμαρτυρεῖν γὰρ ἄνδρα τὰς αὑτοῦ τύχας
εἰς πάντας ἀμαθές, τὸ δ' ἐπικρύπτεσθαι σοφόν **).

Sed iam in eandem, quam Iocaste, suspicionem Oedipus inquirendo ipse quoque deductus est. Quid multa? arcessitur famulus, cui Iocaste infantem exponendum tradidit, isque ex corporis quibusdam signis Oedipum Iocastae filium esse confirmat. Hyginus: „Id Itemalus senex ***), qui eum exposuerat, ex pedum cicatricibus et talorum agnovit Laii filium esse." Huc pertinere potest fragm. 17: *ἄναρθρος, ἄτονος, ἀσθενής· Εὐριπίδης Οἰδίποδι.* Ex hac parte dramatis sumti possunt esse versus hi ****):

---

*) Hyginus: „Dum haec Thebis geruntur, Corintho Polybus decedit. Quo audito, Oedipus moleste ferre coepit, aestimans patrem suum obisse. Cui Periboea de eius suppositione palam fecit."

**) Cf. Dio orat. XI. p. 150 seq.: *δέον ἴσως ἐπικρύπτειν τοῦτο ἢ ποιῆσαι νόμιμον τοῖς Θηβαίοις, πρῶτον μὲν πᾶσιν ἐποίησε φανερόν, ἔπειτα ἠγανάκτει καὶ ἐβόα μεγάλα, ὅτι τῶν αὐτῶν πατήρ τέ ἐστι καὶ ἀδελφὸς καὶ τῆς αὐτῆς γυναικὸς ἀνὴρ καὶ υἱός.*

***) Fortasse: „Id item alius, senex qui eum exposuerat" etc.

****) Quem Welck. p. 1328. versum ex Sueton. vita Neron. c. 46. petitum huius loci putavit esse, eum non fuisse huius dramatis Suetonius satis perspicuis verbis ipse declarat: exsul enim Oedipus fuit is, quem Sophocles Coloneum nominavit, Euripidis autem drama tyrannum Oedipum, non exsulem, repraesentabat.

πολλὰς ὁ δαίμων τοῦ βίου μεταστάσεις
ἔδωκεν ἡμῖν μεταβολάς τε τῆς τύχης.

His tamen praecessisse puto lamenta lyricis numeris expressa, quibus succineret alternatim chorus.

Qualis rerum fuerit exitus, quum Hyginus Euripidei dramatis argumento finem Sophoclei affixisse videatur, non liquet. Sed simili rerum exitu Euripidem atque Sophoclem usum esse coniectura suspicari licet. Nam primum quidem Iocasten morte voluntaria obiisse et laqueo vitam abrupisse necesse est ideo, quod utrique parenti Oedipum caussam mortis fore oraculo praedictum erat. Neque, si superstes fuisset, qua erat pietate, non potuisset Oedipum in exsilium proficiscentem comitari et fungi iis officiis, quibus fungendis laudem adepta est Antigone. Deinde Oedipum contumeliose a filiis tractatum esse ex fragm. inc. 40. colligo:

ἀλλ' οὔποτ', αὐτὸς ἀμπλακών, ἄλλον βροτὸν
παραινέσαιμ' ἂν παισὶ προςθεῖναι κράτη,
πρὶν ἂν κατ' ὄσσων κιγχάνῃ μέλας σκότος·
ἢ χρὴ διελθεῖν πρὸς τέκνων νικώμενον.

Tum aptior erat ad misericordiam movendam persona Oedipi, si in exsilium caecus proficiscens conspiceretur, quam si carcere includeretur. Quamobrem ex hoc dramate depromtos esse suspicor versus, quos fini Phoenissarum interpolator aliquis satis inepte agglutinavit:

ὦ πάτρας κλεινῆς πολῖται, λεύσσετ', Οἰδίπους ὅδε,
ὃς τὰ κλείν' αἰνίγματ' ἔγνω καὶ κράτιστος ἦν ἀνήρ,
ὃς μόνος Σφιγγὸς κατέσχον τῆς μιαιφόνου κράτη,
νῦν δ' ἄτιμος αὐτὸς οἰκτρὸς ἐξελαύνομαι χθονός.
ἀλλὰ γὰρ τί ταῦτα θρηνῶ καὶ μάτην ὀδύρομαι;
τὰς γὰρ ἐκ θεῶν ἀνάγκας θνητὸν ὄντα δεῖ φέρειν.

Sophoclis opus cum Euripidis componens, illum videbis sola rerum intricatione et commutatione felicitatis in infelicitatem spectatores movere voluisse, hunc, quum in eiusdem laudis aemulatione neutiquam illo inferior esset, operam dedisse, ut simul de officiis pietatis utiliter disserendo doceret. Neque tamen illa Iocastes oratio non plurimum etiam ad augendam miserationem metumque conferebat. Nam quum ad eum eventum res spectarent, ut

pestem sibi Iocastes matrimonium esse Oedipus cognosceret, haec miseria vehementer augebatur, si illud idem matrimonium antea felicitatis caput et fundamentum, salus perdito, refugium eiecto, littus naufrago esse visum erat. Hanc autem sententiam primi statim auctores effingendis Oedipi casibus expresserant, ut summam hominis felicitatem summam saepe miseriam, tum summam prudentiam summam imprudentiam esse ostenderent. Laio latrone, quem putabat, et Sphinge, peste Thebanorum, sublatis Oedipus in reginae matrimonium pervenerat, patriam exsul, regnum egenus adeptus erat. Itaque et ingenti rerum gestarum gloria florebat, et servator civium victorque monstri, a quo singuli ad interitum rapti erant, celebrabatur, et paene divos prudentia aequare videbatur soluto aenigmate, quod omnium fugerat acumen. Iam etiam deorum voluntatem elusisse videbatur vitato periculo, quod nascenti obiecerant, cum parentes ab eo interfectum iri praedixissent. Defunctus enim fato erat is, qui genuisse credebatur, erroris convicta erant oracula, ut secum habere matrem superstitem non amplius dubitaret, quam ne imprudens interficeret, patria caruerat. Simul ingens opibus accesserat incrementum, recepto patrimonio, iunctis regnis duobus, quorum alterum a patre, alterum a coniuge traditum erat, recuperata patria, ex qua propter deorum oracula exsulaverat, duplicata potentia atque felicitate. Ibi prudentissimus sagacissimusque mortalium imprudentissimus hebetissimusque esse cognoscitur, et qui communem hominum conditionem callidissime interpretatus est, is suam ignorasse neque ullo investigandi studio exquirere potuisse arguitur: idem, quum in summum felicitatis, quam putabat, fastigium escendisset, in voraginem salutis omnis se inscius praecipitavit. In tanto non solum felicitatis, sed etiam laudis meritorumque naufragio, abrepta cum externis bonis etiam, quae minime in fortunae lusu posita esse videtur, conscientia recte factorum, quidnam relinquitur mortali, quo se rebus humanis maiorem esse significet, si defluentibus iis, quae non sunt sua, sponte abiiciat etiam id, quod solum perpetuo in ipsius arbitrio positum est, animi constantiam atque aequitatem? Non insanit Oedi-

pus, non effodit oculos, non abrumpit vitam laqueo, sed magno animo fert quaecunque mala dei imposuerunt.

Commodius utiliusque ab Euripide quam a Sophocle fabulam conformatam esse ex his arbitror intellectum iri. Nam et quae, iudice Aristotele, hic minus verisimilia effinxerat, vitavit, et multo planius sensum, qui fabulae subiectus est, demonstravit. Neque Euripidis drama aut Sophoclis aut reliquorum, qui in eodem argumento ornando plurimi elaborarunt, fabulis obscuratum fuisse ex opere quodam caelato intelligitur, quo excaecatio Oedipi ea ratione, quam finxit Euripides, repraesentatur; cf. Welck. p. 539. Scriptores autem, qui ad illud respexerint, exstant Aelianus, Athenaeus, Strabo, Plutarchus, Erotianus, Clemens Alex., Stobaeus, Hesychius aliique, quos supra nominavimus; denique plura Euripidis imitatus est Seneca.

B. A e o l u s.

De argumento luculenter docet Dionysius Hal. Art. rhet. IX, 11., quo loco exempla ponens *τοῦ ἕτερα λέγειν καὶ ἕτερα διοικεῖσθαι* haec inter alia profert: *ἀλλὰ καὶ Εὐριπίδης δι' ὅλων λόγων διοικήσεως σχῆμα περαίνει. Πρότερον δὲ δείξωμεν ἐν ὅλῳ δράματι ἐν μέρει τινὶ σχῆμα διοικούμενον. Ἐν τῷ Αἰόλῳ ὁ Μακαρεύς ἐστιν ὁμιλήσας τῇ ἀδελφῇ καὶ λανθάνων, καὶ συμβουλεύων τῷ πατρὶ τὰς ἀδελφὰς τοῖς ἀδελφοῖς συνοικίσαι, ἵνα τὸ οἰκεῖον διοικήσηται. Καὶ οὕτως ἐσχημάτισται ὁ λόγος κοινῇ γνώμῃ καὶ συμβουλῇ.* Alter testis non minus locuples est Pseudoplutarchus in parallelis p. 312 (428). n. 28. cum Stobaeo Serm. LXIV, 35. p. 404: *Αἴολος, τῶν κατὰ Τυῤῥηνίαν βασιλεὺς τόπων, ἔσχεν ἐξ Ἀμφιθέας θυγατέρας ἓξ καὶ ἴσους ἄῤῥενας. Μακαρεὺς δὲ ὁ νεώτατος ἔρωτι διέφθειρε μίαν, ἡ δὲ παιδίον ἐκύησεν* *). *Τεκοῦσα δὲ*

---

*) Rectius Stob.: *ὧν ὁ πρεσβύτατος Μακαρεὺς Κανάκης τῆς ἀδελφῆς ἐρασθεὶς ἐβιάσατο τὴν προειρημένην.* Minus enim deceret minimum natu vice omnium verba facere et redarguere patrem.

καὶ ξίφους πεμφθέντος ὑπὸ τοῦ πατρός, ἄνομον κρίνασα ἑαυτήν, διεχρήσατο *). *Ὁμοίως δὲ καὶ ὁ Μακαρεύς* **). Praeter hos plurimum ad perspiciendam dramatis naturam Ovidii (Heroid. XI.) confert imitatio. Accedunt denique Aristophanis, Platonis, scholiastarum ***) et Hygini quaedam commemorationes cum fragmentorum numero haud plane exiguo, quibus nixi auxiliis iam Grauert in museo Rhen. anni 1828. p. II. p. 50. et Welckerus p. 860. operam in reperiendam dramatis structuram non inutilem contulerunt.

Nutrici partes gravissimas tributas fuisse necesse est vel hanc ob caussam, quod partus virginis et statim post hunc asportandi infantis conatus ostendebatur. Eiusdem igitur personam aptissimam fuisse censeo ad dicendum prooemium, quo quae continebantur, eorum partem in Apollodoro I, 7, 3. invenire mihi videor, quamvis nomina non plane conveniant: *Αἴολος δὲ βασιλεύων τῶν περὶ τὴν Θεσσαλίαν τόπων* ****) *τοὺς ἐνοικοῦντας Αἰολεῖς προςηγόρευσε, καὶ γήμας Ἐναρέτην τὴν Δηϊμάχου παῖδας μὲν ἐγέννησεν ἑπτά, Κρηθέα, Σίσυφον, Ἀθάμαντα, Σαλμωνέα, Δηϊόνα, Μάγνητα, Περιήρην, θυγατέρας δὲ πέντε, Κανάκην, Ἀλκυόνην, Πεισιδίκην, Καλύκην, Περιμήδην.* Magnopere enim haec conspirant cum fragmento primo, quod quin huius sit tragoediae, non sinit dubitare testimonium Strabonis †):

*) Stob.: *Αἴολος δὲ περὶ τούτων μαθὼν τῇ θυγατρὶ ξίφος ἔπεμψεν· ἡ δέ, ὡς νόμον δεξαμένη τὸν σίδηρον, αὑτὴν ἀνεῖλε.*

**) Accuratius Stob.: *Μακαρεὺς δέ, τὸν γεννήσαντα προεξιλεωσάμενος, ἔδραμεν εἰς τὸν θάλαμον· εὑρὼν δὲ τὴν ἀγαπωμένην αἱμοῤῥαγοῦσαν, τῷ αὐτῷ ξίφει τὸν βίον περιέγραψε.*

***) Schol. Arist. Nub. 1374: *γέγραπται δὲ δρᾶμα Εὐριπίδου Αἴολος λεγόμενον, ἐν ᾧ παρήγαγε Μακαρέα, τὸν παῖδα Αἰόλου, φθείραντα Κανάκην τὴν ἀδελφήν.* Idem Ran. 873.

****) Diodor. IV, 67: *τὴν τότε μὲν Αἰολίδα, νῦν δὲ Θετταλίαν καλουμένην.*

†) Strabo VIII. p. 546. B. (246.): *ἡ δὲ Σαλμώνη πλησίον ἐστὶ τῆς ὁμωνύμου κρήνης, ἐξ ἧς ῥεῖ ὁ Ἐνιπεύς. Ἐμβάλλει δ' εἰς τὸν Ἀλφειόν, καλεῖται δὲ νῦν Βαρνίχιος κτλ. Ἐνταῦθα γὰρ βασιλεῦσαι τὸν πατέρα αὐτῆς Σαλμωνέα, καθάπερ καὶ Εὐριπίδης ἐν Αἰόλῳ φησίν.*

Ἕλλην γάρ, ὡς ἔοικε, γίγνεται Διός,
τοῦ δ' Αἴολος παῖς, Αἰόλου δὲ Σίσυφος
Ἀθάμας τε Κρηθεύς θ', ὅς τ' ἐπ' Ἀλφειοῦ ῥοαῖς
θεοῦ μανεὶς ἔῤῥιψε Σαλμωνεὺς φλόγα.

Thessaliae regem esse Aeolum finxerat Euripides non tantum in hac tragoedia, sed etiam in Menalippa philosopha, eundemque Aeoliae gentis auctorem, non ventorum deum, ut Homerus (Od. κ. initio), Ovidius (v. 9—16.) aliique tradiderunt, ex quibus Pseudoplutarchi testimonium corrigendum est. In indicando autem numero liberorum quin Homeri auctoritatem Euripides secutus fuerit, non dubito *).

A gentis fortunaeque explicatione ad amorem Macarei Canacaeque describendum transeundum fuit, cuius et originem et incrementum et eventum uberius descriptum fuisse putandum est. Qua de re conferendus Ovidius v. 21 seqq.:

„*Cur unquam plus me, frater, quam frater amasti?*
Et tibi non, debet quod soror esse, fui?
Ipsa quoque incalui: qualemque audire solebam,
Nescio quem sensi corde tepente deum.
Fugerat ore color; macies adduxerat artus:
Sumebant minimos ora coacta cibos.
Nec somni faciles et nox erat annua nobis,
Et gemitum nullo laesa dolore dabam.
Nec, cur haec facerem, poteram mihi reddere caussam,
Nec noram, quid amans esset: at illud eram.
Prima malum nutrix animo persensit anili,
Prima mihi nutrix, Aeoli, dixit, amas.
Erubui, gremioque pudor deiecit ocellos:
Haec satis in tacita signa fatentis erant.

---

*) Od. l. l. v. 5:
τοῦ καὶ δώδεκα παῖδες ἐνὶ μεγάροις γεγάασιν,
ἓξ μὲν θυγατέρες, ἓξ δ' υἱέες ἡβώοντες.
ἔνθ' ὅγε θυγατέρας πόρεν υἱάσιν εἶναι ἀκοίτις.

Iamque tumescebant vitiati pondera ventris,
Aegraque furtivum membra gravabat onus."

Haec ille sua ratione sic exornavit. Accuratius sine dubio Euripidis vestigia Antiphanes comicus in Aeolo legerat, cuius versus servavit Athenaeus X. p. 444:

Μακαρεύς, ἔρωτι τῶν ὁμοσπόρων μιᾶς
πληγείς, τέως μὲν ἐπεκράτει τῆς συμφορᾶς
κατεῖχέ θ' αὑτόν· εἶτα παραλαβών ποτε
οἶνον στρατηγόν, ὃς μόνος θνητοῖς ἄγει
τὴν τόλμαν εἰς τὸ πρόσθε τῆς εὐβουλίας,
νύκτωρ ἀναστὰς ἔτυχεν ὧν ἠβούλετο.

Iam autem partus instat virginis: qua de re audiendus rursus idem Ovidius:

„*Iam novies erat orta soror pulcerrima Phoebi,*
Denaque luciferos Luna movebat equos.
Nescia, quae faceret subitos mihi caussa dolores,
Et rudis ad partus et nova miles eram."

Venit deinde ad nutricem in his rebus trepidis versantem Macareus, maiori sollicitudine ipse affectus, cognito patris consilio, qui hoc ipso die omnes simul liberos in matrimonia collocare et communes omnium nuptias celebrare constituit. Talia inter se collocuti, compositis praeparatisque iis rebus, quae ad tempus praevideri poterant, discedunt. Nutrici haec tribuo verba:

κακῆς ἀπ' ἀρχῆς γίγνεται τέλος κακόν.

Prodit chorus, qui qualis sit et cuius rei caussa veniat, his verbis declarat:

ΗΜΙΧΟΡΙΟΝ Α.

ἆρ' ἔτυμον φάτιν ἔγνων, ὡς
Αἴολος εὐνάζει τὰ τέκνα φίλτατα *);

ΗΜΙΧΟΡΙΟΝ Β.

δοξάσαι ἔστι, κόραι, τὸ δ' ἐτήτυμον οὐκ ἔχω εἰπεῖν.

Progreditur deinde Aeolus stipantibus filiis, et voluntatem suam oratione declarat:

παῖδες, σοφοῦ πρὸς ἀνδρός, ὅστις ἐν βραχεῖ
πολλοὺς καλῶς οἷός τε συντέμνειν λόγους.

---

*) Vulgo: *ἔγνων Αἴολος εὐνάζειν τε τέκνα κτλ.*

Vult autem filios matrimoniis iungi eam maxime ob caussam, ne per otium amoribus dediti mollitie atque desidia languescant:

οὐκ ἐν γυναιξὶ τοὺς νεανίας χρεὼν *),
ἀλλ' ἐν σιδήρῳ κἀν ὅπλοις τιμὰς ἔχειν,
— — — — — —
λαμπροὶ δ' ἐν αἰχμαῖς Ἄρεος ἔν τε συλλόγοις,
μή μοι τὰ κομψὰ ποικίλοι γενοίατο,
ἀλλ' ὧν πόλει δεῖ, μεγάλα βουλεύοντες εὖ.

Delegit autem virgines, quas filii ducant, nobili stirpe oriundas, parentium opulentorum, et ex quibus generosam robustamque prolem natum iri sperari posset:

ἴδοιμι δ' αὐτῶν ἔκγον' ἄῤῥεν' ἀῤῥένων,
πρῶτον μὲν εἶδος ἀξίους τυραννίδος·
πλείστη γὰρ ἀρετὴ τοῦθ' ὑπάρχον ἐν βίῳ,
τὴν ἀξίωσιν τῶν καλῶν τὸ σῶμ' ἔχειν.

Quarum quam quisque acciperet, sorti decernendum commissurus est (*κλῆρος Ἑρμοῦ*, fragm. 27.).

Haec singula impugnat et redarguit filiorum maximus natu Macareus. Primum enim rerum omnium esse dicit ingenia, mores atque aetates coniugum convenire, ut mutuo amore possint et consuetudinis dulcedine conciliari:

κακὸν γυναῖκα πρὸς νέαν ζεῦξαι νέον·
μακρὰ γὰρ ἰσχὺς μᾶλλον ἀρσένων μένει,
θήλεια δ' ἥβη θᾶσσον ἐκλείπει δέμας
— — — — — —
ἀλλ' ἢ τὸ γῆρας τὴν Κύπριν χαίρειν ἐᾷ,
ἥ τ' Ἀφροδίτη τοῖς γέρουσιν ἄχθεται.

In genere atque divitiis quidquam momenti esse negat:

μὴ πλοῦτον εἴπῃς· οὐχὶ θαυμάζω θεόν,
ὃν χὠ κάκιστος ῥᾳδίως ἐκτήσατο·
τὴν δ' εὐγένειαν, πρὸς θεῶν, μή μοι λέγε·
ἐν χρήμασιν τόδ' ἔστι· μὴ γαυροῦ, πάτερ·
κύκλῳ γὰρ ἕρπει· τῷ μὲν ἔσθ', ὁ δ' οὐκ ἔχει·
κοινοῖσι δ' αὐτοῖς χρώμεθ'· ᾧ δ' ἂν ἐν δόμοις
χρόνον συνοικῇ πλεῖστον, οὗτος εὐγενής.

Proximas amore fratribus sorores esse, quibus in ma-

---

*) Cf. Welck. p. 863. not. 6.

trimonia ductis neque rem familiarem dividi neque studia eorum, qui sint eiusdem familiae, distrahi, sed firmissimis caritatis cognationisque vinculis adstrictos omnes instar unius et ad inimicos ulciscendos et ad augendam opulentiam inter se conspiraturos esse.

Eam familiarum quasi conglutinationem atque alienorum exclusionem contra naturam esse pater ostendit, ut quae non solum sanguinis, sed etiam legum, institutorum, iurum sermonisque communione et vario vitae commercio homines inter se iungi voluerit, eademque duce pauperes opulentosque promiscue in urbibus habitare neque separatim condere civitates:

δοκεῖτ' ἂν οἰκεῖν γαῖαν, εἰ πένης ἅπας
λαὸς πολιτεύοιτο πλουσίων ἄτερ;
οὐκ ἂν γένοιτο χωρὶς ἐσθλὰ καὶ κακά,
ἀλλ' ἔστι τις σύγκρασις, ὥςτ' ἔχειν καλῶς.
ἃ μὴ γὰρ ἔστι τῷ πένητι, πλούσιος
δίδωσ', ἃ δ' οἱ πλουτοῦντες οὐ κεκτήμεθα,
τοῖσιν πένησι χρώμενοι θηρώμεθα.

Haec rursus Macareus impugnat; tum turpe esse, si sorores fratribus nubant, negat: nihil enim per se vel turpe vel honestum esse, sed moribus solis et consuetudine turpia et honesta discerni:

ὄψει διαθρῶν οὐδὲν ἂν πάντῃ καλὸν
οὐδ' αἰσχρόν· ἀλλὰ τοῦτ' ἐποίησεν λαβὼν
ὁ καιρὸς αἰσχρὰ καὶ διαλλάξας καλά *).

Contentionibus altercatio annectitur, in qua filii concubitum incestum defendentis haec fuisse videntur:

ἡ φύσις ἐβούλεθ', ᾗ νόμων οὐδὲν μέλει **).

— — — — — — —

τί δ' αἰσχρόν, ἢν μὴ τοῖσι χρωμένοις δοκῇ;

Postquam pater in sua sententia perseverans discessit, de fuga cogitat Macareus:

— — — *ἀλλ' ὅμως*
οἰκτρός τις αἰὼν πατρίδος ἐκλιπεῖν ὅρους.

---

*) Sext. Emp. disput. Antiscept. ap. Fabric. Bibl. Gr. V, 7. p. 623. Meineke ad Men. p. 201: „Sunt fortasse Euripidis versus."

**) Fragm. inc. 171. p. 409. Matth.

Interposito deinde chori carmine, partus ipse Canacae in scena, quantum fieri poterat, exhibebatur. Testatur enim hoc Suetonius, a Nerone personato „C a n a c e n p a r t u r i e n t e m" cantari solitam esse referens (vit. Ner. c. 21.). Quae pars dramatis qualis fuerit, ex Ovidio coniectare licet v. 49 seqq.:

„Nec vocem tenui. „Quid, ait, tua crimina prodis?"
Oraque clamantis conscia pressit anus.
Quid faciam infelix? gemitus dolor edere cogit,
Sed timor et nutrix et pudor ipse vetant.
Contineo gemitus, elapsaque verba reprendo,
Et cogor lacrimas combibere ipsa meas.
Mors erat ante oculos, et opem Lucina negabat:
Et grave, si morerer, mors quoque crimen erat:
Cum superincumbens, scissa tunicaque comaque,
Pressa refovisti pectora nostra tuis,
Et mihi: „Vive soror, soror o carissima," dixti,
„Vive, nec unius corpore perde duos.
Spes bona det vires: germano nupta futura es:
Illius, es de quo mater, et uxor eris."
Mortua, crede mihi, tamen ad tua verba revixi,
Et positum est uteri crimen onusque mei."

Solebant veteres multa ostendere, quae nos occultamus, et rursus alia occultare, quae nos ostendimus. Nihil illi humani a scena alienum esse censebant; contra oculis subducebant quaecunque melius narrando exprimi quam imitando repraesentari posse videbantur. Absurdius enim inveniri nihil potest, quam ratio, qua vel proelia vel mortes nostri histriones imitantur; sed callum nobis obduxit diuturna consuetudo, ut tam pueriles ineptias spectantes non fatigemur, quas ne semel quidem adspicere sustinuissent antiqui. Confer hanc ineptiam cum praestantissima arte, qua Polynicis Eteoclisque pugnam ac caedem Euripides descripsit, et inanes gladiorum crepitus cum poetarum parepigraphis damnabis. Contra nullam vel vulnerum vel morborum foeditatem, nullos dolorum cruciatus e conspectu removendos, neque delicatiorum hominum mollitiei ullo modo serviendum esse censebant Graeci Romanique. Quare actio omnis, qualem descripsit Ovidius, quin in scena ex-

hibita sit, non dubito, et in fine demum Canacen, quum et nutricis admonitionibus et fratris solatio animus tranquillatus confirmatusque esset, in cubiculum abductam partum edidisse. Interim adolescens in scena remanere potuit, atque pronuntiare illa de infante clam asportando:

τὰ πόλλ' ἀνάγκη διαφέρει τολμήματα
— — — — — —
ὁ χρόνος ἅπαντα τοῖσιν ὕστερον φράσει·
λάλος ἐστὶν οὗτος, οὐκ ἐρωτῶσιν λέγει.

Haec excipiebat chori carmen, quo eadem sententia exornabatur:

ἦ βραχὺ σθένος ἀνέρος,
ἀλλὰ ποικιλίᾳ πραπίδων
δεινὰ μὲν πόντου χθονίων
τ' ἀερίων τε δάμναται
*παιδεύματα φύλων**).

Actus, qui sequebatur, naturam ex eodem Ovidio cognoscimus:

— — *„media sedet Aeolus aula:*
Crimina sunt oculis surripienda patris.
Frondibus infantem ramisque albentis olivae
Et levibus vittis sedula celat anus,
Fictaque sacra facit dicitque precantia verba:
Dat populus sacris, dat pater ipse viam.
Iam prope limen erat: patrias vagitus ad aures
Venit, et indicio proditur ille suo.
Eripit infantem mentitaque sacra revelat
Aeolus. Insana regia voce sonat.
Ut mare fit tremulum, tenui cum stringitur aura,
Ut quatitur tepido fraxina virga Noto,
Sic mea vibrari pallentia membra videres:
Quassus ab imposito corpore lectus erat" etc.
„Iamque dari parvum canibusque avibusque nepotem
Iusserat, in solis destituique locis.
Vagitus dedit ille miser: sensisse putares,
Quaque suum poterat voce rogabat avum."

*) Vulgo: δεινὰ μὲν πόντου χθονίων τ' ἀερίων τε δαμνᾶται παιδεύματα et δαμᾷ φῦλα πόντου χθονίων τ' ἀερίων τε παιδεύματα.

Horum pleraque quo minus sic, ut Ovidius refert, acta esse statuamus, nil impedit. Poterat rex vel in nuptiarum celebritate paranda vel in sacris faciendis cum filiis in scena occupatus esse, nutrice cum simulatis sacris prodeunte. Deprensa nutrice et convicta puerperam ipsam in scenam productam esse non est verisimile. Absens igitur conviciis a patre obruta est:

γυναῖκα δ' ὅςτις παύσεται λέγων κακῶς
δύστηνος ἆρα κοὐ σοφὸς κεκλήσεται.

Interposuisse se Macareum et Pseudoplutarchus testatur (*τὸν γεννήσαντα προεξιλεωσάμενος*) et hae reliquiae declarant:

ὀργῇ γὰρ ὅςτις εὐθέως χαρίζεται,
κακῶς τελευτᾷ· πλεῖστα γὰρ σφάλλει βροτούς.

Neque huic tribuere dubito verba, quae in Strepsiadem Aristophanes transtulit Nub. v. 1468:

— — *καταιδέσθητι πατρῷον Δία* *).

Quibus precibus nil motus Aeolus statim per satellitem filiae gladium mittit, quo eam ad mortem sibi consciscendam tecte impellit:

„*Interea patrius vultu moerente satelles*
Venit et indignos edidit ore sonos:
Aeolus hunc ensem mittit tibi (tradidit ensem)
Et iubet ex merito scire, quid iste velit."

Cf. Pseudoplutarchum l. l., Hyginum fab. 238., Ovid. Ibid. 564. Repulsus igitur patris contumacia Macareus haec dixisse putandus est:

σιγᾶν φρονοῦντα κρεῖσσον, εἰς ὁμιλίαν
πεσόντα **)· *τούτῳ δ' ἀνδρὶ μήτ' εἴην φίλος*
μήτε ξυνείην, ὅςτις αὐτάρκη φρονεῖν
πέποιθε, δούλους τοὺς φίλους ἡγούμενος.

Idem, postquam pater abiit, ad mortem se communiter obeundam parat:

---

*) „Sunt haec existimanda tragici alicuius verba, id quod vel producta praeter morem comicorum prima syllaba vocabuli *πατρῷον* ostendat, Euripidisque esse suspicatus est Porsonus ad Med. 1314." BOTHE. Proavum Aeoli Iovem fuisse ex iis, quae supra commemoravimus, intelligitur.

**) Vulgo: *κρεῖσσον ἢ εἰς ὁμιλίαν πεσόντα.*

οἴμοι· τίς ἀλγεῖν οὐκ ἐπίσταται κακοῖς;
τίς ἂν κλύων τῶνδ' οὐκ ἂν ἐκβάλλοι δάκρυ;
— — — — — — —
γλυκεῖα γάρ μοι φροντὶς οὐδαμῇ βίου.

Nam una cum sorore fratrem mortem sibi conscivisse et Pseudoplutarchus l. l. et Hyginus fab. 242. et Plato Leg. VIII. p. 838. C. testantur, cuius verba haec sunt: *ὅταν ἢ Θυέστας τινὰς ἢ τινας Οἰδίποδας εἰςάγωσιν ἢ Μακαρέας τινὰς ἀδελφαῖς μιχθέντας λαθραίως, ὀφθέντας δὲ, ἑτοίμως θάνατον αὑτοῖς ἐπιτιθέντας δίκην τῆς ἁμαρτίας.*

Hae caedes dum intus perpetrantur, quartum carmen actum est a choro: quo finito res, quomodo gesta esset, a nutrice coram rege, tunc demum de mutuo liberorum amore cognoscente, exposita est. Huius narrationis rationem rursus ex Ovidio cognoscimus, apud quem accepto gladio cum mandato patris haec inter alia dicit Canace:

„*Scimus, et utemur violento fortiter ense:*
Pectoribus condam dona paterna meis.
His mea muneribus, genitor, connubia donas?
Hac tua dote, pater, filia dives erit?
Tolle procul decepte faces, Hymenaee, maritas,
Et fuge turbato tecta nefanda pede.
Ferte faces in me, quas fertis, Erinnyes atrae,
Ut meus ex isto luceat igne rogus.
Nubite felices, Parca meliore, sorores:
Admissi memores sed tamen este mei.
Quid puer admisit, tam paucis editus horis?
Quo laesit facto, vix bene natus, avum?"

Deinde multa est in conquerendo infantis fato. Sorore iam interfecta, frater supervenit gladiumque ex illius corpore extractum in suo pectore condit: *ἔδραμεν εἰς τὸν θάλαμον, εὑρὼν δὲ τὴν ἀγαπωμένην αἱμοῤῥαγοῦσαν, τῷ αὐτῷ ξίφει τὸν βίον περιέγραψεν.* Clausulam huius narrationis fuisse hanc opinor:

τῇ δ' Ἀφροδίτῃ πόλλ' ἔνεστι ποικίλα·
τέρπει τε γὰρ μάλιστα καὶ λυπεῖ βροτούς·
τύχοιμι δ' αὐτῆς, ἡνίκ' ἐστὶν εὐμενής.

Ostenduntur deinde corpora mortuorum et sequuntur re-

gis lamenta, chori consolatione interpellata. Ad priorem rem sine dubio referendum est epigramma Lucilli, quod est in Iacobsii Anthol. T. II. p. 392. XI, 254:

πάντα καθ' ἱστορίην ὀρχούμενος, ἓν τὸ μέγιστον
τῶν ἔργων παριδὼν ἠνίασας μεγάλως.
τὴν μὲν γὰρ Νιόβην ὀρχούμενος ὡς λίθος ἔστης,
καὶ πάλιν ὢν Καπανεὺς ἐξαπίνης ἔπεσες·
ἀλλ' ἐπὶ τῆς Κανάκης ἀφυῶς, ὅτι καὶ ξίφος ἦν σοι
καὶ ζῶν ἐξῆλθες· τοῦτο παρ' ἱστορίην.

Neque enim gladium corpori virginis inhaerere debuit, utpote extractum ab adolescente, neque viva comparere potuit Canace, ut quae etiam prius quam hic occubuisset. Lamentorum Aeoli hae sunt reliquiae:

φεῦ, φεῦ· παλαιὸς αἶνος ὡς καλῶς ἔχει·
γέροντες οὐδέν ἐσμεν ἄλλο πλὴν ὄχλος
καὶ σχῆμ', ὀνείρων δ' ἕρπομεν μιμήματα·
νοῦς δ' οὐκέτ' ἔστιν, οἰόμεσθα δ' εὖ φρονεῖν.

ΧΟΡΟΣ.

μοχθεῖν ἀνάγκη· τὰς δὲ δαιμόνων τύχας
ὅςτις φέρει κάλλιστ' ἀνήρ, οὗτος σοφός.

ΑΙΟΛΟΣ.

— — — — — —

ἀεὶ τὸ μὲν ζῇ, τὸ δὲ μεθίσταται κακόν,
τὸ δ' ἐκπέφηνεν αὖθις ἐξ ἀρχῆς νέον.

— — — — — —

— ἔμοιγε νῦν τε καὶ πάλαι δοκεῖ·
παῖδας φυτεύειν οὔποτ' ἀνθρώπους ἐχρῆν,
πόνους ὁρῶντας εἰς ὅσους φυτεύομεν *).

— — — — — —

εἰ μὲν τόδ' ἦμαρ πρῶτον ἦν κακουμένῳ,
καὶ μὴ μακρὰν δὴ διὰ πόνων ἐναυστόλουν,
εἰκὸς σφαδάζειν ἦν ἄν, ὡς νεόζυγα
πῶλον χαλινὸν ἀρτίως δεδεγμένον·
νῦν δ' ἀμβλύς εἰμι καὶ κατηρτυκὼς πόνων.

Ultima sic convertit Cic. Tusc. III, 28:

„Si mihi nunc tristis primum illuxisset dies,
Nec tam aerumnoso navigavissem salo,

*) Fragm. inc. 149. p. 397. Matth.

Esset dolendi caussa, ut iniecto equulei
Freno repente tactu exagitantur novo:
Sed iam subactus miseriis obtorpui."

Magnam fuisse huius fabulae laudem Ovidius testatur (Trist. II, 384.):

„*Nobilis est Canace fratris amore sui.*"

Et iam Aristophanis tempore partes huius dramatis frequenter vulgo cantari solitas esse Phidippides argumento est (Nub. 1375.):

ὁ δ' εὐθὺς ἦσ' Εὐριπίδου ῥῆσίν τιν', ὡς ἐκίνει
ἀδελφός, ὦ 'Αλεξίκακε, τὴν ὁμομητρίαν ἀδελφήν.

Neque reliquis temporibus eam gloriam obscuratam esse inde apparet, quod nobilissimi omnis generis auctores passim ad eam respexerunt, velut Plato, Aristoteles (Polit. III, 2, 5.), Dicaearchus (fragm. 1.), Theophrastus (fragm. 2.), Aelianus (Hist. anim. IV, 54.), Galenus (fragm. 19.), Dionysius Hal., Strabo (fragm. 1.), Plutarchus (fragm. 2. 5. 9. 11. 24.), Athenaeus (fragm. 3. 5. 11.), Sextus Emp. (fragm. 5.), Lucianus (fragm. 24.), Cicero (Tusc. III, 28.), ut omittam alios obscuriores. In theatris eandem omnibus temporibus floruisse ex Neronis actionibus intelligitur. Accedit Ovidii imitatio et comicorum graecorum allusiones frequentissimae. Et Aristophanes quidem versus alios deflexit, aliis abusus est in Equit. 1175. (fragm. 2.), Nub. 1468., Pac. 114. 119., Thesm. 177. 8., Ran. 1475. Anaxandrides, qui traditur primus *ἔρωτας καὶ παρθένων φθοράς* fabulis suis inseruisse, an tragoediam in comoediam mutaverit, nescimus; sed deflexit versum celeberrimum:

ἡ πόλις ἐβούλεθ', ᾗ νόμων οὐδὲν μέλει.

Ab Antiphane autem, qui eandem rationem in fabulis componendis secutus est, idem argumentum tractatum esse ex fragmento, quod supra posuimus, apparet. Tum Eriphi quoque Aeolus ab Athenaeo IV. p. 134. commemoratur, hoc posito fragmento:

λόγος γάρ ἐστ' ἀρχαῖος οὐ κακῶς ἔχων.
οἶνον λέγουσι τοὺς γέροντας, ὦ πάτερ,
πείθειν χορεύειν οὐ θέλοντας.

In Aeolosicone Aristophanes non totum drama, sed partem eius in risum detorsisse potest. Ceterum nihil horum

omnium in contemtum Euripidis factum et pro laudis potius quam infamiae testimoniis talia habenda esse pridem intellectum est a prudentioribus, velut Welckero p. 871 *) seq. et Bergkio fragm. Aristoph. p. 55 **). Aperta tamen calumnia usus Aristophanes est, Euripidi crimini vertens, quod fratris atque sororis amorem spectandum exhibuerit (Nub. 1375., Ran. 1092.), quae accusatio non minus iniqua est, quam Eudociae fastidium, παμμίαρον poetam nominantis Anaxandridem ideo, quod virginum amores et stupra repraesentasset ***). Sed haec erroris dumtaxat accusanda est, illi autem neque stuporem neque morositatem tantam fuisse constat, ut non malitiae tribuendum esse appareat, si Euripidi crimini vertit ea, sine quibus ars ipsa spirare non potest. Veritatem enim abiici, si vitiorum imitatio omittatur, planum est. Gravissimorum autem scelerum repraesentationem ei poetae necessariam fuisse, qui τραγικώτατος fuerit, non minus facile intellectu est. Quod si Euripides talia sic expressisset, ut eum iis delectari appareret, si legum institutorumque severitatem impugnans illa recta, vera, debita esse doceret, iure meritoque reprehenderetur: quod tantum abfuit, ut unquam fecerit, ut

---

*) Operae pretium est verba viri humanissimi transscribere: „Die gemeine Vorstellung neigt dahin, wo irgend komische Poesie zu der ernsten und gefühlvollen in Beziehung gestellt ist, statt des Spieles, welches dem Witz, der Parodie und der Spaſsmacherei der Gegenstand und dessen Ausführung, wie gut sie in ihrer Art immer sein möchte, darbietet, dieſs für ein wohlverdientes Durchziehen zu nehmen. Es ist daher bloſs zufällig, da Aristophanes auch in einem Meisterstücke der neuen Komödie den Kokalos behandelt hat, einen Soff des Sophokles, daſs nicht auch dieſs von einem Notenschreiber als Durchziehen irgendwo aufgefaſst ist."

**) Errorem inveteratum naturae ac rationi poesis adversari dicit. „Immo Aristophanes fabulam illam antiquam de Aeolo ita tractavit atque lepide immutavit, ut saeculi imaginem haud obscuram exhiberet; et exagitavit ille quidem maxime insanas libidines illamque victus exquisitam luxuriam, de qua modo dixi."

***) Cf. Meineke l. l.

eum etiam iusto morosiorem fuisse, Helenam, Stheneboeam, Pentheum aliasque personas intuentes, intelligamus. Qui si Macarei caussam defendere vellet, auctoritate poterat Homeri niti, qui nihil incesti rei inesse opinans simpliciter

ἔνθ' ὅγε, inquit, θυγατέρας πόρεν υἱάσιν εἶναι ἀκοίτις·
οἱ δ' αἰεὶ παρὰ πατρὶ φίλῳ καὶ μητέρι κεδνῇ
δαίνυνται· παρὰ δέ σφιν ὀνείατα μυρία κεῖται·
κνισσῆεν δέ τε δῶμα περιστεναχίζεται αὐλῇ
ἤματα· νύκτας δ' αὖτε παρ' αἰδοίῃς ἀλόχοισιν
εὕδουσ' ἔν τε τάπησι καὶ ἐν τρητοῖς λεχέεσσιν.

Contra Euripidis Macareo de turpitudine rei tam firmiter persuasum est, ut, etiam commisso scelere, non audeat eam nisi per insidias captationesque defendere; neque minus Canace, tradito gladio neque aperte edito mandato, ἄνομον κρίνασα αὐτήν, „scimus, inquit, et utemur violento fortiter ense." Solent autem homines vitiosi poetarum dictis etiam invitorum ad purgandam turpitudinem suam abuti. Exemplo est Lais, si modo vera est fabula, quam Macho comicus apud Athen. XIII. p. 582. C. refert hoc carmine:

Λαΐδα λέγουσι τὴν Κορινθίαν ποτέ,
Εὐριπίδην ἰδοῦσαν ἐν κήπῳ τινὶ
πινακίδα καὶ γραφεῖον ἐξηρτημένον
ἔχοντ', ἀπόκριναι, φησίν, ὦ ποιητά μοι,
τί βουλόμενος ἔγραψας ἐν τραγῳδίᾳ
ἔῤῥ' αἰσχροποιέ*); καταπλαγεὶς δ' Εὐριπίδης
τὴν τόλμαν αὐτῆς, σὺ γάρ, ἔφη, τίς εἶ, γύναι;
οὐκ αἰσχροποιός; ἡ δὲ γελάσασ' ἀπεκρίθη·
τί δ' αἰσχρόν, ἢν μὴ τοῖσι χρωμένοις δοκῇ;

Plura eius generis commenta originem debent huic versui celeberrimo **), quem et Plato et Cleanthes correxisse dicuntur sic:

αἰσχρὸν τό γ' αἰσχρόν, κἂν δοκῇ κἂν μὴ δοκῇ.

De tempore, quo haec tragoedia primum acta sit, si quaeris, coniicio eam intra Ol. 84, 3. et Ol. 88, 4. innotuisse. Nam Ol. 84, 3. Sophocles Antigonam docuit, cu-

*) Versus de Medea 1336.
**) Cf. Matth. p. 13 seq.

ius quandam imitationem prae se fert opus Euripidis. Alter autem terminus Equitibus Aristophanis eiusdemque Nubibus describitur, quibus fabulis ad Aeolum respici supra docuimus.

C. Protesilaus.

Protesilaum sive Laodamiam, quod quidem ex scriptorum testimoniis cognosci possit, neque Sophocles neque Aeschylus neque reliquorum tragicorum quisquam praeter Euripidem composuerat. Quamobrem non videtur narratio Hygini (fab. 103. et 104.), quae manifestam exhibet tragoediae imaginem, aliunde potuisse, quam ex Euripidis opere, hauriri. Ne tamen continuo fragmenta, quae servantur, ad illam revocemus, duae res monere videntur, primum quod, quum pater Laodamiae Acastus ab Hygino appelletur, Photius (fragm. 7.) ei Alcathoi nomen ab Euripide tributum esse significat, deinde quod ille tres tantum horas Protesilaum ab inferis diis impetrasse dicit, reliquis auctoribus, imprimisque scholiasta Aristidis (T. II. p. 228. vel 256.), qui Euripide nominatim pro teste utitur, integram diem concessam esse affirmantibus *). Iam nominum discrepantiam quod attinet, cum Ovidium cum Hygino conspirare videam (Heroid. XIII, 25.), facilius adducor, ut Photii libris vitium inesse, quam ut nomen usitatius non Euripidis auctoritate niti credam **). Praeterea Acasti nomen in Phthiotarum fabulis celebratissimum fuit; Alcathoi in eius civitatis antiquitatibus mentio, quod sciam, nulla fit. Temporis autem spatium id, quod posuit Hyginus, melius, quam alterum, dramati convenire facile est intellectu. Accedit, quod origo erroris ex ipsis illius scholiastae, quem diximus, verbis elucet, quae haec sunt: Ὁ Πρωτεσίλαος δρᾶμα γέγραπται τῷ Εὐριπίδῃ. Λέγεται δὲ,

*) Stat. Silv. II, 7, 120:

Unum, quaeso, diem deos silentum
Exores: solet hoc patere limen
Ad nuptas redeuntibus maritis.

Lucian. D. M. 23. Tzetzis Chil. II, 52.

**) Matris nomen nemo protulit, scilicet non productae in scenam a tragico.

ὅτι γαμήσας καὶ μίαν ἡμέραν μόνον συγγενόμενος τῇ γυναικὶ ἠναγκάσθη μετὰ τῶν Ἑλλήνων κατὰ Τροίαν ἀπελθεῖν, καὶ πρῶτος ἐπιβὰς τῆς Τροίας ἐτελεύτησε. Καί φασιν, ὅτι τοὺς κάτω δαίμονας ᾐτήσατο καὶ ἀφείθη μίαν ἡμέραν καὶ συνεγένετο τῇ ἑαυτοῦ γυναικί. Patet enim ex his, utrumque spatium, quod et ante profectionem et post reditum concessum fuit, permutatum esse a scriptoribus, tantoque proclivior fuit permutatio, quod non solebant accuratissime temporum spatia, quae actionibus consumerentur, a scenicis poetis definiri. Eadem autem de re fieri potuit, ut etiam Hyginus ipse in definiendo tempore erraret. Sed haec, utut sunt, levia sunt. Quamobrem Hyginum in interpretandis tam Euripideis quam Laevianis fragmentis sequi non dubito. Eius narrationis initium hoc est: „Achivis fuit responsum, qui primus littora Troianorum attigisset, periturum. Cum Achivi classes appulissent, caeteris cunctantibus, Iolaus, Iphiclis et Diomedeae filius *), primus e navi prosiluit, qui ab Hectore confestim est interfectus **): quem cuncti appellarunt Protesilaum, quoniam primus ex omnibus perierat. Quod uxor Laodamia, Acasti filia, cum audisset eum perisse, flens petiit a diis, ut sibi cum eo tres horas colloqui liceret: quo impetrato, a Mercurio reductus, tres horas cum ea colloquutus est ***). Quod iterum cum obisset Protesilaus, dolorem pati non potuit Laodamia." His supplementa quaedam ex aliis auctoribus addimus. Caussam mortis fuisse, quod domus recens aedificata nullis sacrorum solemnibus, antequam nupta deduceretur, initiata esset, ostendit Catullus 68, 79:

---

*) Lucian. D. M. 23: *εἰμὶ μὲν Πρωτεσίλαος ὁ Ἰφίκλου, Φυλάκιος, στρατιώτης τῶν Ἀχαιῶν, καὶ πρῶτος ἀποθανὼν τῶν ἐπ' Ἰλίῳ.*

**) Lucian. D. M. 19: *ὃς ἐκλαθόμενος τῆς νεογάμου γυναικός, ἐπεὶ προςεφέρεσθε τῇ Τρῳάδι, οὕτω φιλοκινδύνως καὶ ἀπονενοημένως προεπήδησας τῶν ἄλλων, δόξης ἐρασθείς, δι' ἣν πρῶτος ἐν τῇ ἀποβάσει ἀπέθανες.* Idem dial. 23. Ovid. Heroid. XIII, 93. et 65.

***) Vulgo: *cum eo collocuta est.*

„Coniugis ut quondam flagrans advenit amore
Protesilaëam Laodamia domum
Inceptam frustra, nondum cum sanguine sacro
Hostia coelesteis pacificasset heros" etc.
„Quam ieiuna pium desideret ara cruorem,
Docta est amisso Laodamia viro,
Coniugis ante coacta novi dimittere collum,
Quam veniens una atque altera rursus hiems
Noctibus in longis avidum satiasset amorem,
Posset ut abrupto vivere coniugio:
Quod scibant Parcae non longo tempore abesse,
Si miles muros isset ad Iliacos."

Cum quo conspirat Lucianus D. M. 19: ἡμιτελῆ μὲν τὸν δόμον καταλιπών, χήραν δὲ τὴν νεόγαμον γυναῖκα. Demta vulnerum cruorisque foeditate pristinam formam reversuro ex inferis restituendam fuisse docet eiusdem Luciani Proserpina D. M. 23: οὐκοῦν, ὦ ἄνερ, σὺ καὶ τοῦτ' ἴασαι, καὶ τὸν Ἑρμῆν κέλευσον, ἐπειδὰν ἐν τῷ φωτὶ ἤδη ὁ Πρωτεσίλαος ᾖ, καθικόμενον τῇ ῥάβδῳ νεανίαν εὐθὺς καλὸν ἀπεργάσασθαι αὐτόν, οἷος ἦν ἐκ τοῦ παστοῦ.

Protesilai umbram media nocte in scenam prodisse suspicor atque expositis iis, quae et Troiae et in Phthia gesta erant*), ex Orco se reductum a Mercurio esse, diis inferis Laodamiae precibus commotis, ostendisse. Tecta sibi intrare fas esse negavit:

οὐ γὰρ θέμις βέβηλον ἅπτεσθαι δόμων.

Recessit igitur his expositis atque in propinquo aliquo loco collocatus exspectabat, dum uxor prodiret, ut ipse doloris lamentorumque mulieris testis fieret.

Potuit deinde cum primo mane Laodamia ex aedibus prodire. Somni quodam viso eam territam fuisse ex Ovidio colligo (Her. XIII, 109) **):

„Sed tua cur nobis pallens occurrit imago?
Cur venit a verbis multa querela tuis?

---

*) Philostr. Her. p. 633. D: πλήν γε ὅτι ἀποθάνοι μὲν δι' Ἑλένην ἐν Τροίᾳ, ἀναβιῴη δὲ ἐν Φθίᾳ, Λαοδαμείας ἐρῶν.

**) In eadem sententia est Welck. p. 495.

Excutior somno, simulacraque noctis adoro;
Nulla caret fumo Thessalis ara meo.
Tura damus lacrimamque super: qua sparsa relucet,
Ut solet adfuso surgere flamma mero.
Quando ego te reducem cupidis amplexa lacertis
Languida laetitia solvar ab ipsa mea?"

Praeterea discessus tristem et nuptiarum iucundam memoriam repetitam a Laodamia esse omninoque aegritudinem mulieris simili ratione, atque fit apud Ovidium Catullumque*), descriptam esse consentaneum est. Quamobrem non alienum esse duco quaedam utriusque verba transscribere. Catulli sunt haecce:

„*Quo tibi tum casu, pulcherrima Laodamia,*
Ereptum est vita dulcius atque anima
Coniugium: tanto te absorbens vortice amoris
Aestus in abruptum detulerat barathrum,
Quale ferunt" etc.
„*Sed tu horum magnos vicisti sola furores,*
Ut semel es flavo conciliata viro."

Ovidii haec pono:

„*Nec mihi pectendos cura est praebere capillos,*
Nec libet aurata corpora veste tegi."

Exstant etiam Laevii quaedam fragmenta, quibus Laodamia iucundissimam nuptiarum noctisque genialis memoriam repetit:

„*Ineunt, inruunt, cachinnos, ioca, dicta missitantes*" **).

— — — — — — —

„*Complexa somno corpora operiuntur, ac suavi quiei*
Dicantur."

Cum nutrice, puto, colloquens haec exposuit. Ambarum deinde societati chorus se applicat, quem ex mulieribus Phylaciis constitisse (nam Phylaces rex fuit Iphiclus, pater Protesilai, ibique haec aguntur) recte coniectasse videtur Welckerus ex Ovidii verbis hisce:

---

*) Catull. 68, 105 seqq. Ovid. Her. XIII, 1—30.

**) Vulgo: *risitantes*. Bothii emendationem admisi.

„*Conveniunt matres Phylaceides, et mihi clamant:*
Indue regales, Laodamia, sinus.
Scilicet ipsa geram saturatas murice vestes,
Bella sub Iliacis moenibus ille gerat?
Ipsa comas pectar, galea caput ille prematur?
Ipsa novas vestes, dura vir arma ferat?
Qua possum, squalore tuos imitata labores
Dicar, et haec belli tempora tristis agam."

Talia alternis strophis a choro et Laodamia cantari potuerunt. Statim autem post parodum Protesilaus rursus prodire potuit. Laetitiam coniugum, in mutuum conspectum redeuntium, lyricis numeris puto expressam fuisse. Hanc sine dubio excipiebat sciscitatio mutua et narratio, ut fieri solet, quum post longius intervallum sibi redduntur amantes. Opinatur Laodamia maritum bello iam composito redisse et perpetuo mansurum esse, quod utrumque negat Protesilaus:

„*Seseque ii perire mavolunt ibidem,*
Quam cum stupro rebitere ad suos popularis" *).

Hoc redeundi studio suspicio uxori iniicitur praelatae aemulae:

„*Aut nunc quaepiam alia te illo Asiatico ornatu affluens*
Aut Sardiano ac Ludio fulgens decore et gloria
Pellicuit."

His se suspicionibus Protesilaus non aliter quam vera fatendo liberare potuit:

Οὐκ, ἀλλ' ἔτ' ἔμπνουν Ἀΐδης μ' ἐδέξατο **).

His peractis Acastum intervenire necesse fuit: qui antequam prodiret, chori carmen recitatum esse suspicor:

---

*) Fragm. inc. n. 25. Vulgo *redire*. Bothii coniecturam admisi.

**) Fragm. inc. ex Luciani Necyom. petitum; cf. Matth. p. 411. n. 189.

— θεοὶ χθόνιοι,
ζοφερὰν ἀδίαυλον ἔχοντες ἕδραν
τὴν φθειρομένων, Ἀχερόντειαν
λίμνην *).

His adde Varr. L. L. VI, 94. ed. Müll.: „Quare una origine inlici et inlicis, quod in choro Proserpinae est" (cf. Both. p. 12.).

Impetraverat Protesilaus ab inferis diis reditus veniam ea lege, ut coniugem secum adduceret, redderenturque illis duae animae pro una **). Nam neque ipse carissima uxore carere volebat, neque Laodamiae, quin vita quam coniugis consortio cedere mallet, dubium erat. Relinquebatur igitur „grandaevo parenti" orbitas. Quem hoc aegerrime tulisse et tanquam iniuria sibi illata in Protesilaum invectum esse ex fragmento quodam intelligimus. Disceptata igitur est quaestio, utrum patris an mariti ius potius esset. Acasti orationis unum tantum fragmentum exstare videtur, quo ad eorum populorum leges institutaque, qui non privas uxores, sed quodammodo communes haberent, provocabat:

κοινὸν γὰρ εἶναι καὶ γυναικεῖον λέχος.

Contra Protesilai haec fuerunt:

δυοῖν λεγόντοιν, θατέρου θυμουμένου,
ὁ μὴ ἀντιτείνων τοῖς λόγοις σοφώτερος.
— — — — — —
— — — ἄξιος δ' ἐμὸς
γαμβρὸς κέκλησαι, παῖδά μοι ξυνοικίσας.

Vincitur Protesilaus, femina patris admonitionibus precibusque obsecundante. Quum autem ille consumto spatio, quod concessum erat, discessisset, animi deliquium passa esse Laodamia videtur, qua de re conferendus Ovidius v. 23 seqq.:

„*Lux quoque tecum abiit; tenebris exsanguis obortis*
Succiduo dicor procubuisse genu.

*) Fragm. inc. n. 247. p. 427.

**) Lucian. D. M. 23: *οἶμαι πείσειν κἀκείνην ἀκολουθεῖν παρ' ὑμᾶς, ὥστ' ἀνθ' ἑνὸς δύο νεκροὺς λήψῃ μετ' ὀλίγον.* Philostr. Her. p. 633. D.: *καὶ μὴν ἀποθανεῖν γε μετὰ τὸ ἀναβιῶναι λέγεται καὶ ἀναπεῖσαι τὴν γυναῖκα ἐπισπέσθαι οἱ.*

Vix socer Iphiclus, vix me grandaevus Acastus,
Vix mater gelida moesta refecit aqua.
Officium fecere pium, sed inutile nobis:
Indignor miserae non licuisse mori.
Ut rediit animus, pariter rediere dolores:
Pectora legitimus casta momordit amor."

Consolationi paternae haec infuisse videntur:

πέπονθεν οἷα καὶ σὲ καὶ πάντας μένει.

— — — — — —

οὐ θαῦμ' ἔλεξας, θνητὸν ὄντα δυστυχεῖν

— — — — — —

πόλλ' ἐλπίδες ψεύδουσιν ἄλογοι βροτούς.

Deinde intro abducta est Laodamia, locusque factus tertio chori carmini.

Prodit deinde famulus defertque ad Acastum ea, quae speculando, auscultando explorandoque cognovit. De qua re haec sunt verba Hygini: „Laodamia, Acasti filia, amisso coniuge, cum tres horas consumsisset, quas a diis petierat, fletum et dolorem pati non potuit. Itaque fecit simulacrum aereum (scribe cereum) simile Protesilai coniugis et in thalamis posuit sub simulatione sacrorum, et eum colere coepit *). Quod cum famulus matutino tempore poma ei attulisset ad sacrificium, per rimam aspexit viditque eam ab amplexu Protesilai simulacrum tenentem atque osculantem. Aestimans eam adulterum habere, Acasto patri nuntiavit." Levis tamen mutatio his adhibenda est. Nam non potuit in dramate nunc demum post alterum mariti discessum imago a Laodamia parari, sed statim post priorem eius profectionem hunc imaginis cultum ab ea institutum esse putandum est. Conferendus de hac re rursus idem Ovidius v. 151:

„Dum tamen arma geres diverso miles in orbe,
Quae referat vultus est mihi cera tuos.
Illi blanditias, illi tibi debita verba
Dicimus; amplexus accipit illa meos.

*) Bacchi sacra a Laodamia simulata esse innuit Philostr. Im. II, 9. p. 795. Cf. Welck. p. 498.

Crede mihi: plus est, quam quod videatur, imago:
Adde sonum cerae, Protesilaus erit.
Hanc specto teneoque sinu pro coniuge vero,
Et, tanquam possit verba referre, queror."

Idem in Rem. A. 723:

„*Si potes, et ceras remove: quid imagine muta*
Carperis? Hoc periit Laodamia modo."

Vestigium huius narrationis ex Laevii fabula servavit Gell. XII, 10: „Laevius quoque, ut opinor, in Protesilaodamia claustritumum dixit qui claustris ianuae praeesset, eadem scilicet figura, qua aeditumum dici videbat qui aedibus praeest." Graeci exemplaris fragmentum a Dione Chrys. or. 37. p. 467. suppeditatur:

— — — *ὦ, λόγων ἐμῶν,*
σιγηλὸν ὥς εἴδωλον, οὐ φαίνῃ κλύειν *).

Verba sunt Laodamiae, a famulo auscultante excepta.

Pergit Hyginus sic: „Qui (Acastus) cum venisset et in thalamos irrupisset, vidit effigiem Protesilai. Quae ne diutius torqueretur, iussit signum et sacra, pyra facta, comburi." Fragmentum orationis, qua Laodamia imaginis cultum defendit, idem Chrysostomus servavit:

οὐκ ἂν προδοίην, καίπερ ἄψυχον, φίλον.

Admonitionis paternae haec fuerunt:

„*cupidius miserulo obito.*"

— — — — — —

„*Dem iam macilentis colorem, dum ne ex hoc macilens fias*" **).

Quibus admonitionibus precibusque victa postquam Laodamia concessit, ut imago cum sacris, pyra facta, comburerentur, inter hanc rem quartum a choro cantatum est carmen.

De morte Laodamiae haec retulit Hyginus: „quo (in pyram accensam) se Laodamia, dolorem non sustinens,

---

*) Chrysost.: *βούλομαι οὖν αὐτὸν ὥς αἰσθανόμενον παραμυθήσασθαι· ὦ λόγων ἐμῶν σιγηλὸν εἴδωλον οὐ φαίνῃ.*

**) Bothii coniecturas admisi.

immisit atque usta est" *). Quae supplentur a Philostrato (Icon. II, 9. p. 795.), quo loco Panthiae mortem describens, „Decessit, inquit, non ut Protesilai uxor, his redimita, quibus baccharum more agitata sit etc., sed formam eandem, qua fuerat vivente marito, servavit" **). Clausulam huius narrationis hanc fuisse opinor:

ὅςτις δὲ πάσας συντιθεὶς ψέγει λόγῳ
γυναῖκας ἑξῆς, σκαιός ἐστι κοὐ σοφός.
πολλῶν γὰρ οὐσῶν τὴν μὲν εὑρήσεις κακήν,
τὴν δ', ὥςπερ αὕτη, λῆμ' ἔχουσαν εὐγενές.

His peractis relinquebatur, ut patris a rogo revertentis dolor ostenderetur:

ὦ παῖδες, οἷον φίλτρον ἀνθρώποις φρενός.

Magna gloria hoc drama apud Romanos usum esse cum Laevii Protesilaodamia tum elegicorum poetarum allusiones imitationesque ostendunt. Nam praeter Catullum, Ovidium Statiumque etiam Propertius ad illud respexit I, 19, 7:

„*Illic Phylacides iucundae coniugis heros*
Non potuit caecis immemor esse locis."

Ex Graecis satis locupletes testes Plutarchus, Lucianus, Philostratus, Chrysostomus, Clemens Alex. praesto sunt. Satis enim ex horum vel imitationibus vel commemorationibus laus et celebritas dramatis elucet. Accedunt artificum imitationes. Exstat enim caelatum opus celeberrimum, quo singulae dramatis partes ita repraesentantur, ut de Euripidis imitatione non possit dubitari: de qua re confer explicantem Feuerbach. Apoll. Vatic. p. 379., cui addas Welck. p. 499. Eius imaginis tertia et quarta pars, quarum illa Protesilaus Laodamiam revisens iterumque ab ea

---

*) Cf. Ovid. v. 163:

„*Me tibi venturam comitem, quocunque vocaris,*
Sive, quod, heu, timeo! sive superstes eris."

Idem ex Pont. III, 1, 110:

„*Si comes exstincti manes sequerere mariti,*
Esset dux facti Laodamia tui."

**) *Ἄπεισι δὲ οὐχ ὥςπερ ἡ Πρωτεσίλεω, κατεστεφθεῖσα οἷς ἐβάκχευσεν.*

ad inferos rediturus, hac Laodamia inter Bacchici cultus instrumenta languida in lecto, praesente patre, exhibetur, etiam in museo P. Clement. T. V. tab. 19. et 18. inveniuntur.

D. Scyriae.

Tragoediarum numero hoc drama habitum esse Ovidius testatur Trist. II, 409:

„*Est et in obscenos deflexa Tragoedia risus*
Multaque praeteriti verba pudoris habet:
Nec nocet auctori, mollem qui fecit Achillem
Infregisse suis fortia facta modis."

Propius tamen ad comoediam accessisse ex fragmento primo intelligitur. Quamobrem ei generi illud adscribere, quod medium locum inter tragicum satyricumque tenens vice huius usurpatum sit, non dubitamus.

Reliquiarum tanta est paucitas, ut, nisi Statius lumen accenderet, de cognoscenda argumenti conformatione plane desperandum esset. Sed hunc Euripidis potissimum vestigiis institisse inde colligere licet, quod stuprum virginis lepidissime exornavit, quam partem ne tetigisse quidem videtur Sophocles, cuius opus qui adumbrare volent, Hygini narrationem sequi debebunt. Cum Statio autem Philostratus Im. I. p. 832. ut plurimum consentit. Hoc minus, quin haec quoque ex Euripide hausta sint, dubito.

Videamus igitur, quomodo haec narratio ad actiones possit revocari.

Primum prodisse Ulyssem oportet. Is enim Troiam proficiscens ad Scyrum insulam navem applicavit, ubi,

„*Hospita ne subito terrerent moenia coetu,*
Puppe iubet remanere suos,"

ipse ad aedes regias se contulit. Uni ex sociis mandavit, ut, ubi tempus esset, calathos, colos aliaque instrumenta mulierum ex nave ferret utque arma et clypeum iis donis adiungeret. His enim auxiliis Achillem inter puellas latentem detecturus est.

„*Dixerat*, *atque ipso portarum in limine regem*
Cernit, *et ostensa pacem praefatur oliva.*
Magna, *reor*, *pridem vestras pervenit ad aures*
Fama trucis belli, *regum placidissime*, *quod nunc*
Europamque Asiamque quatit" etc.

Deinde nomen suum prodit et caussam viae fictam refert,

„*Explorare aditus invisaque littora Troiae*,
Quidve parent."

Excipit rex:

„*Annuerit Fortuna*, *precor*, *dextrique secundent*
Ista dei. Nunc hospitio mea tecta meumque
Illustrate larem. Simul intra limina ducit."

Prodit chorus, „comites pudicae natarum" regis: nam

„*Rumor in arcana iam dudum perstrepit aula*,
Virginibus qua fida domus, *venisse Pelasgum*
Ductores Graiamque ratem sociosque receptos."

His sic actis colloquium puto Achillis atque Deidamiae secutum esse. Nam

„*Haec illum stupro comperit esse virum*" *).

Dum pavent virgines militum adventum, vix nova gaudia celabat Pyrrha sive Achilles. Idem convivio adhibitus cum virginibus tam se gessit intemperantem, ut,

„*nisi praecipitem blando complexa moneret*
Deidamia sinu, *nudataque pectora semper*
Exsertasque manus humerosque in veste teneret,
Et prodire toris et poscere vina vetaret
Saepius, *et fronti crinale reponeret aurum*,
Argolicis ducibus iam tum patuisset Achilles."

Hoc timore mota maturius Deidamia Pyrrham, quae videbatur, e convivio abduxit. Inde Achillem ab amata obiurgatum esse monitumque, ut modestius se gereret, suspicor; illum contra, nil curantem exprobrationem, lusisse petulantem:

„*Nunc levibus sertis*, *lapsis nunc sponte canistris*,
Nunc thyrso parcente ferit. Modo dulcia notae
Fila lyrae tenuesque modos et carmina monstrat

---

*) Ovid. A. A. I, 698.

Chironis, ducitque manum, digitosque sonanti
Infringit citharae; nunc occupat ora canentis
Et ligat amplexus et mille per oscula laudat.
Illa libens discit, quo vertice Pelion et quis
Aeacides, puerique auditum nomen et actus
Adsidue stupet, et praesentem cantat Achillem."

Inter haec ex motibus quoque durioribus virum a gnaris cognitum esse consentaneum est.

Interposito deinde chori carmine reliquas virgines accessisse suspicor et paullo post Ulyssem ad ludentes prodisse. Hunc deinde, arrepta opportunitate, de Troia exercituque Achivo Achilli, verba avide auribus haurienti, narrasse:

„*Quis enim non visere gentes*
Innumeras variosque duces atque agmina regum
Ardeat? Omne simul roburque decusque potentis
Europae meritos ultro iuravit in enses" etc.

Sic belli apparatum, ducum nobilitatem atque virtutem, militum multitudinem et bellandi cupidinem vividissimis coloribus describens Achillem

„*Aspicit intentum vigilique haec aure bibentem,*
Cum paveant aliae demissaque lumina flectant."

Hoc ipso temporis momento

„*Tydides aderat praedictaque dona ferebat,*
Hortaturque legant, nec rex placidissimus arcet.
Hinc aliae, quas sexus iners naturaque ducit,
Aut teretes thyrsos aut respondentia tentant
Tympana, gemmatis aut nectunt tempora limbis;
At ferus Aeacides radiantem ut cominus orbem
Caelatum pugnis saevis et forte rubentem
Bellorum maculis, acclinem et conspicit hastam,
Infremuit" etc.

Calathos et crepundia virginibus ab Ulysse proposita esse ait Philostratus *), quibus neglectis Achillem impetu ad

*) Consentit Tzetzes ad Lycophr. 276., qui et ipse Euripidem secutus esse videtur: *ἀτράκτους καὶ ἠλακάτας καὶ ὅσα τοιαῦτα γυναικῶν ἐργαλεῖα, ἔτι δὲ καὶ ξίφη καὶ τόξα καὶ ἰοὺς ῥίψας πρὸ τοῦ παρθενῶνος τοῦ Λυκομήδους.*

armaturam accurrisse statimque abiectis vestibus muliebribus arma induisse. Sic cognitum esse ab Ulysse:

— — — „*Quid haeres?*
Scimus, ait, tu semiferi Chironis alumnus,
Tu coeli pelagique nepos" etc.

Huc traho versum, quem Aristophanes in Ranis (840.) deflexit:

ἀληθὲς, ὦ παῖ τῆς θαλασσίας θεοῦ.

Oblitus igitur amoris, oblitus mandatorum matris, Ulyssem sequitur ad socios ducentem.

Locus fiebat carmini tertio. Interim Deidamia in thalamo se continens sortem suam deplorat tam vehementi dolore, ut clamores a theatro audiantur:

— „*Ast alia plangebat parte retectos*
Deidamia dolos."

Prodit nutrix anxia atque sollicita: ad quam paullo post rex accedit, caussamque aegritudinis filiae quaerit:

ΤΡΟΦΟΣ.

ἡ παῖς νοσεῖ σου κἀπικινδύνως ἔχει.

ΛΥΚΟΜΗΔΗΣ.

πρὸς τοῦ; τίς αὐτὴν πημονὴ δαμάζεται;
μῶν κρυμὸς αὐτῆς πλευρὰ γυμνάζει χολῆς;
— — — — — —
ψῦχος δὲ λεπτῷ χρωτὶ πολεμιώτατον.

Re detecta rex aliquod supplicium decernit, dissuadente nutrice:

σοφοὶ δὲ συγκρύπτουσιν οἰκείας βλάβας.

Gravi moerore Lycomedem affectum esse verba haec testantur:

φεῦ, τῶν βροτείων ὡς ἀνώμαλοι τύχαι·
οἱ μὲν γὰρ εὖ πράσσουσι, τοῖς δὲ συμφοραὶ
σκληραὶ πάρεισιν εὐσεβοῦσιν εἰς θεοὺς
καὶ πάντ' ἀκριβῶς κἀπὶ φροντίδων βίον
σὺν τῷ δικαίῳ ζῶσιν αἰσχύνης ἄτερ.

Post quartum deinde carmen Achillem cum Ulysse reversum regis iram sedasse suspicor:

„*Me tibi, care pater (dubium dimitte timorem),*
Me Thetis alma dedit. Te pridem tanta manebat
Gloria; quaesitum Danais tu mittis Achillem."

„*Te Peleus nato socerum et Thetis hospita iungunt,*
Allegantque suos utroque a sanguine divos etc.
Iam socer es. Natum ante pedes proiecit, et addit:
Iamque avus."
„*Tunc epulis consumta dies, tandemque receptum*
Foedus, et intrepidos nox conscia iungit amantes."

Simplici argumento usus est Sophocles, composito Euripides. Non enim satis habuit hic ostendisse, quomodo vir inter virgines latens detectus esset, quin admisceret etiam alteram cognitionem, qua uxor inter puellas latens detegeretur. Tenuit igitur etiam in hac fabula componenda institutum suum, quo rerum varietate et copia fabulas distinguere et vitare priorum poetarum assiduitatem studebat. In obscenos risus hanc tragoediam deflexam esse testatur Ovidius l. l., id quod etiam sine hoc testimonio ex reliquiis intelligere liceret. Ambiguum enim illud *πρὸς τοῦ;* et febris laterumque doloris significatio ad risum movendum aptissima sunt; tum ipse adspectus viri pro virgine venditi et inter virgines versantis et una earum familiarissime utentis non solum ridicula res, sed etiam obscena erat. Sufficeret igitur vel hoc exemplum cum testimonio Ovidii ad demonstrandam rem minime dubiam ac certissimis iam testimoniis confirmatam, fuisse quoddam medium inter tragicum et satyricum dramatum genus, neque semper quartam didascaliarum fabulam satyricam fuisse, sed saepissime ex tragica et comica mixtam, satyris carentem.

Nobilissimum hoc drama fuisse ex imitationum et commemorationum frequentia apparet, quarum unam praeter eas, quas supra diximus, protulisse sufficiet Bionis 15, 9:

Σκύριον, ὦ Λυκίδα, ζαλῶ μέλος, ἁδὺν Ἔρωτα,
Λάθρια Πηλείδαο φιλάματα, λάθριον εὐνάν·
Πῶς παῖς ἕσσατο φᾶρος, ὅπως δ' ἐψεύσατο μορφὰν
Χὤπως ἐν κώραις Λυκομηδίσιν ἀπαλέγοισα
. . . *τ' ἀπαστὸν Ἀχιλλέα Δηϊδάμεια.*

VII.
De vita Euripidis civili.

„Quam matrem Euripides aut quem patrem Demosthenes habuerit, ipsorum quoque saeculo ignotum fuit. Alterius autem matrem olera, alterius patrem cultellos venditasse, omnium paene doctorum litterae loquuntur. Sed quid illius tragica, huius oratoria vi clarius?" Haec sunt verba Valerii Max. III, 4. extr. 2. Simillima est summi oratoris et summi poetae conditio: utriusque enim vitae memoria aemulorum criminationibus mendosior facta ac deformata est. Notum est autem Aristophanem omnibus locis olera matris Euripidi iculariter obiicere, ac ne legitimum quidem olus, sed scandicem ab ea venditari affirmare (cf. Thesm. 387. 456., Plin. H. N. XXII, 38.), cuius auctoritatem sequi ne Theopompum quidem historicum puduit; cf. Gell. XV, 20, 1. Atqui in Aristophanis ipsius fabula Thesmophoriazuson inerant, quibus mendacii comicus convinceretur. Sic enim facit Mnesilochum, socerum Euripidis, precantem (v. 290.):

καὶ τὴν θυγατέρα Χοῖρον ἀνδρός μοι τυχεῖν
π λ ο υ τ ο ῦ ν τ ο ς, ἄλλως τ' ἠλιθίου κἀβελτέρου,

quibus verbis Mnesilochus se, d i v i t i a s E u r i p i d i s, hominis nequam, a d m i r a n t e m, filiam ei in matrimonium collocasse declarat. Neque tam obscurum fuisse genus Euripidis, ut non posset facile ab iis, qui operam veritati darent investigandae, etiam posterioribus, cognosci, Philochorus, qui de Sophoclis, Euripidis Alcmanisque vitis scripserat, apud Suidam et Moschopulum ostendit, quorum verba haec sunt: *Εὐριπίδης Μνησάρχου ἢ Μνησαρχίδου καὶ Κλειτοῦς, οἳ φεύγοντες εἰς Βοιωτίαν μετῴκησαν, εἶτα ἐν τῇ Ἀττικῇ. Οὐκ ἀληθὲς δὲ, ὡς λαχανόπωλις ἦν ἡ μήτηρ αὐτοῦ· καὶ γὰρ τῶν σ φ ό δ ρ α ε ὐ γ ε ν ῶ ν ἐτύγχανεν οὖσα, ὡς Φιλόχορος ἀποδείκνυσιν.* Matris nomen Hyginus fab. 161. Cleobulam posuit, quo loco Euripidem pro Apollinis filio habitum esse ostendit: „Euripides ex

Cleobula." Accedit testimonium Etymologici M. p. 795, 40. et Harpocrationis, quo Euripidem demo Phlyeae tribus Cecropidis adscriptum fuisse docemur: *Φλυεία δῆμος τῆς Κεκροπίδος· ἐκ τούτου δὲ τοῦ δήμου ἦν Εὐριπίδης ὁ τῆς τραγῳδίας ποιητής.*

Unde non absonum est coniicere, praediorum plurium possessione parentes Euripidis opulentos fuisse. Hoc enim comici eo, quo solent, more significant, patrem cauponem fuisse, matrem olera venditasse dicentes. Persarum copiis Atticam invadentibus, in Salaminem insulam concessisse videntur, secum ferentes parvulum filium, annum fere quartum aetatis agentem *). Erat enim ibi quoque praedium iis paternum, id quod facile intelligitur inde, quod saepe multumque Euripidem in loco quodam eius insulae solitario carminum scribendorum caussa commoratum esse ait Philochorus. Quod autem idem in Boeotiam parentes Euripidis concessisse tradidit, id nominis caussa fictum esse suspicor **). Ab Euripo enim freto, in quo pugnatum est, nomen nostro factum esse uno ore omnes affirmant ***), quos falli lex formandorum nominum ipsa docet. Accedit, quod ante, quam nasceretur Euripides, hoc nomen maioribus eius usitatum fuisse constat. Priorem enim quendam Euripidem inter tragicos poetas Athenis floruisse testatur Suidas ****), quem cognatione cum nostro iunctum fuisse, ut eius auctoritate studium adolescentis ad eiusdem laudis aemulationem accenderetur, verisimile est †).

---

*) Thomas M. in vita Eurip.: *γεννηθεὶς ἐν Σαλαμῖνι τῇ πρὸ τῆς Ἀττικῆς νήσῳ*, de quo errore vide p. 5 seqq. Idem in reliquis vitis scriptum est.

**) Fuerunt, qui etiam ex Boeotia pulsos in Atticam immigrasse parentes Euripidis mentirentur; cf. Stob. serm. 49, 5. p. 293. Gesn.

***) Velut Priscianus II, 6. p. 79: „Inveniuntur quaedam nomina formae patronymicorum significatione denominativa, ut Euripides proprium non Euripi filius, sed ab Euripo sic nominatus dicitur Euripides, quia illo die natus est, quo Athenienses cum Persis in Euripo bellum commisere."

****) *Εὐριπίδης Ἀθηναῖος τραγικός, πρεσβύτερος τοῦ ἐνδόξου γενομένου, ἐδίδαξε δράματα ιβ', εἷλε δὲ νίκας δύο.*

†) Cf. Welck. p. 936.

Ceterum puerum initio ad corporis vires exercitandas se totum contulisse tradunt, quum ex oraculo quodam pater speraret fore, ut athleta victoriis Olympicis gloriam adipisceretur. Qua de re hoc exstat Gellii sive Theopompi testimonium: „Patri autem eius, nato illo, responsum est a Chaldaeis eum puerum, cum adolevisset, victorem in certaminibus fore: id ei puero fatum esse. Pater interpretatus athletam debere esse, roborato exercitatoque filii sui corpore, Olympiam certaturum inter athletas puerum deduxit. Ac primo quidem in certamen per ambiguam aetatem receptus non est. Post Eleusinio et Theseo certamine pugnavit et coronatus est." Adde vitas a Thoma M. et in cod. Mediol. coll. Ambros. scriptas cum Eusebio in praep. Evang. V. c. 12. De oraculo verumne an fictum tradatur, aliis diiudicandum relinquo; ceterum patrem Euripidis, quum et opibus et nobilitate generis floreret et de filio optime speraret, nil omisisse, quod ad animi corporisque dotes huius excolendas augendasque pertineret, multa testantur. Nam etiam pingendi arti nostrum operam dedisse tradunt, et tabulam quandam ab eo pictam Megaris servatam esse *). Haec doctrinae varietas respici videtur epigrammate, quod fertur aut Thucydidis historici aut Timothei musici esse:

Μνᾶμα μὲν Ἑλλὰς ἅπασ' Εὐριπίδου· ὀστέα δ' ἴσχει
γῆ Μακεδών· ᾗ γὰρ δέξατο τέρμα βίου·
πατρὶς δ' Ἑλλάδος Ἑλλάς, Ἀθῆναι· πλεῖστα δὲ Μούσας
τέρψας, ἐκ πολλῶν καὶ τὸν ἔπαινον ἔχει.

Documentum nobilitatis generis affert Athenaeus X. p. 424. E. haecce narrando: „Pocillatores apud antiquos fuerunt nobilissimi iuvenes, ut Menelai filius: *ᾠνοχόει δ' υἱὸς Μενελάου κυδαλίμοιο.* Itaque etiam Euripides poeta inter pueros vinum ministravit. Nam Theophrastus in libro, quem de ebrietate composuit, Equidem, inquit, audio etiam Euripidem poetam

---

*) Vide vitas a Thoma M., Moschopulo, Suida et in cod. Mediol. scriptas.

pocula ministrasse Athenis iis, quos saltatores (ὀρχηστάς) appellant. Saltabant autem hi circa fanum Apollinis Delii primores civitatis, tragicis vestibus induti. Enimvero Apollo hic est, in cuius honorem Thargelia celebrantur, qua de re in Daphnephorio tribubus Atheniensium litterae asservantur publicae. Idem prodidit Hieronymus Rhodius, Aristotelis discipulus, in libro, quem scripsit de ebrietate."

Quum propter hanc parentum fortunam non minus, quam propter suas virtutes, ad amplissimos honores aditus pateret Euripidi, noluit in civitate turbarum ac timoris plena ambitioni servire et fluctibus se civilibus committere. Audiamus ipsum cogitata sua adolescentis prodentem hisce verbis: „Si ad principatum enitar atque aliquis esse contendam, odio habebor a tenuioribus: odiosi enim sunt potentiores. Qui autem, quum sint virtute et prudentia ad res gerendas instructi, quiescunt neque ad rempublicam administrandam accedunt, his ridiculus esse stultusque videbor, qui non quiescam in civitate plena timoris. Tum si ad dignitatem virorum principum et reipublicae gubernacula tenentium ascendam, magis observabor horum iudiciis: sic enim res comparatae sunt, ut, qui tenent magistratus atque honores, aemulis suis sint infestissimi." His, quae Ionem (v. 609—620.) fecit dicentem, sui animi sensum apertissime expressisse videtur; et omnino personam Ionis ad suae vitae similitudinem effinxit. In templo enim Apollinis, qui in Zostere promontorio colebatur, munere igniferi ipse fungebatur, qui ignem servaret sacrum *). In illis locis eum praedium habuisse suspicor et delectatum esse delubro, unde prospectus pateret in mare. Hunc igitur honorem Anagyrasii ei detulisse videntur. Amplissimo vero honore Athenienses eum dignati sunt, quum victum ei quotidianum in prytaneo publice praeberent, teste Eusebio l. l., qui mentione facta oraculi ab Apolline editi: „Nascetur tibi filius, Mnesarchides, optimus et gloriosus," „Qua vero, inquit, virtute Euripidem, a Socratica philosophia improbatum, dii admirati sint, nescio, nisi coronas ac

---

*) Vita in cod. Mediol. coll. Ambros.: γενέσθαι δὲ αὐτὸν καὶ πυρφόρον τοῦ Ζωστηρίου Ἀπόλλωνος.

plaudentia theatra soleant admirari. An quia publice in arce Atheniensium coenaret? an quia Macedonum populi eum laudabant, coelo dignum iudicasti?" Inde, quantopere carmina eius praestantissimis quibusque civium probati sint, verius rectiusque, quam ex certaminum victoriis, a multitudinis arbitrio pendentibus, aestimari potest. Verum quod rempublicam nulla ex parte attingens vitam perpetuo otiosam degeret, saepe ab amicis reprehensus est, id quod ex Antiopae fabula intelligitur, in qua manifesto fecit Amphionem caussam pro semet ipso dicentem. Huius enim oratio tum universa talis est, quali Euripides uti potuisset, tum haec verba vitae eius instituto optime convenire videntur:

ὅςτις δὲ πράσσει πολλά, μὴ πράσσειν παρόν,
μῶρος, παρὸν ζῆν ἡδέως ἀπράγμονα κτλ.
ἐγὼ μὲν οὖν ᾄδοιμι καὶ λέγοιμί τι
σοφόν, ταράσσων μηδὲν ὧν πόλις νοσεῖ.

Musis non vitam tantum, sed rem quoque familiarem consecravit: collegit enim librorum copiam tantam, quantam neque antea quisquam privatus possederat neque postea possedit praeter Aristotelem (Athen. I. p. 3. A.). Sed quum vacuus ambitione honores magistratusque nullos peteret, nihil non curabat rerum, quae in republica gerebantur, neque levissime movebatur patriae casibus, ut ii ipsi, qui fluctibus iactarentur civilibus, non potuerint vehementius quam ille, qui procul spectaret, vel rebus secundis gaudere vel dolere adversis. Quamobrem quum studio iraque minime vacuus esset, quum careret animi aequitate, qua in partium populorumque studiis pensandis veritas cognoscitur, quum ad dirigendam civium voluntatem, ad excitandum vel restinguendum animorum ardorem aptiora, quam ad otiosam veri pulcrique cognitionem carmina componere vellet, quum ad similitudinem rerum, quae in republica gerebantur, cupidius famam antiquitatis deflecteret, nata sunt illa, quae a lentioribus languidioribusque hominibus in vitiis ponuntur: cuius generis est odium Spartanorum male celatum, et Menelai Helenaeque personae in similitudinem detorsae hominum Lacedaemoniorum, Asiaticam luxuriam ex domestica frugalitate adamantium et ho-

nestatem libidinibus postponentium, et fabulae plures in praedicandis Atheniensium laudibus, arguenda hostium improbitate atque arrogantia positae, et multae passim tum voces studiis civium opportunae tum res temporum caussa effictae. In his quidam adulationem inesse iniuria criminati sunt: fugit enim eos etiam castigatos saepe ab eodem poeta cives et peccatorum vitiorumque admonitos esse. Principum quorundam civitatis virorum amicitia usus esse videtur, imprimis Periclis atque Alcibiadis. De huius amicitia postmodo exponendi erit facultas. Pericles non potuit negligere virum moribus ingenioque sibi simillimum et qui paullo post, quam ipse rempublicam capessiverat, fabulas docere coepisset. Et consiliorum, quae ad reipublicae administrationem pertinerent, societate Euripidem cum Pericle coniunctum fuisse manifestum est. Nam quidquid ille in tragoedia novavit, quidquid docuit cives, quidquid voluit atque secutus est, ad erudiendum vulgus et in eum gradum doctrinae evehendum, quem in administranda republica plebes occupaverat, ad efferenda philosophorum secreta, ad cogitata doctorum cum humillimis communicanda pertinet. Primus ille templum philosophiae multitudini patefecit, primus doctrinam ex umbra in solem et pulverem, primus ex circulis disputantium in frequentiam theatrorum protulit. Id autem vere populare est. Quid futurum fuisset, si nullas Euripides fabulas docuisset, quis potest dicere? Verum maximam horum carminum vim fuisse et res ostendit et Aristophanes testatur. Non effecit neque auxit popularis imperii licentiam neque Euripides neque Pericles, sed natam plebis potentiam dirigere, confirmare, perpolire, in honesta, pulcra, recta, salutaria convertere studuit uterque. Apparet autem ex rerum gestarum serie continua, quanto magis multitudo eruditionis, tanto magis eandem iuris libertatisque participem factam esse. Utriusque enim rei incrementa inter se coniuncta fuerunt atque ex se invicem pependerunt. Itaque quo tempore certa liberiorum rerum publicarum fundamenta scribendis legibus temperandisque iuribus poni coeperunt, eodem tempore illi septem sapientes floruerunt, qui hoc nomine praediti sunt non ideo, quod praeter cae-

teros rerum abditarum investigatione et multiplicium rerum cognitione eminerent, sed quod primi doctrinam in usum vitae communis translatam cum vulgo communicarunt. Singula poeseos genera et singulas disciplinas cum certis rerum publicarum formis una natas, una et auctas et imminutas esse pridem intellectum est. Et dicendi quidem facultas atque dramatica poesis populari potentiae respondent. Itaque primus Pericles, cuius aetate illa reipublicae forma consummata et quasi ad culmen perducta est, dicendi facultate, non rei militaris gloria, ut priores, principatum et adeptus est et felicius, quam illi, usque ad obitum retinuit. Eidem eloquentiae plurimum tribuit Euripides. Areopagum, optimatium propugnaculum, sustulit Pericles: heroum autem antiquorum personas in sapientium recentiorum mores conformando Euripides quid aliud, quam in locum nobilium ignobiles substituisse et generis gloriam cum sapientiae honestatisque laude permutasse videtur? Idem regum priscorum conditionem mentesque saepissime in similitudinem oratorum vel demagogorum deflexit. Multa passim in gratiam potentiae popularis dixit, neque dubitavit regum imperium iniustum ac contra naturam esse affirmare in Antigonae fabula:

οὔτ' εἰκὸς ἄρχειν οὔτ' ἐχρῆν εἶναι νόμον,
τύραννον εἶναι (μωρία τὸ καὶ θέλειν),
ὃς τῶν ὁμοίων βούλεται κρατεῖν μόνος.

Ad quae fingenda Euripides nulla ambitione ducebatur, neque Pericles, quum pecunia ex aerario distributa facultatem theatrum frequentandi civibus omnibus fieri iuberet, hoc aliam ob caussam fecit, quam quod tragoediis populum optime erudiri intelligeret.

Insigne animi civilis documentum est fabula Heraclidarum, quae videtur nullo alio tempore aptius potuisse doceri, quam quo primum Peloponnesii duce Archidamo Atticam hostiliter invasuri vastaturique erant *). Ad initium enim belli a Peloponnesiis illati, ad arrogantiam Spartanorum, qua belli caussam quaerentes Atheniensibus, tanquam

---

*) Cf. Welck. p. 711.

subditis, imperare conati sunt*), ad invasionem vastationemque terrae maioribus regum Spartanorum sacrae, et universum drama et singulae eius partes spectare videntur. Piacula, antequam arma sumerentur, alteri populo ab altero exprobrata esse constat. Id in hoc quoque dramate dedita opera fieri videmus. Enixe noster cives suos crimine interfecti ab iis legati purgat (v. 292—296.), quo crimine illos vulgo argui solitos esse Philostratus in vit. Soph. I. p. 550. testatur **). Neque minus studiose idem Eurysthei caedem a civibus ad Heraclidas transfert: quin etiam defensum et beneficio sepulturae affectum esse regem ab Atheniensibus fingit, et facit eum promittentem infestos fore manes suos posteris Heraclidarum, si quando Atticam hostiliter invaserint. Heraclidas autem ipsos Iolaus dextris iunctis fidem dare hospitibus iubet, perpetuo se beneficii memores fore, et pro servatoribus amicisque eos habituros, neque unquam in terram eorum arma infesta laturos esse (v. 310 seqq.). Eiusdem generis est, quod Herculem ipsum Minervae, cui et terra et populus Atheniensium consecratus est, opera ex omnibus periculis servatum esse, quodque divinitatem eius ab Atticis primis et agnitam et publice honoribus affectam esse ostenditur v. 856 seqq.; cf. Diodor. Sic. IV, 39. Denique pietas Atheniensium pluribus locis laudatur (velut v. 329 seqq.) et enixe refutantur qui contrarium affirment: ὁ δὲ μή σε φάσκων ἐγγὺς μανιῶν ἐλαύνει (v. 903.). Invitis diis omnibus praeter Iunonem in fines Atticorum incurrunt Spartani et populantur agros (v. 282.), sperantes deam oraculis superiorem fore (v. 1039.), Atticis Minervae numine confidentibus (νικωμένη γὰρ Παλλὰς οὐκ ἀνέξεται, v. 353.) et semel iam Spartam huius et Herculis viribus expugnatam esse (v. 742.) reminiscentibus.

Eiusdem tetralogiae, atque Heraclidas, Peleum Aegeumque fuisse coniicio ideo, quod ante Acharnenses Aristophanis utrumque drama in scenam delatum esse video, neque reliquis illorum temporum tetralogiis commodius, quam huic,

*) Thucyd. I, 126. 139.

**) Cf. Pflugk. praefat. p. 7.

tribui posse videntur. Et Pelei quidem fabulam in dramate, quod dixi, nominatim ridet Aristophanes. Ex Aegeo autem depromsit illud ὦ θερμόβουλον σπλάγχνον, quod in ὦ θερμόβουλον πρωκτόν mutavit. Neque enim haec de Medea dicta in Euripidis fabulis praeter Aegeum et Medeam locum habere potuerunt; atqui ab hoc dramate illa abesse apparet: relinquitur igitur, ut in Aegeo posita fuerint. Quin etiam Euripides ipse ad Aegeum in Medea respexisse videtur: certe enim nihil in hoc dramate scripsit, quod non cum illius argumento congrueret: unde Aegeum Medea priorem fuisse haud iniuria colligas. His accedit tertium argumentum, propter quod Aegeum numero antiquissimorum Euripidis dramatum fuisse suspicor. Finxerat enim poeta, si Plutarchi verbis imitationem Euripidis inesse recte coniicio, Theseum gloria Herculis ad studium virtutis erectum: unde Themistoclis exemplum talia fingenti ante oculos versatum esse, qui Miltiadis tropaeo e somno excitaretur, neque multo post viri gloriosissimi obitum hoc drama scriptum esse coniicias.

Quartum denique drama satyricum Eurystheum adiungo.

A. Peleus.

In primis celebrem hanc tragoediam fuisse ex Horatii commemoratione Aristophanisque depravatione quadam intelligimus. Fragmenta tamen paucissima servantur et ex quibus ipsis nihil de structura eius cognosci possit. Felici autem casu accidit, ut illam Dictys Cretensis (VI, 7 seqq.) imitatus sit, cuius narrationi, exceptis levibus quibusdam additamentis, quin ipsum dramatis Euripidei argumentum insit, non sinit dubitare natura eius. Quamobrem statim initium illius cum lectoribus communicabo: „Dum haec apud Ithacam aguntur, Neoptolemus apud Molossos naves quassatas tempestatibus reficit, atque inde, postquam cognitum, ab Acasto expulsum regno Pelea, ultum ire iniurias avi cupiens, primo exploratum duos quam fidissimos et incognitos illis locis, Chrysippum et Aratum, Thessa-

liam mittit, hique cuncta, quae gerebantur, insidiasque ei paratas per Acastum ab Assandro, non alieno Pelei, cognoscunt. Is namque Assandrus, iniquitatem tyranni evitans, ad agrum Pelei concesserat. Itaque ubi cuncta, quae voluerant, cognovere, ad regem redeunt et singula per ordinem narrant. Ob quae coactus Neoptolemus, adverso mari et multis regionis eius prohibentibus, classem exornat ascenditque ipse. Dein saevitia hiemis mari fatigatus appulsusque ad Sepiadum littus, quod propter saxorum difficultatem nomen eiusmodi quaesierat, omnes fere naves amittit, vix ipse cum his, qui in eodem navigio fuerant, liberatus. Ibi Pelea avum reperit" etc.

Locus igitur, in quo res agebantur, erat littus Sepiadum, quod erat Phthiae propinquum in Molossorum terra situm *), et prodiit primus Neoptolemus naufragi habitu, de reditu ex Troia, de tempestate naufragioque, de iis, quae nuper ab Assandro nuntiata accepit, deque iis omnibus rebus, quas Dictys refert, exponens. Sola enim nomina Chrysippi Aratique de suo ille addidisse, in reliquis Euripidis vestigia fidissime secutus esse videtur. Prodisse deinde ex spelunca Peleum verisimile est. De cuius commoratione in his locis haec tradidit Dictys: „Ibi Pelea avum reperit, occultatum spelunca abdita et tenebricosa, ubi senex, vim atque insidias Acasti evitans, assidue nepotis desiderio navigantes et si qui forte eo appulsi essent speculari consuerat." Hanc speluncam colloquio descriptam fuisse putandum est: receptum enim ac perfugium sibi sociisque quaerebat Neoptolemus. Genus suum nomenque et Peleo et Neoptolemo propter Acasti insidias celantibus, neuter alterum agnoscebat. Invitatus in speluncam cum Peleo se confert iuvenis. Interim socii huius, vecti eo navigio, quod solum ex naufragio servatum est, dominum subsequuntur et in scenam prodeunt parodum cantantes.

*) Schol. Apoll. I, 582: *Σηπιὰς ἀκρωτήριον Μαγνησίας οὕτω κληθέν, ὅτι ἡ Θέτις ἐκεῖ εἰς σηπίαν μετεμορφώθη διωκομένη ὑπὸ τοῦ Πηλέως.* Cf. Dederichi annot. ad Dict. VI, 7. Eurip. Androm. 1265.

His enim pro choro uti Euripidem necesse fuit. Carmine finito e spelunca redeunt Neoptolemus atque Peleus, et ex signis quibusdam, sive quod intus ab illo vestes telaque Pelei nota conspecta sunt sive quod mentio aliqua est rerum propriarum iniecta, se invicem agnoscunt. Pelei gestientem laetitiam exprimunt verba, quae Aristophanes, teste scholiasta, in Nubibus (v. 1153 seqq.) imitatus est:

ἰὼ βοαῖσιν ἤπυσ' ἐντόνοις *).

Plura praeter hunc versum ex Euripide sumta esse recte indicarunt Matthiaeus atque Bothius, velut haecce:

οἷος ἐμοὶ στρέφεται παῖς, πρόβολος ἐμός,
σωτὴρ δόμοις, ἐχθροῖς βλάβη.

Deinde secuta sunt ea, quae his verbis Dictys commemorat: „Dein ubi cuncta domus fortunarumque edoctus est, consilium aggrediendi hostes inire coepit." Huius colloquii fragmenta quaedam servantur satis luculenta. Miranti enim Neoptolemo, quod nemo civium auxilium tulerit, haec respondet Peleus:

*τύμβῳ γὰρ οὐδεὶς πιστὸς ἀνθρώπων φίλος***).

Deinde ad describendam fugae miseriam transit hisce verbis:

. . *τὰ δ' ἔνθεν οὐκέτ' ἂν φράσαι λόγῳ*
δακρύων δυναίμην χωρὶς . . .
— — — — — —
πλάνης, ἄοικος, πατρίδος ἐστερημένος,
πτωχός, δυςείμων, βίον ἔχων ἐφήμερον ***).

His auditis Neoptolemus Parcas iniuriarum ultrices implorat:

κλύετ', ὦ Μοῖραι, Διὸς αἵτε παρὰ
θρόνον ἀγχόταται θεῶν ἑζόμεναι.

Ex eodem colloquio petitum esse videtur fragm. 4:

τὸν ὄλβον οὐδὲν οὐδαμοῦ κρίνω βροτοῖς,
ὅν γ' ἐξαλείφει ῥᾷον ἢ γράφει θεός.

---

*) Schol. ad Aristophanis verba *βοάσομαι τἄρα τὰν ὑπέρτονον* haecce scripsit: *παρὰ τὰ ἐκ Πηλέως Εὐριπίδου· ἐπιφέρει γάρ· ἰὼ πύλαισιν ἤτις ἐν δόμοις*, quae corrupta esse res ipsa et verborum contextus docet. Aristophanis vestigiis insistens emendavi.

**) Fragm. inc. n. 84.

***) Fragm. dub. 38. p. 448. Matth.

Tum de puniendis hostibus deliberant, quo in negotio calidiora Neoptolemi consilia a Peleo improbantur:

τὸ γῆρας, ὦ παῖ, τῶν νεωτέρων φρενῶν
σοφώτερον πέφυκε κἀσφαλέστερον,
ἐμπειρία τε τῆς ἀπειρίας κρατεῖ.

Placet igitur, ut tempus occasionemque exspectent, neque ad aggrediendos hostes statim proficiscantur. Mutatis igitur vestibus, ne agnoscatur, Neoptolemus cum Peleo in antro degere victumque ex venatione quaerere constituit. His compositis in speluncam redeunt, et interponitur chori carmen alterum.

Pergit in rerum serie exponenda Dictys hisce verbis: „Consilium aggrediendi hostis inire coepit, quum forte cognoscit filios Acasti, Menalippum et Plisthenem, venatum profectos, devenisse ad ea loca. Itaque mutata veste Iolcium simulans iuvenibus offert sese, eisque cupitum sui interitum refert. Ob quae iunctus his in venando, ubi seorsum ab ceteris Menalippum videt, eum(que) et paullo post fratrem eius insecutus interficit."

Finito chori carmine Neoptolemum mutata veste, ut Iolcius esse videretur, prodiisse statuimus. Qui quum, Peleo somno quiescente, venatum exire vellet, accidit, ut regis filii, quum forte in iisdem locis venarentur, conspectis nautis naufragis, ad hos accederent cognoscendi cupidi, quinam essent ipsi et quaenam sors Neoptolemi, quem modo a Molossorum terra, refectis navibus, in altum evectum esse fando accepissent. His Iolcius ille simulatus in littore eiectum corpus Neoptolemi inventum a se humatumque esse narrat, simul tempestatis vim naviumque quassatarum interitum, quem procul ex littore a se conspectum esse fingit, tanta veritate repraesentans, quanta poterat is, qui praesens interfuisset. His expositis, quum se id cummaxime agere dixisset, ut victu miseros naufragos adiuvaret, eamque ob caussam venatum ire, ad communiter secum venandum ab adolescentibus invitatur et cum his e conspectu abit, antea tamen, paullulum subsistens, de consilio suo theatrum edocet.

Interponitur tertium chori carmen. Quo finito, statim Neoptolemus, re feliciter gesta interfectisque regis fi-

liis, ad speluncam rediit ac de caede hostium ipse exposuit. Tum rursus accidit, ut servus regis, dominos quaerens, ad hospites adiret et colloquium cum Neoptolemo consereret. Qua de re haec Dictys retulit: „In quorum inquisitionem servus quidam, Cinyras nomine, perquam fidus, profectus, in manus iuvenis devenit comprehensusque Acastum affore nuntiat, atque ita occiditur." Nimirum redisse Neoptolemum et ad terram Iolcorum appulisse cognitum fuerat regi filiisque eius; utrum autem interisset tempestate, qua classem eius fractam mersamque esse audiverant, an servatus esset in navi, quam solam superesse fama nuntiaverat, ignorabant. Ad quam rem explorandam primum filii regis emissi sunt: qui quidem, in manus Neoptolemi delati, ea ratione, qua diximus, occisi sunt. Quum non redissent, ad hos quidem quaerendos missus est servus, ad explorandos autem hostes rex ipse profectus est. Exstant fragmenta, quae hanc viri celeberrimi indagationem declarent:

φήμη τὸν ἐσθλὸν κἀν μυχῷ δείκνυσι γῆς *).

— — — — — —

οὐκ ἔστιν ἀνθρώποισι τοιοῦτο σκότος,
οὐ δῶμα γαίας κλειστόν, ἔνθα τὴν φύσιν
ὁ δυςγενὴς κρύψας ἂν εἴη μὴ σαφής **).

Servus, qui dominos quaerebat, ad ipsa illorum cadavera ductus et super ea occisus esse videtur. Sed antea Neoptolemus dolose quaerendo et callide dissimulando de consilio tyranni deque loco, in quo cummaxime commoraretur, quaecunque volebat comperit. Reversus idem ex loco, in quo regis filios cum servo interfecerat, in navem rediit, ut sumta veste Phrygia obviam Acasto proficisceretur, hunc quoque in speluncam atque ad interitum adducturus. Qua de re Dictys haecce scripsit: „Itaque Neoptolemus, mutata Phrygia veste, tanquam filius Priami Mestor, qui captivus cum Pyrrho ad ea loca navigaverat, Acasto obviam venit, eique, quinam esset, indicat et Neo-

---

*) Fragm. inc. 227.

**) Vulgo: *κρύψας ἂν εἴη σοφός.* In primo versu si *οὐδ'* pro *οὐκ* scribatur, coniungi haec cum priore fragmento commode poterunt.

ptolemum in spelunca, fatigatum navigio somnoque, iacere. Ob quae anxius Acastus, opprimere quam inimicissimum cupiens, ad speluncam pergit, atque in ipso aditu a Thetide, quae ad ea loca inquisitum Pelea venerat, re cognita reprimitur."

Profecto Neoptolemo chori carmen interpositum est; hoc finito Acastum, ducente Mestore illo commentitio, ad antrum venisse ibique de interficiendo Neoptolemo, qui intus quiescere fingebatur, consilia inisse putandum est, hoc agente Neoptolemo, ut ingressum in specum a tergo adortus occideret: quod ne fieret, Thetis subito de coelo demissa intercessit; eadem patefacta rerum ratione cetera peregit, de quibus haec Dictys memoriae tradidit: „Dein cunctis, quae adversum domum Achillis inique et adversum fas gesserat, enumeratis increpatisque, ad postremum intercessu suo manibus iuvenis liberat, persuadens nepoti, ut ne sanguine ulterius ulcisci cuperet ea, quae antecesserant. Itaque Acastus, ubi se praeter spem liberatum animadvertit, sponte et illico cuncta regni Neoptolemo tradit. Inde iuvenis cum avo ac Thetide reliquisque, qui secum navigaverant, summam regni adeptus, in civitatem venit. Ibi a cunctis popularibus quique iuxta inhabitantes sub imperio eius agebant, benigne et cum gratulatione exceptus, amorem sui brevi confirmat." Peleum in beatorum sedes a Thetide abductum esse ex iis, quae statim expositurus sum, patet.

Ex his actionibus certorum fragmentorum nihil servatum est; ex incertis quaedam huc trahere non dubito, velut n. 102. Matth.:

νόμος τὸν ἐχθρὸν δρᾶν, ὅπου λάβῃς, κακῶς,

et fragm. dub. n. 4:

εἱμαρμένον δὲ τῶν κακῶν βουλευμάτων
κακὰς ἀμοιβάς ἐστι καρποῦσθαι βροτούς,

et fragm. 105:

σῶσαι γὰρ ὁπόταν τῷ θεῷ δοκῇ τινα,
πολλὴν δίδωσι πρόφασιν εἰς σωτηρίαν,

denique fragm. inc. 106., ab eodem scriptore servatum:

σπουδάζομεν δὲ πόλλ' ὑπ' ἐλπίδων μάτην,
πόνους ἔχοντες, οὐδὲν εἰδότες (βροτοί).

Idem argumentum, sed ratione plane dispari, Sophocles exornaverat; vide Welck. T. I. p. 205 seqq. Finxerat enim senem, a suis filiis regno pulsum, duce muliere quadam errantem, in Phthia forte a Neoptolemo inveniri vindicatumque de vita decedere. Huius drama a scholiasta Troadum ad v. 1118. respicitur hisce verbis: *ὁ μὲν Εὐριπίδης ὑπὸ Ἀκάστου φησὶν ἐκβεβλῆσθαι τὸν Πηλέα· εἰσὶ δὲ οἵ φασιν ὑπὸ τῶν δύο αὐτοῦ παίδων, Ἀρχάνδρου καὶ Ἀρχιτέλους, κατὰ τὸν καιρόν, ὃν ἔμελλον Ἕλληνες ἐξ Ἰλίου ἐπανιέναι, ἐξεληλάσθαι, καὶ ἐλθόντα εἰς ἀπάντησιν τῷ Νεοπτολέμῳ προςελθεῖν διὰ χειμῶνα τῇ Κῷ νήσῳ, καὶ ξενισθέντα ὑπὸ Μόλωνός τινος Ἄβαντος ἐκεῖ καταλύσασθαι τὸν βίον.* Uter poetarum alterum imitatus sit, non liquet. Augiam, cyclicum poetam, utrique materiam praebuisse ex Procli excerptis intelligitur; cf. Dederichi notam ad Dict. VI, 7. p. 493. Euripidis sine dubio drama respexit Horatius versibus illis (art. poet. 97.):

„*Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri*
Telephus et Peleus, cum pauper et exsul uterque
Proiicit ampullas et sesquipedalia verba."

Utriusque poetae opera dicere videtur Aristoteles Poet. c. 18, 2. pro moralis tragoediae exemplis Phthiotides et Peleum nominans *): nam Phthiotidas chorum Sophoclei dramatis fuisse docuit Welckerus. Euripides ad suum ipse opus respicit in Troad. v. 1118:

αὐτὸς δ' ἀνῆκται δεσπότης, κακάς τινας
Πηλέως ἀκούσας συμφοράς, ὥς νιν χθονὸς
Ἄκαστος ἐκβέβληκεν ὁ Πελίου γόνος.

Sepiadum speluncam Thetidi consecratam fuisse et Peleum, cum ibi commoraretur, huius deae beneficio in beatorum insulas inde transductum esse vulgus credebat, id quod ex Euripidis verbis intelligitur, quae fecit in Andromacha Thetidem dicentem:

ἐλθὼν παλαιᾶς χοιράδος κοῖλον μυχὸν

---

*) Ἡ δὲ ἠθική, οἷον Φθιώτιδες καὶ ὁ Πηλεύς.

Σηπιάδος ἴζου, μίμνε δ', ἔςτ' ἂν ἐξ ἁλὸς
λαβοῦσα πεντήκοντα Νηρήδων χορὸν
ἔλθω κομιστήν σου.

B. Aegeus.

Fabulae lineamenta agnoscere mihi videor in iis, quae in Thesei vita c. 12. Plutarchus tradit. Eandem rem et Crates apud schol. Il. XI, 741. refert et concise Apollodorus I, 9, 28. commemorat et Ovid. Metamorph. libro VII. (v. 498 seqq.) inseruit. Frustula huius dramatis servantur pauca atque exigua.

In prologo illa de Thesei natalibus exposita fuisse necesse est, quae et Plutarchus et Apollodorus congruentia referunt. Narrantur autem ab iis haecce: „Aegeus ex oraculo rediens, cum de liberorum progenie deum consuluisset, Troezenen venit, ubi a Pittheo hospitio exceptus cum filia eius concubuit, eademque nocte mulierem Neptunus compressit. Abiens Aegeus Aethrae praecepit, ut, si natus esset masculus, educaret neve, cuius filius esset, indicaret; ensem et calceos sub saxo abditos reliquit iussitque, quum per aetatem puer saxum submovere posset, illum sublatis his signis clam ad se mitti. Quum igitur adultus esset Theseus, iubente matre sumsit signa, quae Aegeus praedixerat, et pedestri itinere Athenas contendit obsessamque a maleficis hominibus viam purgavit Periphetem, Sinim, Pityocampten, Scironem, Cercyonem Procrustenque interficiendo. Interim Aegeus Medeam e Corintho profugam in matrimonium duxerat veneficam et filium ex eo Medum procreaverat. Quamobrem Theseus, insidias timens novercae, celare genus nomenque constituit" *). Haec quominus a Theseo ipso exposita esse statuamus, nil prohibet, et confirmatur coniectura fragmento decimo, quo caussa celandi nominis declaratur:

---

*) Ovidius VII, 404:

Iamque aderat Theseus, proles ignara parenti,
Qui virtute sua bimarem pacaverat Isthmon.

πέφυκε γάρ πως παισὶ πολέμιον γυνὴ
τοῖς πρόσθεν ἡ ξυγεῖσα δευτέρα πόσει.

In certaminum autem commemoratione locum habere potuit quod Steph. Byz. s. v. *ἄντρον* tradidit vocabulum *ἀντραῖος* (*εὕρηται δὲ καὶ ἀντραῖος, ὡς Εὐριπίδης ἐν Αἴξί*).

His dictis chorum conspicit feminarum sive famularum Medeae ex aedibus prodeuntium, ex quibus de rege, quem conventurus est, quaerit. Vicissim feminae ipsae cupidae sunt cognoscendi, quanam patria quibusque parentibus ortus sit iuvenis praestantissimus:

τί σε μάτηρ ἐν δεκάτᾳ
τόκον ὠνόμαζεν;

Cuiusnam rei caussa feminae prodierint et quamnam potissimum rem parodo cantaverint, ignoratur. Neque tamen dubito, quin vel institutorum vel festorum certa sollemnia sic celebraverint, ut praedicatione rerum familiarium Athenienses delectarentur.

Prodit rex salutatum iuvenem, qui quum tot tantisque certaminibus sustentatis omnium iam oculos in se convertisset, tamen ex quanam patria oriundus, quibus parentibus natus, quo nomine praeditus esset, ignorabatur:

ποίαν σε φῶμεν γαῖαν ἐκλελοιπότα
πόλει ξενοῦσθαι τῇδε; τίς πάτρας ὅρος;
τίς ἔσθ' ὁ φύσας; τοῦ κεκήρυξαι πατρός;

Ficta Theseus respondet quaerenti falsaque veris scite miscendo fidem facit dictis *). Patriam sibi Atticam esse, sed parentes, quod sit parvulus a matre expositus et ab alienis educatus, ignorari. Velle se operam suam viresque ad augendam patriam liberandosque a malis atque terroribus mortales conferre:

τί γὰρ πατρῴας ἀνδρὶ φίλτερον χθονός;

velle exemplo Herculis ferendis laboribus, tollendis hominum belluarumque monstris, salutem unus plurimis parando ad gloriam atque immortalitatem eniti. Cf. Plutarch. c. 6. p. 3: *τὸν δὲ πάλαι μέν, ὡς ἔοικε, λεληθότως δι-*

---

*) Panacti civitatis in hac narratione mentionem factam esse ex Harpocr. s. v. verbis (*ὡς καὶ Εὐριπίδης ἐν Αἰγεῖ μνημονεύει*) coniecit Welckerus.

ἔκαιεν ἡ δόξα τῆς Ἡρακλέους ἀρετῆς καὶ πλεῖστον ἐκείνου λόγον εἶχε καὶ προθυμότατος ἀκροατὴς ἐγίνετο τῶν διηγουμένων ἐκεῖνον, οἷος εἴη, μάλιστα δὲ τῶν αὐτὸν ἑωρακότων καὶ πράττοντι καὶ λέγοντι προςτετυχηκότων. Τότε δὲ παντάπασιν ἦν φανερὸς πεπονθὼς ὅπερ ὕστερον χρόνοις πολλοῖς Θεμιστοκλῆς ἔπαθε, καὶ εἶπεν, ὡς καθεύδειν αὐτὸν οὐκ ἐῴη τὸ Μιλτιάδου τρόπαιον. Οὕτως ἐκείνῳ τοῦ Ἡρακλέους θαυμάζοντι τὴν ἀρετὴν καὶ νύκτωρ ὄνειρος ἦσαν αἱ πράξεις καὶ μεθ' ἡμέραν ἐξῆγεν αὐτὸν ὁ ζῆλος καὶ ἀνηρέθιζε ταὐτὰ πράττειν διανοούμενον. Eundem Euripidem auctorem secutus Lucianus in Cynico Theseum Herculis discipulum appellavit: ὁ δὲ Θησεύς, ὁ τούτου μαθητής, οὐ βασιλεὺς μὲν ἦν Ἀθηναίων, υἱὸς δὲ Ποσειδῶνος, ὥς φασιν, ἄριστος δὲ τῶν καθ' αὐτόν; quae ex illius fabula hausta esse dramatis reliquiae ostendunt. Quemadmodum enim Hercules Eurystheo servierat, sic Theseus in Aegei servitutem se ultro tradere et quidquid hic iniunxerit laborum, quidquid adire iusserit periculorum, lubenter alacriterque subire constituit:

ἀνδρὸς δ' ὑπ' ἐσθλοῦ καὶ τυραννεῖσθαι καλόν.
— — — — — —
σὺν τοῖσι δεινοῖς αὔξεται κλέος βροτοῖς *).
— — — κατθανεῖν δ' ὀφείλεται
καὶ τῷ κατ' οἴκους ἐκτὸς ἡμένῳ κακῶν.

Eodem refero versus, quibus Lucianus in muscae encomio usus est:

δεινόν γε τὴν μὲν μυῖαν ἀλκίμῳ σθένει
πηδᾶν ἐπ' ἀνδρῶν σώμαθ', ὡς πλησθῇ φόνου,
ἄνδρας δ' ὁπλίτας πολέμιον ταρβεῖν δόρυ **).

Admiratus Aegeus hanc adolescentis orationem monet, ne spe elatus et virium robore nimium confisus in pericula temere se praecipitet. Solere enim qui talia cupidius sectentur perniciem et mortem praematuram pro gloria atque potentia adipisci. Quod si ad tale vitae genus eligendum fato se cogi arbitretur, quod parentibus, civitate,

*) Fragm. inc. 46.

**) Homerum imitans haec effatus est poeta; cf. Il. ρ, 570—573.

opibus, nobilitate generis carens virtute iniuriam fortunae compensandam esse censeat, videndum, ne vana laudis cupiditate vehementius incitetur:

πτηνὰς διώκεις, ὦ τέκνον, τὰς ἐλπίδας,
οὐχ ἡ τύχη σε· τῆς τύχης δ' οὐχ εἷς τρόπος.

Ceterum laetus lubensque optimae spei adolescentem recipit senex decrepitus, cuius regno inimici, quod prole genuina destitutum vident (nam Medus matre peregrina natus pro spurio habetur), dudum insidientur. Testatur Plutarchus c. 3: *ἰσχυρῶς γὰρ ἐδεδοίκει τοὺς Παλλαντίδας ἐπιβουλεύοντας αὐτῷ καὶ διὰ τὴν ἀπαιδίαν καταφρονοῦντας· ἦσαν δὲ πεντήκοντα παῖδες ἐκ Πάλλαντος γεγονότες*, et confirmatur verbis Euripidis:

κρεῖσσον δὲ πλούτου καὶ βαθυσπόρου χθονὸς
ἀνδρῶν δικαίων κἀγαθῶν ὁμιλίαι *).

Chori carmen, quod huic erat colloquio subiunctum, iisdem sententiis immorabatur:

ἦ που κρεῖσσον τῆς εὐγενίας
τὸ καλῶς πράσσειν.
— — — —
ἔσται καὶ πταίσαντ' ἀρετὰν
ἀποδείξασθαι θανάτῳ.

Prodit Medea, de recepto hospite vehementer sollicita. Neque enim fugit eam, sive divinatione consecuta est sive per clandestinum nuntium edocta, Theseum Aegei filium esse **). Timet et sibi et filio: regno hunc certissime privatum iri, si Theseus agnoscatur, intelligit, atque etiamsi nomen genusque eius perpetuo ignoretur, ipsa consuetudine iuvenem virtutibus praestantem tantum sibi Aegei amorem conciliaturum esse, ut paene filii legitimi iura caritatemque adipiscatur, praevidet:

— τὸ θρέψαι δ' ἐν βροτοῖσι πολλάκις
πλείω πορίζει φίλτρα τοῦ φῦσαι τέκνα.

Itaque primum proprio Marte hospitem molestum domo et penatibus pellere conatur statimque obviam venientem ag-

*) Orion ap. Schneidew. coni. critt. p. 48. Welck. p. 1598.

**) Plutarchus c. 12: *προαισθομένη περὶ τοῦ Θησέως αὕτη, τοῦ μὲν Αἰγέως ἀγνοοῦντος.*

greditur, planum, erronem, vaniloquum appellat, pugilum more solis corporis viribus alendis studentem, voracitati atque desidiae deditum, hospitum liberalitate ad explendum avarum ventrem abuti criminatur —

τἀλλότρια δειπνεῖν τὸν καλῶς εὐδαίμονα *) —

sperans fore, ut huiusmodi contumeliarum conviciorumque impatiens abire malit, quam hospitalibus beneficiis cum matrisfamilias invidia atque iracundia frui. At Theseus, et natura acer importunusque et meliore iure se, quam Medeam, bonis et patrimonio Aegei frui intelligens, gravissimis iustissimisque opprobriis mulierem virilia sibi arrogantem comprimit:

ἔνδον γυναικῶν καὶ παρ' οἰκέταις λόγος **)
— — — — — —
δειλῶν γυναῖκες δεσποτῶν θρασύστομοι.
— — — — — —
εἰ μὴ καθέξεις γλῶσσαν, ἔσται σοι κακά.

Hac ratione probe castigatam relinquit, nolens diutius cum femina altercari. Tum vero Medea, et utilitatis ratione et iracundia iubente, continuo perdendi eius consilium init. Ostendit igitur Aegeo (paullo post Theseum in scenam prodeunti), quanto cum periculo iuvenem non minus egenum quam strenuum et propter hanc rem ad quidvis audendum pronum in domum civitatemque receperit, cum ipse sit senectute provectior, civitas autem factionibus distrahatur, et regnum tanquam praeda propositum sit audacissimo cuique; cf. Plutarch. c. 12: τοῦ μὲν Αἰγέως ἀγνοοῦντος, ὄντος δὲ πρεσβυτέρου καὶ φοβουμένου πάντα διὰ τὴν στάσιν, ἔπεισεν αὐτὸν ὡς ξένον ἑστιῶντα φαρμάκοις ἀνελεῖν. Haec serviunt interpretandis hisce Euripidis verbis:

ἀνὴρ γὰρ ὅςτις χρημάτων μὲν ἐνδεής,
δρᾶσαι δὲ χειρὶ δυνατός, οὐκ ἀνέξεται,
τὰ τῶν δ' ἐχόντων χρήμαθ' ἁρπάζειν φιλεῖ ***).

His igitur argumentis seni, se desolatum, liberis legitimis

---

*) Fragm. inc. 222.
**) Fragm. inc. 219.
***) Matthiaeus fragm. Eurip. p. 359. et p. 7.

carentem, periculis circumventum esse videnti, persuadet, ut hospitem, quem semel receptum iam dimittere atque e civitate removere, quin spretus iniuriam ulciscatur, nequeat, veneno interficere constituat. Hac fraude composita intro abeunt ad ornandum prandium cum vino veneato, ad quod Theseum Aegeus invitaturus est *).

Locus fit tertio chori carmini. Redit in scenam Theseus: qui quum antea, ne infestam haberet novercam, genus suum celandum esse censuisset, iam Medea ultro irascente, non solum inutilem, sed periculosam quoque dissimulationem fore intelligit. Itaque opportunitate data patri, quis sit, aperire constituit. Haec animo volventem Medea ex aedibus parato prandio rediens convenit, et conspecto adolescente poenitentiam simulans iracundiae ad cibos paratos communiter cum Aegeo sumendos blande eum invitat. Ingresso in aedes Theseo, de successu fraudis praepropere sibi gratulatur. Mox unus ex famulis ex domo prodiens agnitum ab Aegeo filium esse et Medeae supplicium imminere nuntiat. Rem, quomodo evenerit, Ovidius atque Plutarchus docent, quorum ille v. 419:

„*Ea coniugis astu*
Ipse parens Aegeus nato porrexit, ut hosti.
Sumserat ignara Theseus data pocula dextra,
Quum pater in capulo gladii cognovit eburno
Signa sui generis, facinusque excussit ab ore."

Plutarchi autem verba haec sunt: *ἐλθὼν οὖν ὁ Θησεὺς ἐπὶ τὸ ἄριστον, οὐκ ἐδοκίμαζε φράζειν αὑτόν, ὅςτις εἴη, πρότερος, ἐκείνῳ δὲ βουλόμενος ἀρχὴν ἀνευρέσεως παρασχεῖν, κρεῶν παρακειμένων, σπασάμενος τὴν μάχαιραν ὡς ταῦτα τεμῶν, ἐδείκνυεν ἐκείνῳ. Ταχὺ δὲ καταμαθὼν ὁ Αἰγεὺς τὴν μὲν κύλικα τοῦ φαρμάκου κατέβαλε, τὸν δὲ υἱὸν ἀνακρίνας ἠσπάζετο, καὶ συναγαγὼν τοὺς πολίτας ἐγνώριζεν αὐτόν, ἡδέως δεχόμενος διὰ τὴν ἀνδραγαδίαν.* Statim Theseus ipse ex aedibus progreditur et vehementi ira incitatus conviciis opprobriisque in Medeam invehitur:

ὦ θερμόβουλον σπλάγχνον **).

*) Ovid. VII, 406.

**) Cf. Matth. p. 426. fragm. 244.

Quominus statim eodem gladio, quo se Aegei filium esse probavit, maleficam mulierem transfigeret, vel verecundia vel interventu patris prohibitus est. Aegeus autem calumniarum et parricidii convictam capitis damnasse videtur. Caussam quin Medea, antequam damnaretur, dixerit, non dubito, cuius de oratione hic versus depromtus esse potest (fragm. inc. 22.):

ἀτὰρ σιωπᾶν τά γε δίκαι' οὐ χρή ποτε.

Dei interventu ad praedicendam futuram Medi vitam opus fuit: eodem igitur auctore Medeam capitis poena liberatam esse suspicor; cf. Apollodorum I, 9, 28: *ἐπιβουλεύουσα δὲ ὕστερον Θησεῖ, φυγὰς ἐξ Ἀθηνῶν μετὰ τοῦ παιδὸς ἐκβάλλεται· ἀλλ' οὗτος μὲν πολλῶν κρατήσας βαρβάρων τὴν ὑφ' ἑαυτὸν χώραν ἅπασαν Μηδίαν ἐκάλεσε, καὶ στρατευόμενος ἐπὶ Ἰνδοὺς ἀπέθανε. Μήδεια δὲ εἰς Κόλχους ἦλθεν ἄγνωστος, καὶ καταλαβοῦσα Αἰήτην ὑπὸ τοῦ ἀδελφοῦ Πέρσου τῆς βασιλείας ἐστερημένον, κτείνασα τοῦτον, τῷ πατρὶ τὴν βασιλείαν κατέστησεν.* Eadem paene iisdem verbis Tzetzes ad Lycophr. v. 178. tradit. Lucianus de saltat.: *ἔτι δὲ τὴν Μηδείας ὑποδοχὴν καὶ αὖθις ἐς Πέρσας φυγήν.* Diodorus autem IV, 56: *καθόλου δέ,* inquit, *διὰ τὴν τῶν τραγῳδῶν τερατείαν ποικίλη τις καὶ διάφορος ἱστορία περὶ Μηδείας ἐξενήνεκται· καί τινες, χαρίζεσθαι βουλόμενοι τοῖς Ἀθηναίοις, φασὶν αὐτὴν ἀναλαβοῦσαν τὸν ἐξ Αἰγέως Μῆδον εἰς Κόλχους ἀνασωθῆναι κτλ. Μετὰ δὲ ταῦτα δυνάμεως ἐγκρατῆ γενόμενον τὸν Μῆδον πολλὴν ἐπελθεῖν τῆς ὑπὲρ τὸν Πόντον Ἀσίας καὶ κατασχεῖν τὴν ἀπ' ἐκείνου προςαγορευθεῖσαν Μηδίαν.* In aerem sublatam Medeam sublimem avolasse Ovidius tradit:

„*Effugit illa necem, nebulis per carmina motis.*"

Nec tamen ipsius artibus, sed dei, qui praesens aderat, ope hoc factum esse puto.

His rebus sic compositis tum demum patri locus otiumque datur de recepto filio gaudendi et salubribus praeceptis receptum in regni successionem instruendi. Huc enim refero fragm. inc. 235:

μηδ' εὐτύχημα μηδὲν ὧδ' ἔστω μέγα,
ὅ σ' ἐξεπαίρῃ μεῖζον ἢ χρεὼν φρονεῖν,

μηδ', ἄν τι συμβῇ δυςχερές, δουλοῦ πάλιν,
ἀλλ' αὐτὸς αἰεὶ μίμνε, τὴν σαυτοῦ φύσιν
σώζων βεβαίως, ὥςτε χρυσὸς ἐν πυρί.

Fuit hoc drama ex genere eorum, quae implicata κατ' ἐξοχὴν appellavit Aristoteles, quorum structuram deperditorum ex fragmentis indiciisque coniectura assequi difficillimum est. Ceterum Euripidis ingenium in hoc genere maxime viguisse ex Ionis fabula intelligitur. Praeterea etiam morata egregie fuit haec fabula senem exhibendo cautum, formidolosum atque etiam uxorium, mulierem impotentem et ad quidvis audendum pronam, iuvenem gloriae cupidum, ad optima exempla vitam moresque componentem, neque minus consilio prudentem quam manu fortem et ad pericula subeunda promtum. Unde non vilissimarum fabularum numero Aegeum fuisse suspicari licet.

C. Heraclidae.

Marathone in Tetrapolide *) scena dramatis constituitur; repraesentatur templum Iovis Forensis (Ἀγοραίου); conspiciuntur filii Herculis aetate minores in ara ante templum collocati, ramis olivae, quos secum tulerunt, in ara depositis, interque eos Iolaus, Herculis quondam comes et laborum socius, nunc liberorum eiusdem tutor. In penetralibus templi eadem ratione filiae Herculis cum avia Alcmena supplices ad aram consedisse finguntur. Exagitati a cuncta Graecia Heraclidae, quum propter Eurysthei potentiam minasque nulla civitas eos recipere auderet, repudiati nuper a Trachiniis, in hoc Herculis τέμενος confugerunt **), freti et cognatione et amicitia, qua Theseus Herculesque coniuncti fuerunt. Abesse fingitur Hyllus

*) Strabo VIII. p. 383. docet Tetrapolin partem Atticae terrae dictam fuisse eam, quae Oenoen, Marathona, Probalinthum et Tricorython contineret.

**) Eurip. Herc. fur. 1329. Diodor. Sic. IV, 57. Schol. Oed. Col. 701. Longin. fragm. VIII. p. 85. ed. Egger.

et ceteri qui sunt robustiore aetate filii, novum perfugium quaesituri, si ex hoc abigantur. Relicti igitur sunt, qui imbellibus Herculis liberis patrocinentur, duo senes, Iolaus atque Alcmene, quorum ille nullo dramatis loco Iphiclis filius esse perhibetur, quae est fama vulgaris. Absonum enim esset simul et aviam et nepotem tanquam senes decrepitos in scenam inducere. Usus est igitur noster licentia poetarum non fingendi tantum commode, sed celandi quoque prudenter quae vulgo credita a rerum, quas fingeret, fide abhorrebant.

Constitutus igitur inter liberos Herculis Iolaus de casibus et fortuna Heraclidarum exponit, orsus a sententia communi, qua eadem Ulysses in exordio fabulae Philoctetis utitur, mala et labores perferendos esse iis, qui neglecto suo commodo amicorum civiumque commodis consulentes iustitiam colant. Sic se et vivo Herculi et liberis defuncti officia fide pieque praestantem perpetuo vitae discrimina adire et patria carere, quum possit otio et quiete frui. Nam Eurystheum, stirpem Herculis delere cupientem, non quiescere neque perfugium concedere profugis, sed usque persequi praeconem mittendo, qui bellum populi Argivorum potentissimi minitando minus potentes hospites ab officio deterreat. His expositis statim praeco ipse advenit, quo conspecto vestibus Iolai implicantur pueri; abstrahere eos praecone ex ara atque ex manibus senis conante, hic in reluctando lapsus humi prosternitur; accurrunt ad clamorem eius populares edoctique de caussa, et ipsi se opponunt et regi terrae, Thesei filio, arbitrium rei permitti iubent.

Iam audito tumultu Demophon ipse cum fratre Acamante accurrit *). Fit apud illum iudicem contentio praeconis atque Iolai; illius oratio omnis in utilitatis ratione praedicanda versatur: Argivorum enim amicitia quanto Heraclidarum praestantior sit, ostendit et bellum minatur,

*) Quum saepissime gemini vel fratres vel reges in antiquitatis fabulis tanquam una persona agentes inducerentur, poetae tragici his sic uti solebant, ut partes actoris uni deferrent, alterum mutam personam pro comite illi adiungerent.

nisi tradantur ad supplicium ii, quos capitis damnaverit civitas Argivorum potentissima. Negat Iolaus aut iustitiae aut generositati Atheniensium convenire supplices prodere ac minis Argivorum insolentium terreri. Tum propter cognationem amicitiamque patrum et beneficia ab Hercule in Theseum collata aequum esse dicit, liberos illius a Thesei liberis servari, neque committi, ut vi a deorum aris ad necem rapiantur insontes. Quibus auditis et rex et caterva popularium respondent pollicenturque ea, quae viros probos, pios, gratos honestosque oportet. Traditurum igitur se supplices negat Demophon: ceterum si qua sit Argivis ab Heraclidis iniuria facta, illos ius suum impetraturos esse promittit. Quo responso non contentus praeco vim facere supplicibus conatur, a quo conatu minis regis repulsus abit iratus, mendaciis more praeconum quae passus est aucturus. Iam autem Argivorum exercitus in confiniis Megarae Atticaeque consedit, statim inde agros incursaturus et vastaturus. Profecto praecone, Iolaus nil praestantius esse dicit, quam bonis parentibus et natum esse et dignum se iisdem praestare. Tum patrum amicitiam Heraclidas Theseidasque redintegrare iubet et fide invicem data acceptaque Athenienses perpetuo ab Heraclidis tanquam servatores amicosque colendos esse docet, neque unquam illorum terram ab horum posteris vastandam neque gentem cognatam infestis armis petendam esse. Demophon autem et populi concione convocata et vatibus consultis se quidquid ad defendendam patriam opus sit factu paraturum esse praedicit. Heraclidae in aris iisdem, quas occuparunt, deorum auxilium imploraturi sunt, et Palladem Iunone superiorem fore sperant. Chorus autem carmen canendo se minas hostium, fretum aequitate caussae, spernere profitetur.

Reversus Demophon Eurystheum cum exercitu iam in fines Atticae invasisse refert et castris in locis editis positis opportunitatem rei gerendae speculari; civitatem autem Atheniensium armis sumtis in procinctu esse, paratasque victimas, quas diis immolari oporteat: sed vatum responsis consentientibus puellam iuberi virginem, quae sit nobilibus parentibus nata, mactari. Se vero liberos

suos immolaturum esse negat, neque fas sibi esse alienos liberos ad victimam poscere. Quamobrem quum ad dissidium intestinum res aperte spectare videatur, ipsum Iolaum dispicere iubet, quomodo sine damno civitatis et sibi et Herculis liberis consulat. Tum Iolaus, repente commutatis rebus, a littore in altum tempestatemque reiectus, quum iam portum nactus esse sibi visus esset, non habet, quomodo Heraclidis consulat vel quo se convertat, deorum iniquitate oppressus. Suum igitur caput pro salute eorum, quos tutatur, offerre constituit ac se hostibus tradendo pacem redimi iubet. Negat Demophon senis morte placari posse Eurystheum, qui, memor iniuriarum, quibus Herculem affecerit, nisi sublatis liberis, quorum sit ultio ei timenda, nunquam quieturus sit. Hoc temporis momento Macaria, Herculis filiarum maxima natu, ex templo prodit sciscitatura, in quonam fortunae statu cummaxime sors Heraclidarum versetur, et cognita caussa, non cunctanter se pro suorum salute immolandam diis inferis offert, quo in consilio prodendo dicit ea, quae generosa virgine, ex Herculis semine nata, dignissima sunt. Probat consilium Iolaus; ne tamen mortis auctor ipse sit virgini cognatae, vitandi piaculi caussa, sorti iubet committi arbitrium ex filiabus Herculis victimam deligendi. Negat Macaria se sorte designatam morituram esse, sed sponte et lubentem pro fratribus sororibusque animam deposituram. Hoc unum petit ab Iolao, ut corpus defunctae ipse componat neve virorum manibus tangi patiatur. Hoc promisso accepto, fratres sororesque senis tutelae disciplinaeque commendat et valere iubet illos fausta precata, tum honoribus se perpetuis coli defunctam iubet, qui sint pro dote et matrimonio et liberis sibi iacenti apud inferos liberataeque a malis, quibus vita mortalium perturbetur. His dictis, promittente Iolao honores et valere iubente virginem animosam, haec ad mortem a Demophonte abducitur, Iolaus autem, solutis dolore membris, in sella a filiis Herculis reponitur et vestibus tegitur. Interponitur chori carmen gravissimum, cuius sententia similis est illi, quam Goethius hisce verbis expressit:

Denn ein Gott hat
Jedem seine Bahn
Vorgezeichnet,
Die der Glückliche
Rasch zum freudigen
Ziele rennt.
Wem aber Unglück
Das Herz zusammenzog,
Er sträubt vergebens
Sich gegen die Schranken
Des ehernen Fadens,
Den die doch bittere Scheere
Nur einmal lös't.

Additur praedicatio magnanimitatis Macariae et consolatio Iolai, quum illius virtutem omni fortunae iniquitate superiorem esse ostendatur:

ἁ δ' ἀρετὰ βαίνει διὰ μόχθων.

In huius sententiae veritate demonstranda exemplisque illustribus sub adspectum ponenda hoc drama versatur universum. Hoc tenens neque desiderabis quicquam neque alienum quicquam admistum esse putabis, sed rectissime aptissimeque omnia instituta esse videbis. Servantur Heraclidae non sola hospitum pietate, sed sua maxime virtute, praestante, afferente, faciente patienteque quod quisque potest, singulis neque labores neque pericula neque mortem detrectantibus. Itaque singulis actibus singulae exhibentur ἀριστεῖαι, virgine atque anu, iuvene atque sene et inter se et cum hospitibus virtute contendentibus ac pro reliquorum salute suam in discrimen deferentibus. Satis diserte poeta ipse voluntatem suam explicavit iis, quae Macariam fecit, antequam ad mortem proficisceretur, dicentem, cuius orationem noli solius virginis laudandae caussa proponi putare.

Et Macariae quidem, postquam de scena abiit, nulla amplius iniicitur mentio, neque quomodo immolata vel quomodo sepulta vel quinam defunctae honores instituti sint, exponitur: et recte quidem. Neque enim luctibus locus dabatur in summa eventus felicitate, et generositatem animi, qua mortem passura erat, ipsa praesens satis ostende-

rat, et magnifice quaecunque ad honorem defunctae pertinebant, iam antequam abiret, praestituta erant. Id unum curandum fuit poetae, ne tanta animi magnitudine spectata ad minora levioraque contemplanda theatrum traduceretur, sed proponerentur, si non maiora, certe paria: idque felicissime vitatum esse apparet. Et primum quidem virginis admirabilem virtutem senis sequitur novum consilium, quo solo videtur et dolorem vincere et pudore liberari et crimen impietatis vitare posse. Mori cupit neque se superstitem esse patitur iis, quorum saluti unice vitam et studium consecravit. Itaque virgine pro hostia abducta animum despondit; idem veniente Hylli famulo et nuntiante magnum ab eo exercitum adductum atque in dextro aciei cornu instructum esse, opportunitatem sibi dari intelligit non ignava morte, sed honesta et gloriosa animam pro Herculis liberis profundendi. Sed enim dii, unius Macariae morte contenti, non interitum huic, sed praemium pietatis novum atque admirabile destinaverunt. Itaque in proelium profectus senex decrepitus, qui vix se armaque sustinere potest, corporis infirmitatem animi fortitudine vincit et in Hylli currum sublatus, receptis viribus iuvenilibus, Eurystheum fugientem consequitur et suis manibus capit vincitque. In hoc fingendo et famae vulgaris et Pindari auctoritatem secutus est noster *), et temperavit sic, ut, quum sit contra naturam, tamen naturae optime consentaneum esse videatur **). Verum haec in posteriori actu exponuntur (neque enim redit in scenam Iolaus neque in iuventutem restitutus spectatorum oculis ostenditur): hoc actu significantur tantum quae futura sunt. Tanta enim animositate, tanto animi vigore repente impletur Iolaus demtis ex pariete templi armis, quae stans in acie induturus est, ut illum natura sua superiorem fore iam nunc divinemus; tanta alacritate excitatur reminiscens victoriae quondam cum Hercule de Spartanis Eurystheoque reportatae, ut potestatem hunc infestis armis petendi iterum ei dari optemus.

*) Pyth. IX, 81. Cf. Pflugk. praefat. Heracl. p. 7. ad Plutarch. adv. Stoicos p. 1057. E.

**) Cf. Welck. p. 711. et 1597.

Iam venit tempus decretorium: collatis enim signis exercitus cummaxime depugnare intelligimus. Hoc spatium temporis carmine chori aptissimo gravissimoque expletur, preces facientibus senibus eas, quibus et iustitiae Atheniensium pro supplicibus periclitantium dii, qui in auxilium vocantur, et reliquae eorundem pietatis admoneantur; simul multitudo atque potentia hostium bellicosissimorum in memoriam revocatur sic, ut de eventu certaminis solliciti habeamur.

Quartus actus habet *καταστροφήν*. Postquam igitur secundo actu populum Atheniensium armis sumtis pro supplicibus in certamen descendentem, altero virginem se pro victima offerentem, tertio senem pro pupillorum salute vitae periculum adeuntem vidimus, iam his omnibus in unum quasi locum collatis, adductoque ab Hyllo exercitu, multarum copiarum magnorumque populorum certamen exhibetur. Redit enim nuntius, qui de re gesta exponat. Antequam committeretur proelium, Hyllus privato periculo commune incommodum redimere voluit Eurystheum ad certamen singulare provocando, quem non puduit hoc recusare. Quod nisi huius ignavia obstitisset, et Macaria morte liberata esset et immunes laborum discessissent exercitus. Immolata virgine collatisque signis, acriter ab utroque exercitu pugnatum est. Fusis hostibus Iolaus, conscenso Hylli curru, Eurystheum persecutus est, petens a diis, ut unum diem sibi iuvenem fieri liceret. Ibi Hercules se in coelum ascendisse et inter deos versari manifesto declaravit: ipse enim cum Hebe specie geminarum stellarum in currum Iolai descendit effecitque, ut hic iuvenilibus viribus receptis hostem vivum caperet vinciretque. His auditis Alcmene de victoria sibi gratulatur, neque minus chorus, domitam esse insolentiam, triumphare miseros et malis liberatos esse Minervae praesenti auxilio, laetatur.

Extremus dramatis actus conficitur ultione, quam ab Eurystheo Alcmene exigit, quum eum ad supplicium a famulis rapi iubeat. De quo facto ne inique iudicemus, redeundum est ad veterum de ulciscendi officio sententiam. Recte pieque facit mulier interficiens eum, cuius crudeli-

tate et filius perpetuis laboribus vexatus et nepotes in miseriam egestatemque detrusi et ipsa malis aerumnisque affecta est. Neque a fabula potuit abesse adspectus tyranni quondam superbi insolentisque, nunc de fastigio potentiae praecipitati, in potestatem anus, quam omnibus iniuriis contumeliisque vexavit, traditi, caussam capitis coram iis, quos perditum ierat, dicentis, ad supplicium tracti per famulos, qui interfectum abiecturi sunt, sepulturam ex misericordia hostium, quorum terram vastaturus fuit, sperantis. Interficitur autem Eurystheus invitis quidem, sed non improbantibus Atheniensibus; corpus mortui, proiectum ab Alcmena, hi humaturi sunt, sed nulla facturi iusta funebria.

Duae res huic carmini desunt, quibus quae careant fabulae, eas recte se habere negant. Primum enim exigua implicatione rerum progressus impeditur, quum nullis erroribus, nullis diversis vel contrariis personarum studiis mora ulla difficultasque inferatur. Adest virgo pro fratribus sororibusque moritura, adest senex pro virgine mori cupiens, adest anus pro sene et liberis caput periculo obiectura, adest adolescens pro his omnibus in certamen singulare descensurus, adest denique rex populusque Atheniensium pro hospitum salute bellum periculosissimum cum hostibus ferocissimis suscepturus. Huic incommodo vicinum est alterum vitium, quod crimine omni vacant ii, qui malis premuntur, laude omni destituti sunt ii, qui iniurias inferunt, quod ius atque iniustitia tam certis manifestisque finibus separata sunt, ut nulla ex parte confundantur, nihil dubii, nihil ambigui relinquatur, quae hominum caussa rerumque conditio neque docendo neque delectando perinde idonea est atque anceps illa, implicata, ad cognoscendum decernendumque difficilior. Quemadmodum autem pictorum munere officioque non funguntur ii, qui spreta colorum, quae est in rerum natura, et varietate et temperatione, nulla partium alius in aliam tenui discrimine transeuntium distinctione, nulla tum obscurorum illustriumque, tum eminentium depressiorumque locorum contentione, solo nigro alboque colore imagines distinguunt: ita nec poetarum numero habendus est is, qui, ab altera

parte sceleribus, ab altera virtutibus positis, alteris summum odium, alteris summum amorem conciliare studet. Mera enim vitia et meras laudes, sicut nigrum albumque colorem, per se quilibet, quamvis sit hebetibus mentis oculis, discernere potest, neque talia intuendo aut delectatione ulla aut studio cognoscendi, quo obscuritas, ambiguitas novitasque rerum nos imbuit, tenemur. Tum ad odii amorisque affectum satis natura ipsa omnes propensi sumus, ut minime opus sit opera poetarum ad illos incitantium. Intelligere, in te quoque cadere animi perturbationem, qua abrepti obcoecatique alii peccaverint, ignoscere vitiis, quae ne a tua quidem natura aliena esse arbitreris, diligere et miserari etiam eos, quos propria culpa in mala devenisse appareat, humanum est; humanitate autem animos imbuere, mollire duritatem feritatemque ingeniorum, poetarum officium est primum atque antiquissimum.

At non omnia aequitate animi atque tranquillitate illa, quae ab ira studioque aliena est, in vita humana perficere et ad exitum adducere licet, sed interdum etiam ardore atque inflammatione animi opus est, quae non potest unquam iniquitate iudicii vacare. Velut, ut exemplo rem explanem, quo tempore a nostratibus evertendo regnum peregrinorum in libertatem populi vindicandi fuerunt, optimi quique probaverunt ardorem animorum impetumque et odii acritatem, qua homines non vitia tantum, sed virtutes quoque hostium inique damnabant. Talibus temporibus parum apti sunt parumque utilitatis afferunt poetae instar deorum Epicureorum tranquilli sapientesque, sed ii, qui neque partium studia fastidiant neque turbas tumultumque horreant, et efficaciora quam venustiora carmina componere malint. Ex hoc genere fuit Euripides, et tali tempore docuit Heraclidas.

Aemulatione impulsi Spartani, quum nulla ipsi iniuria ab Atheniensibus laesi essent, bellum moverunt, caussa non meliori, quam qua ductus Herculem et Heraclidas perdere studuit Eurystheus. Legatis praeconibusque missis imperarunt Atheniensibus ea, quae liberae civitati imperare nefas erat. Denique reges eorum, in fines Atticae ducto exercitu, infestis armis invaserunt terram, quae ma-

iorum ipsorum sepulcra et sanctissima delubra habebat; vastarunt agros populi eius, qui primus auctorem gentis ipsorum divinis honoribus affecerat et solus Heraclidis a cuncta Graecia exagitatis praesidium auxiliumque praebuerat; bellum intulerunt deae, cuius opera ex omnibus laboribus periculisque Hercules servatus erat. Pium probumque esse bellum tali de caussa susceptum, neque deorum auxilio carituros Athenienses in tali certamine, docet Euripides, eiusque rei docendae studio ductus ea, quibus otiosi homines et in sola rerum cognitione occupati delectarentur, neglexit. Composuit fabulam eam, quae vel maxime dulcis utilisque esset civibus suis, et qua spectanda, tanquam bono omine accepto, summa belli gerendi alacritate imbuerentur; fore tempus, quo ab Hyperboreis frigidissimis carmina sua legerentur, quo a Germanis, scripta pluris quam res gestas facientibus, ad artis regulas morose examinarentur, non potuit divinare.

Non invenit, quod in hoc dramate reprehenderet, Aristophanes; semel ad illud respexit Plut. 382. (cf. Welck. p. 709 seq.), et fortasse Eccl. 412. (cf. Elmsl. ad Heracl. v. 11.). Reliquorum scriptorum multi ad id respexerunt, quos commemorare supervacaneum est *).

D. E u r y s t h e u s.

Herculem ad inferos descendentem et protractum inde Cerberum hoc dramate satyrico exhibitum esse docent fragmenta. Perfectis omnibus reliquis laboribus et peragrato orbe hoc illi certamen iniunctum esse ab Eurystheo refert Diodorus IV, 25. In agris ante Mycenas haec agi fingebantur: vetuerat enim Eurystheus urbem intrare Herculem, timens viri robur atque violentiam. Itaque vitans conspectum eius per Copreum praeconem et mandata edebat et de rebus gestis docebatur, teste Apollodoro II, 5, 1.

Fingamus igitur Herculem ab ultimis orbis terminis

*) Cf. Welck. p. 709. Apollod. II, 8, 1.

redeuntem de laboribus exantlatis deque sortis iniquitate conqueri. Huc refero fragmenta V. et VI:

μάτην δὲ θνητοὶ τοὺς νόθους φεύγουσ' ἄρα
παῖδας φυτεύειν· ὃς γὰρ ἂν χρηστὸς φύῃ,
οὐ τοὔνομ' αὐτοῦ τὴν φύσιν διαφθερεῖ.
— — — — — —
νῦν δ' ἤν τις οἴκων πλουσίαν ἔχῃ φάτνην,
πρῶτος γέγραπται τῶν κακιόνων κράτει·
τὰ δ' ἔργ' ἐλάσσω χρημάτων νομίζομεν.

Postea satyrorum caterva circum eum congregata, cum his comissatur:

παίζω· μεταβολὰς γὰρ πόνων ἀεὶ φιλῶ *).

Eo pertinet fragm. IX:

— *σκύφος τε μακρός,*

cui addere licet fragm. inc. 225:

οἶνον ἀρκεσίγυιον.

Interim quum fama de reditu Herculis in civitatem perlata esset, missus est Copreus, qui ad novum laborem patrandum Herculem ablegaret, unde eum salvum rediturum esse minime posset sperari. Excusat praeco officium suum:

πιστὸν μὲν οὖν χρὴ τὸν διάκονον — —
εἶναι — — — — —
τοιοῦτον εἶναι καὶ στέγειν τὰ δεσποτῶν.

Herculis verba, quibus res, de qua agitur, aperte significatur, haec fuerunt:

πέμψεις δ' ἐς ᾅδου ζῶντα κοὐ τεθνηκότα·
καί μοι τὸ τέρθρον δῆλον, εἰ πορεύσομαι,

quibus adde fragm. X: *ὁ οἰκήτωρ Ταρτάρειος, καὶ διὰ τῆς ει διφθόγγου Εὐριπίδης ἐν Εὐρυσθεῖ σατυρικῷ.*

Antequam proficiscatur Hercules, confirmans animum suum, de universa vitae humanae conditione quaedam disserit, velut haecce:

οὐκ οἶδ' ὅτῳ χρὴ κανόνι τὰς βροτῶν τύχας
ὀρθῶς ἀθρήσαντ' εἰδέναι τὸ δραστέον.

In Taenaro promontorio, quod erat Mycenis propinquum, aditum ad inferos patuisse ferunt; ibidem Cerbe-

*) Fragm. inc. 170.

rum aiunt collocatum fuisse, quem inde protractum, non longo interposito spatio, in locum, in quo chorus commorabatur, retulit Hercules et vinculis firmissimis ad rupem religavit. Adventus viri Cerberum ferentis nuntiatus est hisce verbis (fragm. inc. 172.):

ἥκει δ' ἐπ' ὤμοις ἢ συὸς φέρων βάρος
ἢ τὴν ἄμορφον λύγγα, δύςτοκον δάκος.

Atrocitatem certaminis ostendunt sugillata, quibus Hercules adiuvantibus satyris medetur:

— ἢ κύαθον ἢ χαλκήλατον
ἠθμὸν προςίσχων τοῖςδε τοῖς ὑπωπίοις.

Deinde Hercules in antrum se contulit et corpus quieti dedit, satyris interim vino et cantibus se oblectantibus. Eurystheus autem, certior factus Herculem ad inferos descendisse, nunc demum timore vacuus urbis moenibus excedere audet et gratulatur sibi, quod hoste horribili liberatus sit: priora enim omnia certamina feliciter ab eo patrata esse, velut Lernaeae hydrae capita centum calamorum instar gladio eius desecta esse:

πάντ' ἐξεθέρισεν ὥςτε πύρινον στάχυν,
σπάθῃ κολούων φασγάνου μελανδέτου.

Paullo post Cerbero conspecto stupet horretque. Ludit eum chorus et ad accedendum propius hortatur: non enim verum vivumque Cerberum, sed imaginem talem, quales Daedalus fabricari solitus sit, Herculis arte effectum propositumque esse:

οὐκ ἔστιν, ὦ γεραιέ, μὴ δείσῃς τάδε·
τὰ Δαιδάλεια πάντα κινεῖσθαι δοκεῖ
βλέπειν τ' ἀγάλμαθ'· ὧδ' ἀνὴρ κεῖνος σοφός.

Largam ridendi materiam haec rerum conditio suppeditabat. Postremo actu Hercules ex antro rediit et minis terrendo Eurystheum impetravit ab eo, ut fide data se nullos iam labores illi iniuncturum esse promitteret, hac conditione, ut ad inferos Cerberum Hercules reportaret. Rediens in orcum Hercules se Theseum inde reducturum esse praedicere potuit.

Magnam huius dramatis laudem fuisse inde existimare licet, quod Aeliano, Athenaeo, Erotiano, Polluci, Antiphani, Stobaeo aliisque familiare fuit.

VIII.

Duce Aristophane Euripides cum Aeschylo comparatur.

De iis, quae Euripides in tragoedia novaverit, sic hunc ipsum exponentem Aristophanes facit in Ran. 939: „Ubi accepi a te artem, primum quidem statim turgentem ex magniloquentia importunisque verbis extenuavi et detraxi pondus voculis et ambulationibus et beta alba, succum dando disputatiuncularum ex libris decolatum; deinde alui canticis (*μονῳδίαις*) Cephisophontem miscendo; tum non obvia quaeque fabulabar neque res confundebam temere irruendo, sed qui primus mihi prodibat statim genus et argumentum dramatis exponebat; denique a prima oratione nihil praetermisi otiosum, sed disserebat mihi et mulier et servus et dominus et puella et anus, id quod valde erat populare (*δημοκρατικόν*): dicere enim cives docui et subtilium regularum intellectum et normam orationum, ut cognoscerent, viderent, coniicerent, flecterent, studerent, molirentur, suspicarentur mala, circumspicerent cuncta: familiares enim res proponebam, quibus vulgo utimur, quae consuevimus, ex quibus, quum vulgo notae essent, facile ipse arguerer. Non ducebam pompam rerum verborumque, non iniiciebam stuporem, excussa prudentia, non loquebar monstra atque portenta. Hac ratione ad sapiendum cives institui, computationem atque inquisitionem arti intexendo, ut et cetera et rem familiarem iam melius quam antea cives administrent."

Ab Aeschylo, non a Sophocle, artem Euripidi traditam esse docet Aristophanes: erat enim Sophocle aetate non multo minor et paene eodem tempore fabulas uterque docere coepit, Sophocles quidem Ol. 77, 4., Euripides autem Ol. 78, 3. Hoc Aristophanis testimonio confirmatur computatio temporum, quam sequentes Euripidem non Ol. 75, 1., sed Ol. 73, 4. natum esse docuimus. Quamobrem quum fratrum instar eodem patre natorum in successionem

regni paterni uterque adolesceret, Sophocles quidem ingredi viam, qua Aeschylus praeierat, neque deserere eius rationem, sed perficere atque consummare voluit poliendo rudia atque incomposita, temperando immania, molliendo dura et praefracta, pompam et magniloquentiam imminuendo, ad modestiam, pulcritudinem venustatemque omnia revocando. Contra Euripides trito itinere progredi Aeschylique vestigiis insistere dedignatus est. Qui quum a cognitione rerum reconditarum abstrusarumque ad vulgi frequentissimam concionem delectandam docendamque se conferret, amplexus ea, quae illis temporibus ab eruditis omnis generis atque auctoribus artium inventa tradebantur, quibusque initiati homines ab inscitia et coeco naturae morumque obsequio ad intelligentiam, ab opinionum arbitrio ad veri investigationem, a traditarum legum reverentia ad naturae rationem, quae est lex divina humanaque, perspiciendam, a graecorum hominum angustissima multisque erroribus impedita cognitione ad mundanorum liberrimum iudicium traducebantur, in bivio quodam ac divortio saeculorum constitutus, ad stuporem homines, ad inutilem priscorum admirationem reiicere noluit; amplissimum naturae suae curriculum datum iri videbat, si eruditorum cogitata inventaque in medium proferendo vulgi et philosophorum dissidium tollere conaretur, et mores atque ingenia hominum talia, qualia revera sunt, non qualia esse cupimus fingimusque, exprimendo remedia malorum, quibus vita tum publica tum privata laborabat, ostendere studeret. Hanc principum poetarum conditionem atque diversitatem Aristophanes eo declaravit, quod Sophoclem finxit amice benigneque in societatem regni ab Aeschylo receptum esse neque maiora concupiscere, Euripidem vero, fretum plebis infimae favore, quam prudentia augere et ad summorum virorum locum dignitatemque evehere studuisset, regnum sibi pulso Aeschylo vindicare conatum esse.

Iam singulas artis proprietates eo ordine, quo proposuit comicus, examinemus. Et prima quidem descriptio ad sententias et genus dicendi refertur. Reprehendit Aristophanes, quod, omissa verborum insolentia cum obscuris abditisque sententiis, perspicuitati et temperato dicendi

generi operam dederit Euripides. Sed venustissimum politissimumque hoc dicendi genus habitum esse atque unice Atticorum auribus teretibus religiosisque probatum esse omnes testantur; cf. Ioannis Sic. scholia in ideas (Rhet. gr. T. VI. p. 230. ed. Walz.): *διὸ καὶ τούτων οἱ τὰς τοιαύτας ψυχρολογίας παρασκευασάμενοι εὐδοκίμησαν, ὧν πρῶτος Εὐριπίδης· τὰς γὰρ τραχείας καὶ σφοδρὰς ἐννοίας περικαλύψας λέξεσιν ἁπαλαῖς καὶ ἠπίαις, ὥςπερ τὴν ἀνωτέρω ῥηθεῖσαν, ὑπήγαγε τό· „ὁ τὸ θέατρον πληρώσας, ὥς φησιν, ἡδοναῖς."*

Dicit etiam Quinctilianus, in sermone (*ἐν τοῖς ἔπεσιν*) humiliori dicendi genere, et quod magis accederet oratorio generi, usum esse Euripidem, idque a multis reprehensum esse, quibus gravitas et cothurnus et sonus Sophoclis videretur esse sublimior. Sed habemus gravem auctorem, quo non solum excusandam, sed etiam laude dignissimam solamque veram et rectam esse Euripidis orationem affirmemus. Aristoteles enim in Rhet. III. c. 1. et 2. sic fere disserit: „Novo et insolito dicendi genere et poetae et oratores initio usi sunt, quum sola dictione rebus frivolis honorem addi intelligerent, idque omni tempore vulgo ineruditorum pulcrum atque admirabile esse videtur. Sed iam ne tragici quidem poetae illo genere dictionis poeticae amplius utuntur; verum, sicut ex tetrametris ad iambicum transgressi sunt, quoniam metrorum omnium hoc sermoni simillimum est, sic quaecunque nominum a consuetudine abhorrent, omiserunt, et quibus prisci exornabant atque etiamnunc qui hexametra componunt utuntur, abiecerunt. Fugienda sunt abiecta atque obsoleta, adhibenda lecta, illustria minusque usitata, quae omnes admiramur: nam mirabilia iucunda sunt. Et in metris quidem haec plurimum valent commodeque se habent: nam tam res quam personae, de quibus habetur oratio, excellentiores sunt. In soluta autem oratione, cum caussa minor sit, multo paucioribus utendum. Quamquam etiam in carminibus si servus aut adolescens ornatiora dicat aut de parvis nimis magnifice exponatur, indecorum erit; sed etiam in his tum extenuare tum amplificare, prout res postulat, decorum est. Quamobrem

oportet ornandi studium dissimulare, ne facta, sed sponte nata esse oratio videatur: hoc enim fidem facit, illud contrarium. Tanquam enim insidias et fucatam orationem et vinum mixtum aversamur. Dissimulatur autem bene, si quis ex consueto sermone delecta scite coniungat, id quod Euripides facit primusque monstravit (*κλέπτεται δ' εὖ, ἐάν τις ἐκ τῆς εἰωθυίας διαλέκτου ἐκλέγων συντιθῇ, ὅπερ Εὐριπίδης ποιεῖ καὶ ὑπέδειξε πρῶτος*) *). Postrema paene ad verbum reddidit Horatius art. poet. 47:

Dixeris egregie, notum si callida verbum
Reddiderit iunctura novum.

Idem hoc praestantissimum dicendi genus pluribus verbis commendavit v. 240 seqq.:

Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quivis
Speret idem, sudet multum frustraque laboret
Ausus idem: tantum series iuncturaque pollet;
Tantum de medio sumtis accedit honoris.

Haec de dicendi genere dicta esse, quamvis rerum series atque contextus demonstraret, nemo, quod sciam, interpretum praeter Wielandium vidit. Videtur Horatius haec scribens de Euripide cogitasse: mirabiliter enim verba eius congruunt cum illo Archimeli epigrammate:

τὴν Εὐριπίδεω μήτ' ἔρχεο μήτ' ἐπιβάλλου
δύςβατον ἀνθρώποις οἶμον, ἀοιδοθέτα·
λείη μὲν γὰρ ἰδεῖν καὶ ἐπίῤῥοθος· ἢν δέ τις αὐτὴν
εἰςβαίνῃ, χαλεποῦ τρηχυτέρη σκόλοπος·
ἢν δὲ τὰ Μηδείης Αἰητίδος ἄκρα χαράξῃς,
ἀμνήμων κείσῃ νέρθεν· ἔα στεφάνους.

---

*) Adde Aristot. Poet. c. 22. §. 7. et §. 10: *καὶ ἐν μὲν τοῖς ἡρωϊκοῖς ἅπαντα χρήσιμα τὰ εἰρημένα· ἐν δὲ τοῖς ἰαμβείοις διὰ τὸ ὅτι μάλιστα λέξιν μιμεῖσθαι ταῦτα ἁρμόττει τῶν ὀνομάτων, ὅσοις κἂν ἐν λόγοις τις χρήσαιτο· ἔστι δὲ τὰ τοιαῦτα τὸ κύριον καὶ μεταφορὰ καὶ κόσμος.*

Levem et commodam viam ait Euripidis videri imperitis, ut se quivis idem posse speret; sed si quis eam ingrediatur, difficilem, asperam arduamque apparere. Quod si quis etiam audaciora attingere et Medeae praefractam naturam exprimere conetur, hunc non gloriam, sed contemtum meriturum esse.

Denique his addamus quae Longinus c. 40. de Euripidis dicendi genere iudicavit: „Imprimis reddit sublimem orationem, sicut corpora, membrorum compositio, quorum nullum separatum a reliquis honorem habet, cuncta autem inter se iuncta perfectam corporis speciem consummant. Sic grandia dissipata atque disiecta simul sublimitatem secum auferunt; eadem coagmentata quasi in unum corpus atque etiam concinnitatis vinculo conclusa ipso ambitu numerosa fiunt; ac fere in verborum ambitu symbola multitudinis granditas est. Quid? quod multi et oratorum et poetarum, qui neque sublimes sunt natura neque iidem expertes granditatis, communibus plerumque et vulgaribus verbis, quibus nihil inest insoliti, utentes sola compositione et coagmentatione horum tamen pondus et amplitudinem consecuti sunt et vitarunt tenuitatem, velut Philistus, Aristophanes in quibusdam, in plerisque Euripides: cuius quidem Hercules post liberorum interfectionem ait:

γέμω κακῶν δή, κοὐκέτ' ἔσθ' ὅπη τεθῇ.

Plane vulgare est dictum, sed fit sublime eo, quod concinne conformatum est. Quod si aliter verba colloces, manifestum erit compositionis poetam Euripidem esse magis quam sententiae. De Dirce a tauro tracta dictum:

εἰ δέ που
τύχοι, πέριξ ἑλίξας εἷλχ' ὁμοῦ λαβὼν
γυναῖκα, πέτραν, δρῦν, μεταλλάσσων ἀεί,

est quidem etiam argumento magnificum, sed grandius uberiusque fit eo, quod numerus non est praeceps neque quasi per declive devolvitur, sed impeditione quadam ac remora verba inter se distincta retardantur et in statariam quasi gravitatem divaricantur."

In praecipuis sublimitatis caussis fontibusque est vis

rerum imaginandarum vel cogitatione fingendarum, tum facultas affectus animi vehementiores ad naturae veritatem imitandi. In utroque genere Euripidem praestitisse cum alii tum Longinus c. 15. testantur:

ὦ μῆτερ, ἱκετεύω σε, μὴ 'πίσειέ μοι
τὰς αἱματωποὺς καὶ δρακοντώδεις κόρας·
αὗται γάρ, αὗται πλησίον θρώσκουσί μου.

καὶ

οἴ μοι, κτανεῖ με· ποῖ φύγω;

„Ibi poeta ipse vidit Furias et repraesentavit sic, ut parum absit, quin etiam auditores videre coegerit. Elaboravit quidem Euripides in his duobus maxime affectibus, furore atque amore, in quibus nescio an omnium praestantissimus sit; verum reliquas quoque animi cogitationes tractare conatus est. Qui quum minime ingenio grandis esset, tamen suam ipse naturam plerumque ad tragicam sublimitatem et quibuscunque inest granditas adegit, ut ait poeta:

οὐρῇ δὲ πλευράς τε καὶ ἰσχίον ἀμφοτέρωθεν
μαστίεται, ἓ δ' αὐτὸν ἐποτρύνει μαχέσασθαι."

Alterum deinde exemplum Longinus orationem ponit Solis frena Phaethonti tradentis, cui haec subiungit: „Nonne dicas animam scribentis una in currum ascendere et una cum equis in periculum avolare? Nunquam enim, nisi per coelestia illa signa una abriperetur, talia imaginatus esset."

Monodiarum deinde mentionem facit Aristophanes, quas hoc loco omitto, separatim de iis expositurus. Verbis, quae deinde sequuntur, perspicuitatem et dilucidam rerum expositionem denotat. In medias res rapit sic Euripides, ut planissime simul de universo rerum nexu edoceat. Multi sunt recentiores in vituperandis Euripidis prologis, quorum alucinationes omnes, sicut Aeschyli Aristophanei reprehensionem, unò verbo ille propulsat:

ληρεῖς, ἐγὼ δὲ τοὺς προλόγους καλῶς ποιῶ.

Nam quae, hoc statu depulsus, Aeschylus exprobrat, cum p r o i e c t a s e s s e ab omnibus, quaecunque in scenam prodirent, personis a m p u l l a s e t s e s q u i p e d a l i a v e r b a (*ληκύθιον ἀπώλεσεν*) ostendat, ad universum dicendi genus, quod nimis subtile, tenue humileque esse

arguit, non ad prologos solos pertinent *). Antiquorum scriptorum nemo, ne Aristophanes quidem, prologos Euripidis vituperavit, sed uno ore omnes laudi tribuerunt. Testes sunt cum alii tum Thomas M., qui criticorum verba transcripsit: „Multa in artem intulit nova, quae nemo antea invenerat. Nam quod in exordiis dramatum argumentum exponitur et quasi manu auditor in priorum rerum cognitionem introducitur, Euripidis est inventum; tum perspicuitatem et planitatem dictis tribuendo rerumque explicationem argumentationibus et iucundo numero variando, denique sententias frequentes et valde caussis accommodatas adhibendo admirabilis est." Nam quod nostri omnes aegre ferunt, narrationem institui nemine in scena praesente, qui cognoscere cupiat vel interloquatur, hoc minime veteribus offensioni erat; iidem minime tulissent soliloquia, quae nos appellamus, quibusque nihil in nostris fabulis frequentius est. Coram testibus agere quaecunque agerent, communicare consilia sive cum familiaribus sive cum popularibus sive cum peregrinis, qui forte adessent, tam illis hominibus familiare fuit, ut ad populi frequen-

*) *Ληκύθιον* appellari alteram partem trimetrorum iambicorum, quae detracta penthemimere relinquatur, dicit Tzetzes in Crameri Anecd. I. p. 78., quod utrum ex Aristophanis lusu coniecerit, an alicuius auctoris testimonio doctus retulerit, nescio; hoc vero intelligo, magis fatuum nil inveniri posse, quam tale Aristophanis artificium, si substituendis verbis inanissimis versus Euripidis corrumpi posse putavit. *Λήκυθος* sive *ληκύθιον* appellabatur arcula, qua oleum, pigmenta fucusque servabantur, quibus corporis nitor supra habitum naturalem augeretur. Unde factum est, ut *λήκυθος* etiam pro nitore fucoque ipso, qui succi sanguinisque incorrupti speciem corporibus tribueret, usurparetur. Cic. Att. I, 14: „Quid multa? Totum hunc locum, quem ego varie meis orationibus soleo p i n g e r e, de flamma, de ferro (nosti illas *ληκύθους*) valde graviter pertexuit." Tzetzes l. l.: *διόπερ καὶ Καλλίμαχος λέγει τὴν τραγῳδίαν διὰ τοὺς θρήνους καὶ κλαυθμοὺς „Ληκυθίαν Μοῦσαν."* Huic nomini Horatius latinum a m p u l l a m substituit, idemque a m p u l l a r i eo sensu, quo Graeci *ληκυθίζειν*, posuit Epist. I, 3, 14: „An tragica desaevit et ampullatur in arte?"

tiam, quae in theatro consedisset, verba facere personas, quamvis imaginarias res agerent paterenturque, minime mirum, sed consentaneum necessariumque esse videretur. Huic consuetudini nemo tragicorum lubentius Euripide obsecutus est: erat enim hoc quoque *δημοκρατικόν*. Velut in Orestis fabula Electra ad spectatores ipsos, tanquam testes, convertitur notans Helenae lenocinia: *εἴδετε παρ' ἄκρας ὡς ἀπέθρισεν τρίχας, σώζουσα κάλλος; ἔστι δ' ἡ πάλαι γυνή.* Ad quem locum haec verissime scripsit scholiastes: *ἔνιοι δέ φασι τοῖς δμωσὶ ταῦτα λέγειν, οἱ δὲ πρὸς τὸ θέατρον, ὃ καὶ ἄμεινον· ἐφελκυστικὸς γάρ ἐστιν ἀεὶ μᾶλλον τῶν θεατῶν ὁ ποιητής, οὐ φροντίζων τῶν ἀκριβολογούντων.* Adde schol. Phoen. 1485: *τίνι γὰρ ἀπολογεῖται, εἰ μὴ τῷ θεάτρῳ;* Idem ad prologos pertinere, scholiastes ad initium Troadum monuit, cuius verbum supra p. 13. transcripsimus. Denique eam consuetudinem scenicis poetis omnibus communem fuisse docet Tzetzes in Cram. Anecd. IV, 343:

ῥῆσις λόγος τίς ἐστιν ἐξηγημάτων,
ὑποκριτοῦ λέγοντος ὡς πρὸς τοὺς ὄχλους.

Exemplum talis orationis ponit Polynicis verba, quae facit intrans in urbem: *τὰ μὲν πυλωρῶν κλῇθρά μ' εἰςεδέξατο.*

Aeschyli prologos recte damnat Euripides Aristophaneus:

ἀσαφὴς γὰρ ἦν ἐν τῇ φράσει τῶν πραγμάτων.

Tum rectissime hoc illum solum egisse ostendit, ut stuporem iniiceret atque exspectatione suspensos teneret animos spectatorum, quam pessimam esse artis tragicae rationem Lessingius noster docuit, quo dramaturgiae loco *) et Dideroti in eandem sententiam disputantis verba in medium protulit et ipse laudes prologorum Euripideorum tam arguta dissertatione exposuit, ut ceteris nil reliquisse videatur, quod ad hunc locum consummandum addere possint. Verum operae pretium est cognoscere, quae Aeschylo et quicunque poetarum eandem rationem sequuntur Euripides Aristophaneus exprobrat: „Praestigiator erat et iactator, qui fraudaret spectatores ex Phrynichi disciplina stolidos.

*) 13. Octobr. 1767. seqq.

Introduxit Achillem et Nioben neque ora ostendentes neque vocem ullam mittentes, sed obvoluto capite instar apparatus scenici sedentes, choro quattuor carmina longissima aliud post aliud cantare contendente, illis autem silentibus. Has vero praestigias stupebant spectatores. Tum, dramate iam medio, verba illi bubula duodecim loquebantur, supercilio et crista superbientia, monstrosa, obscura: plane enim et perspicue nil dixit quicquam, sed aut Scamandros aut gryphos aquilis iunctos et praefractam verborum audaciam."

Humane loqui (*φράζειν ἀνθρωπείως* v. 1058.), de rebus omnibus humanis docere, neque quicquam humani a poesi alienum esse ducere, non stuporem iniicere, non arma sola et bella crepare, poetarum esse docet Euripides Aristophaneus. Non defuisse ei vim inflammandorum incitandorumque animorum et sublimium rerum admirationem iniiciendi satis eius tragoediae testantur; neque eum maxime tragicum esse iudicasset Aristoteles, si hac laude carere putasset. Verum non ardore animorum et stupore et admiratione res humanae omnes recte administrantur, sed prudentia et probitate et utilia cognoscendo: quamobrem erudire homines et utilia praecipere et emollire atque perpolire mores primum poetarum officium esse Aeschylus sive Aristophanes ipse affirmavit v. 1009:

δεξιότητος καὶ νουθεσίας, ὅτι βελτίους τε ποιοῦμεν
τοὺς ἀνθρώπους ἐν ταῖς πόλεσιν —,

unde efficitur, ut scriptorum prima laus sit perspicuitas, in qua commendanda artis praeceptores uno ore omnes consentiunt.

Robore, rigore, contumacia, torvitate, atrocitate insignes sunt Aeschyli personae, similemque huius ipsius naturam expressit Aristophanes, ut esset praefractus, indignabundus, iracundus, importunus, frenderet dentibus, erigeret capillos. Euripidis personae non minus quidem audaces, fortes magnanimaeque quam Aeschyli sunt, sed eaedem callidae, vafrae, versutae neque naturae impetu sic feruntur, ut non simul rationem explicent consiliorum. Nil fingi potest tam audax, tam insolens, tam novum, tam nefarium, tam immane, tam horribile, quod non homines apud Euripidem, vel necessitate coacti vel libidine impulsi, vel

superbia elati, vel denique quocunque affectu perturbati, aut ipsi perpetrent aut aliis suadeant factumque probabilibus argumentis purgent: etenim

„*audax omnia perpeti*
gens humana ruit per vetitum nefas."

In tanta naturae humanae audacia contemplanda quum velut attoniti stupeamus, tum vero miramur astutiam sollertiamque hominum vaferrimorum, qua et in dicendo et in agendo utentes modo insidias struunt veteratorie modo ex difficultatibus se versute expediunt. Non scelerum igitur neque temeritatis magnitudine, non insolentiae neque ferociae immanitate Euripideae personae Aeschyleas superant: nam quidnam nefariorum facinorum ab huius fabulis abest? sed calliditate, dexteritate, doctrina. Neque minor priscorum illorum hominum, quorum mores Aeschylus expressit, improbitas et nequitia est, sed maior animorum stupor et rudior imperitia: unde fit, ut rusticorum alter poeta sit, alter eruditorum. Eruditionis praesides sunt Musae, non simplicitatis, non frugalitatis, non roboris: pro politissimo igitur is habendus est poeta, qui et ipse eruditissimus est et tales effingit etiam personas fabularum. Eruditio non ipsa statim sapientia est, sed praebet arma, quibus muniti libertatem mentis tueamur, docet, qua ratione Sirenum delenimenta effugiamus, monstrat viam, quam ingrediendo ad sapientiam perveniamus. Sed quaecunque res ad utilitatem et salutem inveniuntur, iisdem in perniciem, in fraudem, in libidinem uti licet, ubi aliquis servire cupidinibus, quam imperare, et perdere domum atque rempublicam, quam mederi morbo suo, mavult. Et ubique fere doctrina et dicendi vi personas Euripideas abuti ad insidias, ad cognatorum civiumque incommoda notum est; sed non minus magnum numerum proponi hominum vere sapientium et constantium, qui res humanas despiciant, qui summas miserias aequo animo patiantur, qui sua commoda suasque voluptates utilitati publicae postponant, qui pro civium salute animas haud cunctanter profundant, qui non minori laetitia ad supplicia, quam ad nuptias proficiscantur, quis ignorat? aut quis tam ferus, quis ab illa sapientia, christianis convenientissima, tam alienus est, ut

haec cum Aristophane rideat? In mendicos enim hic sapientes Euripideos mutando efficere studuit, ne qua usquam virtutis probitatisque species in illius scriptis inesse videretur. Idem astutiam audaciamque personarum in Thesmophoriazuson fabula perstrinxit, qua fabula mulierum odium Euripidis solum demonstrari putant homines, quorum animi, quum nimis diu in Aeschyli monstris stuperent, obtorpuerunt. Mulieres quidem et ad vincendas cupidines minus fortes et ad fraudes excogitandas sollertiores esse inter omnes constat. Magnam igitur earum in illa provincia administranda operam esse necesse fuit. Accedit, quod perturbationibus animi exprimendis plurimum operae dedit Euripides: quarum quum nulla difficilius vincatur, nulla familiis perniciosior sit, quam amor, facile licet aestimare, quam crebro illi in mulierum sceleribus illustrandis versandum fuerit. Nam Ovidius tragoedias recensens, quae amoris materiam habuerint, paene omnes Euripideas nominat (Trist. II, 381 seqq.):

„*Nam quid in Hippolyto nisi caecae flamma novercae?*
Nobilis est Canace fratris amore sui.
Quid? non Tantalides, agitante Cupidine currus,
Pisaeam Phrygiis vexit eburnus equis?
Tingeret ut ferrum natorum sanguine mater,
Concitus a laeso fecit amore dolor.
Si non Aeropen frater sceleratus amasset,
Aversos Solis non legeremus equos.
Impia non tragicos tetigisset Scylla cothurnos,
Ni patrium crinem desecuisset amor.
Qui legis Electram et egentem mentis Orestem,
Aegisthi crimen Tyndaridosque legis.
Nam quid de tetrico referam domitore Chimaerae,
Quem leto fallax hospita paene dedit?
Quid loquar Hermionen? quid te, Schoeneia virgo?
Teque, Mycenaeo Phoebas amata duci?

Quid Danaen Danaesque nurum matremque Lyaei?
Haemonaque et noctes cui coiere duae?
Quid generum Peliae? quid Thesea? quidve Pelasgum,
Iliacam tetigit qui rate primus humum?" *)

Non magis igitur Aristophanes, quam Ovidius, mulierum odii revera Euripidem accusare voluit, sed temeritatem astutiamque hominum, quos effinxisset, nulla vel religione vel legum reverentia, nulla fide vel pietate a sceleribus fraudibusque committendis prohibitorum. Persuadet enim Euripides socero suo, ut speciem mulieris corpore vestibusque imitans in templum intret bonae deae sacris feminarum secretis interfuturus **). Ibi hic homo impudentissimus, Telephum illius imitans, in ipsa mulierum concione flagitia mulieribus exprobrare audet turpissima. Detectus circumventusque primum infante de manibus unius mulierum rapto eiusdem Telephi exemplo periculum effugere conatur; tum rursus Palamedem Euripidis imitatur, qui et alia artificia inaudita excogitavit et litteras invenit, quibus nuntii ad absentes perferrentur. Deinde Euripides ipse ad liberandum malo socerum machinationes, quascunque in tragoediis scribendis commentus est, callidissimas aliam super aliam adhibet ***). Quibus ubi nihil profici intellexit, mulieres quidem flagitiorum conscientia devincit, servum autem publicum prostibulo adducto traditoque capit: sic tandem conata perficit.

Hanc dissertationem praemittendam esse putavi didascaliae ei, cui inest fabula Philoctetes: quam cum eandem tres tragicae poeseos principes ornassent, Dio Chrysosto-

---

*) His Ovidii versibus tragoediae significantur hae: Hippolytus prior, Aeolus, Oenomaus, Medea, Cressae, Scylla, Electra, Stheneboea, Andromache, Meleager, Troades, Danae, Andromeda, Antigone, Alcestis, Theseus, Protesilaus.

**) V. 93:

τὸ πρᾶγμα κομψὸν καὶ σφόδρ' ἐκ τοῦ σοῦ τρόπου·
τοῦ γὰρ τεχνάζειν ἡμέτερος ὁ πυραμοῦς.

***) V. 884:

ἢν μὴ προλίπωσ' αἱ μυρίαι με μηχαναί.

mus fabulis eorum uno tempore lectis examinatisque laudes singulorum exposuit et quid inter se differrent ostendit. Cuius de sententia quo commodius posset iudicari, Aristophanis sententiam cum illa comparari utile esse duxi.

Iam ad rerum publicarum statum atque conditionem, qualis fuerit eo tempore, quo haec didascalia acta est, explicandum me converto. Acta est igitur Ol. 87, 1., id quod Aristophanis, grammatici nobilissimi, testimonio constat, cuius verba haec sunt: *ἐδιδάχθη ἐπὶ Πυθοδώρου ἄρχοντος κατὰ τὴν ὀγδοηκοστὴν ἑβδόμην Ὀλυμπιάδα. Πρῶτος Εὐφορίων, δεύτερος Σοφοκλῆς, τρίτος Εὐριπίδης. Μήδεια, Φιλοκτήτης, Δίκτυς, Θερισταὶ σάτυροι· οὐ σώζεται.* Doctae igitur hae sunt fabulae eodem anno, quo exeunte exarsit bellum Peloponnesium. Victus autem est Euripides non ab Euphorione ipso, sed ab Aeschylo, patre eius, id quod recte animadverterunt Elmsleius in annot. ad Med. p. 70. (55.) atque Pflugk. in editione Medeae p. 5. Testatur enim Suidas hisce verbis: *Εὐφορίων, υἱὸς Αἰσχύλου τοῦ τραγικοῦ, Ἀθηναῖος, τραγικὸς καὶ αὐτός, ὃς καὶ τοῖς Αἰσχύλου τοῦ πατρός, οἷς μήπω ἦν ἐπιδειξάμενος, τετράκις ἐνίκησεν· ἔγραψε δὲ καὶ οἰκεῖα.* Fuit tamen in hoc ineundo certamine etiam Euphorionis quaedam propria laus, id quod ex Quinctiliani verbis intelligitur: „Aeschylus grandiloquus est saepe usque ad vitium, sed rudis in plerisque et incompositus. Propter quod correctas eius fabulas in certamen deferre posterioribus poetis Athenienses permisere, suntque eo modo multi coronati."

Bellum Peloponnesium constat a Corinthiis conflatum esse hac de caussa. Epidamnios contra Corcyraeos adiuvantes ab his proelio navali victi sunt. Quo facto quum maioribus opibus bellum pararent simulque Atheniensium societatem quaererent, Corcyraei legatis ad eosdem missis perfecerunt, ut hi foedus et societatem cum ipsis iungerent non ita quidem, ut eosdem utrique hostes eosdemque amicos haberent (nam si adversus Corinthios iussi essent cum Corcyraeis proficisci, ruptum esset foedus, quod eis erat cum Peloponnesiis), sed ut, si quis Corcyram Athenasve aut eorum socios invaderet, alteri alteris auxilio es-

sent. Nam etiam non receptis Corcyraeis bellum sibi cum Peloponnesiis fore intelligebant, nec Corcyram Corinthiis committere volebant tantum navium habentem (plurimum enim eo tempore civitatium Graecarum navibus pollebant Athenienses, Corinthii atque Corcyraei); Corinthios autem Corcyraeosque bellum inter se gerentes vires suas invicem atterere utile ipsis videbatur; simul opportune sibi insulam Corcyram sitam esse arbitrabantur in Siciliam Italiamque navigantibus. Itaque foedere facto, decem naves auxilio Corcyraeis mittentes, ducibus praeceperunt, ne cum Corinthiis pugnarent, nisi adversus Corcyram navigantibus in terramque descendere volentibus, hoc vero pro viribus prohibere iusserunt, diligenter caventes, ne foedera rumperentur. Quare cum proelium a Corcyraeis Corinthiisque acerrimum committeretur, Atheniensium naves sociis, sicubi premerentur, praesto erant, metum quidem incutientes hostibus, pugnam tamen nequaquam committentes. Nihilominus postremo victis profligatisque Corcyraeis eo necessitatis ventum est, ut manum cum Corinthiis Athenienses consererent. Quum iam serum esset diei, Corinthii paeana canere orsi, tanquam victos insecuturi, repente conspexerunt viginti naves Atheniensium venientes, quas ii post decem priores subsidio miserant, veriti id quod acciderat, ne Corcyraei superarentur neve decem naves suae pauciores essent, quam ut eos tutarentur. Quibus prospectis, remos inhibuerunt retroque abierunt. His ita gestis et utroque exercitu victoriam sibi vindicante, Corinthii Atheniensibus exprobrarunt, quod contra se latis armis ruptoque foedere sibi, quominus hostes suos ulciscerentur, impedimento fuissent. Deinde odium Atheniensium prae se ferentes, societate inita cum Perdicca, Macedonum rege, Potidaeenses, ipsorum quidem colonos, sed Atheniensium socios, ad defectionem perduxerunt, quorum exemplum aliae complures Thraciae civitates secutae sunt. Tum, Potidaeensibus ipsi auxilio venientes, cum Atheniensibus manum conseruerunt victique sunt. „Atque hae suberant irascendi mutuo caussae Atheniensibus atque Peloponnesiis: Corinthiis quidem, quod Potidaeam, ipsorum coloniam, Corinthiosque viros ac Peloponnesios, qui in ea

erant, oppugnarent; Atheniensibus autem, quod civitatem sociam sibique vectigalem ad defectionem induxissent et, ex professo venientes, pro Potidaeensibus cum ipsis dimicassent" *). Quum deinde oppugnaretur Potidaea, Corinthii socios instigarunt, ut Lacedaemonem convenirent, ipsique venientes Athenienses accusarunt, quod ruptis foederibus iniuriam facerent Peloponnesiis. Sic bellum Peloponnesium decretum est.

Acutissime observavit Vaterus in Rhesi vindiciis p. 165. cap. V, 35. pactum Aegei et Medeae simillimum esse foederi Atheniensium et Corcyraeorum. Rogatus enim a Medea Aegeus, ut eam reciperet Athenis, haec respondet:

πολλῶν ἕκατι τήνδε σοι δοῦναι χάριν,
γύναι, πρόθυμός εἰμι — —
τοσόνδε μέντοι σοι προσημαίνω, γύναι·
ἐκ τῆςδε μὲν γῆς οὔ σ' ἄγειν βουλήσομαι,
αὐτὴ δ' ἐάνπερ εἰς ἐμοὺς ἔλθῃς δόμους,
μενεῖς ἄσυλος, κοὔ σε μὴ μεθῶ τινι.
ἐκ τῆςδε δ' αὐτὴ γῆς ἀπαλλάσσου πόδα·
ἀναίτιος γὰρ καὶ ξένοις εἶναι θέλω.

Non minus igitur caute circumspecteque Aegeus Medeam, a Corinthiis iniuria affectam, in fidem tutelamque recipit, quam Athenienses Corcyraeis, ne ab iisdem profligarentur, auxilio fuerunt. Neutrum autem patrocinium iis, qui susceperunt, salutare fuit et Corcyraei quoque suos ipsi colonos Epidamnios, cum supplices in Iunonis templo sedentes auxilium contra barbaros peterent, prodiderant. Ad hanc rerum conditionem respicere chorus mulierum Corinthiarum videtur eo loco, quo Atheniensium vicem dolet, quod feminam nefariam civitate laribusque recepturi sint:

πῶς οὖν ἱερῶν ποταμῶν
ἢ πόλις ἢ φίλων
πόμπιμός σε χώρα
τὰν παιδολέτειραν ἕξει;

quomodo igitur te (Medeam) sacrorum fluviorum civitas aut amicorum terra recipiens libero-

*) Thuc. I, 66.

rum interfectricem tuebitur? Ceterum vide ne scribendum sit:

πῶς οὖν ἱερῶν ποταμῶν
πόμπιμός σε χώρα
ἢ πόλις ἁ φίλων
τὰν παιδολέτειραν ἕξει;

Certe enim aptius terrae, quam civitati, fluvii tribuuntur. Movet me autem, ut sic scriptum fuisse coniiciam, maxime antistrophicorum plane deplorata conditio, quae crux criticorum transponendis versibus facillime tolli posse videtur sic:

πόθεν θράσος ἢ φρενὸς ἢ
καρδίᾳ 'πιλήψει, (cod. Flor. A.)
χειρὶ τέκνοις σέθεν
δεινὰν προσάγουσα τόλμαν;

Sed utut haec sunt, amicorum civitatem Athenienses a feminis Corinthiorum appellari manifestum mihi esse videtur: ineptus enim redit sensus, si πόμπιμος ad φίλων referatur sic, ut terra significetur amicorum prosecutrix. Dolet igitur poeta, quod Atheniensium Corinthiorumque amicitia disrupta sit, utque denuo iungatur monet. Idem, egregias Athenarum laudes a Corinthiis ipsis praedicari faciens, nonne hos dehortari videtur, ne bello lacessant populum Musarum artibus excellentem, neve infestis armis invadant terram nulla unquam hostium invasione vastatam (ἱερᾶς χώρας ἀπορθήτου τε)? Artium liberalium, eruditionis sapientiaeque studium Athenis florens quasi dedita opera laudare Euripides videtur eo tempore, quo timendum erat, ne illud studium interpellaretur imminuereturque erumpente bello, quod atrocissimum diuturnissimumque fore omnes praevidebant. Hoc agens etiam Pandionem, Aegei patrem, σοφὸν appellavit (v. 660.), quod profecto mirandum esset *), nisi ad maiores transferri virtutes posteriorum solere notum esset.

Multis etiam aliis in locis ad rerum publicarum iras et

---

*) Schol.: κατὰ τί γὰρ σοφὸς ὁ Πανδίων λέγεται; οὐ γὰρ δὴ ὠνόμασται τοιοῦτον αὐτοῦ τὸ ἔργον, ἀλλ' οὐδὲ πανουργίας ἐχόμενον, ὥστε διὰ τοῦτο λέγεσθαι αὐτὸν σοφόν.

studia respectum ab Euripide esse verisimile est; sed de hac re, deperditis fabulis tribus, difficile est iudicare. Verumtamen unum monere non alienum esse videtur. Manifesto graecarum gentium humanitas et barbarorum feritas in omnibus his fabulis comparatae erant et ex adverso positae, multaque poetae eveniebat opportunitas illius praestantiam, huius immanitatem sic praedicandi, ut docerentur Graeci hoc sibi agendum esse, ut compositis simultatibus ad domandos barbaros studia viresque coniungerent, neve artium litterarumque florem, quibus excellebant, bellis intestinis ipsi corrumperent. Eodem redeunt quae de harum fabularum compositione deque poetae consilio Schoell (p. 154 seqq.) disputavit, qui tamen ad gentium cognationem omnia referendo nimis angustis finibus rem inclusisse videtur.

A. Medea.

Medea vehementissimo Iasonis amore abrepta, in hoc solo nitens, huic uni studens, quidquid habuerat carissimi, omnia vitae praesidia amiserat. Hunc enim ut servaret, non solum patrem parentesque prodiderat, sed fratrem quoque interfecerat miserrime; huic ut gratificaretur, Peliam cum filiabus perdiderat, huius commodo prospiciens Corinthios beneficiis affecerat, huius amore freta patria relicta a Thessalia exsulabat. Tam furiosam mulierem, tam pietate carentem, tam cupiditati omnia officia postponentem quomodo se habituram, quidnam facturam putamus, si se ab eo, cui se totam tradidit, cuius gratia quidvis perfecit, spretam destitutamque viderit? quam vehementi eam dolore incendi necesse est, repudiatam a coniuge et virgini formosiori postpositam? quam temeraria consilia animo moliri, praeditam non vulgari prudentia, instructam arte magica, divina stirpe superbam? Tanta vi doloris iracundiaeque concitata femina in scenam produci ad conquerendum infortunium suum prodendumque animi affectum, praesertim in principio dramatis, non potuit. Pru-

dentissime igitur rem sic instituit poeta, ut non prius in conspectum theatri prodiret, quam, vehementissimo doloris primum erumpentis impetu sedato, mentis rursus compos consilia iniret ulciscendorum inimicorum. Delegavit autem munus fortunam eius animique habitum declarandi iis, qui, summa cum ea familiaritate coniuncti, et aeque dolendo et mala futura praesagiendo pavore spectatores imbuere possent. Bene sciteque idem instituit, ut, postquam nutrix timendum esse dixisset, ne non modo in eos, a quibus se iniuria affectam esse crederet, Medeae immanis ulciscendi libido grassaretur, sed etiam suos ipsa liberos ex Iasone procreatos morte afficeret, statim ipsa miserrima materni furoris piacula in conspectum adducerentur, et quidem laeta securaque, a puerilibus exercitationibus duce praeceptore redeuntia.

Prooemium nutricis indignatione metuque concitatae imprimis grave ornatumque est, id quod etiam veteres merito laudarunt *). Neque tamen defuerunt homines frigidi ineptique, qui rectissima quaeque ac praestantissima reprehenderent, velut Timachidas nescio quis aegre tulit, quod praepostere primo navem in mare demissam, deinde materiam caesam esse commemoraretur **). Nec minus absurde quidam (ad v. 97.) reprehendit, quod lamentationes Medeae audiantur, cum tamen paullo ante dicta sit *κεῖσθαι ἄσιτος σῶμ' ὑφεῖσ' ἀλγηδόσι.* Verum talia levia sunt vixque conferenda cum errorum perversitate, quam nostra aetas peperit.

Tandem Medea, quum antea semper prona humi iacuisset, dolore victa, cibum respuens, lacrimis contabescens, rupis instar, cui fluctus alludunt, immota torpensque, muta praeter exclamationes quasdem et gemitus, haec igitur in tantum subito furorem erumpit, tanto clamore se et maritum cum sponsa totaque domo regia exsecrat, tanta ira-

---

*) Schol.: *ἐπαινεῖται δὲ ἡ εἰςβολὴ διὰ τὸ περιπαθῶς ἄγαν ἔχειν καὶ ταῖς ἐκβολαῖς εὖ κεχρῆσθαι.*

**) Merito ob id castigatus est a scholiasta *ὁ ἀγνοήσας τὸν τρόπον τῆς ποιήσεως ποιητικόν.*

cundia deos iurisiurandi testes pactorumque praesides implorat, ut his vocibus per duplices aedium portas auditis mulieres Corinthiae acciantur, quae propter saevum mulieris ingenium et praefractam naturam non minus quam nutrix, ne insigni aliquo facinore iram expiet, verentur. Tamen, mitigari ferociam eius sermonibus posse sperantes, nutrici persuadent, ut eam, priusquam mali aliquid intus perficiat, evocare et in colloquium suum adducere omni opera studeat. His prima pars tragoediae, quae continet prologum cum parodo, absolvitur, qua tanquam orationis exordio magnifico, ut attenti suspensique spectatores redderentur, effectum est. In hoc igitur quasi vestibulum dramatis intrantes statim admiratione occupamur tantaque rerum, quae eventurae sunt, exspectatione praeparamur, ut necessario patrari scelera quamvis immania et naturae humanae contraria intelligamus.

Quum in medias res non minus tragoedia, quam reliqua poemata, quo quidque est praestantissimum, rapere soleat, fere insigni aliquo infortunio oppressi magnisque malis circumventi homines statim initio inducuntur. Quae mala postquam prologo sunt exposita, parodus saepissime doloris eorum, qui in illis malis versantur, declarationem continet simulque studii significationem eorum, qui vel rumore vel clamore vel alia caussa acciti adesse laborantibus constituerunt. Post haec non minus certo ordine ii, quorum lamentis accitus est chorus, caussam dolorum fusius exponere et sortis suae iniquitatem longiore oratione ostendere solent. Qua in re non est mirandum, quod saepe iidem, qui modo vehementer concitatis animis tumultuati sunt, subito sedati mitigatique conspiciuntur et cogitate considerateque non solum de suarum rerum statu, sed etiam de universis rebus humanis naturaque mortalium disserunt. Primum enim temporum intervalla alia sunt scenae, alia veritatis. Deinde haec est natura doloris, ut, primo eius impetu sedato, homines a stupore et lamentis ad meditationem transeant, atque, etiamsi antea nonnisi proxima quaeque attenderint, iam remotiores rerum caussas investigent, hoc agentes, ut a suis moribus in commune

mortalium fatum culpam transferant: unde fit, ut omnes miseri philosophentur. Hic est quasi tertius quidam gradus, in quem vehementia doloris, cum saevire desiit, descendere solet. Itaque Medea, ubi mulierum, quas beneficiis affecit et a quibus ipsa diligitur, invitationi obtemperavit, plane immutata planeque dispar est ei, quam modo clamantem tumultuantemque audivimus: non furibunda, sed considerata, callida, insidiosa. Hoc statim oratione ostendit callidissima et ad conciliandum mulierum favorem, quarum consensu ea, quae parat, exsecutura est, aptissime composita. Primum enim comem se, facilem affabilemque esse ostendit, alienam ab austeritate et morositate eorum, qui, quum inter peregrinos versentur, conversationem popularium et consuetudinem vitent *). Deinde iniuriam, qua affecta est, sic conqueritur, ut communem feminarum sortem deplorandam esse ostendat. Tum iniuste tractari aut sperni a marito cum omnibus ait miserum morteque peius esse, tum sibi, patria, domo, parentibus cognatisque privatae, ad quos quasi in portum perfugiat, desperatum. Rogat igitur chorum, ut, si qui dolus sibi inventus sit, quo et maritum et aemulam et patrem eius ulciscatur, tacendo secum conspiret. Nam crudelia se moliri non esse mirandum: etenim mulieres, cum sint alioquin timidae ac formidolosae, spretas a coniugibus ac postpositas aemulis ad crudelitatem propensissimas esse. Chorus, quae est illius saeculi ingenuitas, neque hoc verum esse negat, et

---

*) Ennius etsi perperam Euripidis verba intellexit, tamen docere nos potest, non sic, ut nunc scribuntur, antiquitus illa scripta fuisse. Hoc igitur duce haec reponenda esse censeo:

— οἶδα γὰρ πολλοὺς βροτῶν
σεμνοὺς γεγῶτας τούς τε δωμάτων ἄπο
τούς τ᾽ ἐν θυραίοις· οἱ δ᾽ ἀφ᾽ ἡσύχου ποδὸς
δύςκλειαν ἐκτήσαντο καὶ ῥᾳθυμίαν.

Verte: scio multos homines superbiae insimulatos esse (cf. Hipp. 93.), qui procul a domo et inter peregrinos versarentur, atque hos ex inertia (quod domi se tenentes cum popularibus conversari nollent) infamiam sibi et negligentiae crimen peperisse.

aequum esse, ut Medea maritum ulcisceretur, iam antequam ab hac doceretur, censuit *).

Incendio, Iasoni domoque regis parato, Creon ipse facem addit. Nam comperto Medeam perniciem omnibus minari, occupare eam studens, Corinthia terra statim eam excedere iubet, sed quum longe sit Medea calliditate atque audacia inferior, decipitur atque circumvenitur. Nam innocentem se illa, simplicem submissamque esse simulans, quum iracundia aestuet, ad preces descendit, suppliciter orans, ut unum saltem diem, quo vitae subsidia liberis prospiciat, manere liceat, id quod Creon, mollior quam prudentior, concedi opinans sine magno periculo posse fallitur. Hoc impetrato Medea triumphat, neque iam cunctandum esse rata, statim quamnam potissimum ultionis viam ingrediatur deliberat. Dolo atque occulte inimicos interficere optimum ei videtur ea conditione, si, hoc perpetrato, salutis aliqua spes et quasi portus ostensus sit, quo perfugere tuto possit; sin nullo invento perfugio eiiciatur, ipsa arrepto ense, etiamsi moriendum sit, caedem patrare et extrema quaeque audere constituit: neque enim committendum esse, ut ipsa, Solis neptis, ludibrio sit Sisyphi proli atque Iasoni, sed omnibus artibus consiliisque, adiuvante Hecate, enitendum, ut funestas illis nuptias acerbamque reddat fugam suam.

His ubi ad atrocia se facinora certamenque audaciae ineundum accinxit, actus finitur secundus, quem excipit *στάσιμον* primum, quo docetur immerito feminarum levitatem ac perfidiam antiquis carminibus diffamatam esse: nam si poetica facultas feminis data esset, non minorem fuisse virorum quam mulierum infamiam nec rariora frau-

---

*) V. 156. Hic quoque locus corruptelam traxit talem, quae non possit ope codicum sanari; vera latent in scholiis:

εἰ δὲ σὸς πόσις καινὰ λέχη σεβίζει,
κείνῳ τόδε χαράσσου·
Ζεὺς σὺν Δίκᾳ σοι ἔπεισιν, μὴ λίαν κτλ.

Antistrophica sic scribendo reddes congruentia:

ἀλλὰ βᾶσά νιν δεῦρο πόρευσον οἴκων
ἔξω, φίλα τάδ' αὔδα·
σπεῦσον πρὶν καί τι κακῶσαι τοὺς ἔσω κτλ.

dis laesaeque fidei crimina futura. Indignissima autem et miserrima esse quae passa sit Medea e patria abducta, in peregrina terra destituta, insuper exsulare iussa, neque habens quo se conferat.

Venit in colloquium Medeae, ad audacia quam dolosa consilia propensioris, Iason, simulans quidem se commodo et illius et liberorum prospicere, revera autem partim virginis desponsae amore captus et barbarae mulieris coniugium fastidiens, partim proprii commodi studio ductus. Et novam iniuriam superioribus addit, quum liberorum possessione Medeam cedere iubeat. Cuius caecitas, ex cupidine nata, tanta est, ut etiam Medeae libidinem, qua quondam carissima quaeque Iasonis amori postposuit, superare videatur. Nam nisi plane mentis aciem ei voluptatis utilitatisque ratio obstrinxisset, non posset postulare, ut mulier tanti animi tantaeque confidentiae, cuius opera et consiliis ipse omnia, quibuscunque gloriatur, adeptus est, patienter ferat se non solum gratia beneficiorum privari, sed etiam reliquis, quae optimo iure tenet, exui, satisque habeat, quod liceat ei marito liberisque spoliatae in domo aemulae vitam trahere contumeliosam. Ceterum quo stupidior est in explenda, hoc acutior sollertiorque in defendenda cupidine, satisque speciosis argumentis accusationem Medeae, summa cum indignatione in eum invectae, diluere conatur. Nam quum illa impudentiam ei exprobrasset, quod ipsius non vitasset conspectum, quum et beneficia percensuisset et promissorum dataeque fidei eum admonuisset, quam nulla necessitate coactus violasset, denique se in desperatam sortem illius perfidia detrusam esse ostendisset, hic primum gratiae referendae officio se solutum esse iudicat ideo, quod nil non Venere iubente cogenteque a Medea effectum sit *), deinde omnia illius

*) Insignis corruptela, quae latet in versibus 529—531., pridem ope scholiorum sanari potuit sic scribendo:

ὃ δ' ἔστι μέν μοι λεπτός, ἀλλ' ἐπίφθονος
λόγος, διελθεῖν, ὡς Ἔρως σ' ἠνάγκασε
πόνων ἀφύκτων τοὐμὸν ἐκσῶσαι δέμας.

De vocabuli λεπτός vi cf. v. 1081.

beneficia ait compensata esse hac una re, quod e barbaris ad Graecos perducta beneficio legum vitaeque cultioris utatur simulque, ingenii sui sollertiae prodendae facultatem adepta, gloria per totam Graeciam celebretur; nuptias autem se dicit inire non virginis cupidine perculsum, sed liberos suos Medeamque ipsam adiuvandi studio permotum, neque Medeam factum utilissimum improbaturam fuisse, nisi tori consortio uti more omnium mulierum primum esse duceret. Haec uno verbo Medea refutat: debuisse enim Iasonem, si bene suis consulere voluisset, non clam neque invita uxore priore, sed consentiente, novam ducere. Ceterum hospitia illius et oblata subsidia aspernatur ipsumque cum domo eius exsecrat.

Haec dramatis pars, etsi ad res enodandas minimum promovet, tamen eo, quod caussas rerum et consilia hominum moresque explanat, totius fabulae gravissima est. Actionem autem rerum etiamsi non statim provehit, tamen augendo ultionis necessitatem maturat.

His actis chorus praestantissimo carmine primum optat, ut ab immoderati amoris stimulis, qui et honestati et fidei inimicus sit, perpetuo vacet; deinde patria, cognatis propinquisque privari, quum in unius hominis fide acquiescas, miserrimum esse dicit et morte ipsa peius: itaque Medeae sortem deplorat, Iasonis autem perfidiam abominatur.

Quod sequitur episodium magnum momentum ad res expediendas affert efficiendo, ut Medea, quae adhuc in ancipiti deliberatione haesitavit, repente totam agendi rationem constituere queat et sine cunctatione quae vult perficere. Quod momentum etsi e fortuito Aegei adventu natum extrinsecus infertur, tamen etiam interna quadam necessitudine cum reliquo fabulae argumento connectitur. Iasoni enim, novis nuptiis ita studenti, ut liberos ex priori matrimonio susceptos perdat, quodammodo contrarius est Aegeus prolis nanciscendae caussa et oraculum adiens et Troezena proficiscens et Medeam recipiens, denique prole donatus eiusdem feminae opera, cuius ille privatur. Quamobrem non recte Aristoteles Euripidem reprehendisse videtur, quod Aegei personam praeter naturam adhibuerit,

Poet. c. 25. §. 19: *ὀρθὴ δ' ἐπιτίμησις καὶ ἀλογία, ὅταν μὴ ἀνάγκης οὔσης μηδὲν χρήσηται τῷ ἀλόγῳ, ὥςπερ Εὐριπίδης τῷ Αἰγεῖ.* Nihil enim interest, utrum casu Aegeus ipse interveniat, an cum eo per nuntium agatur: quorum illud, quoniam simplicius est, melius dramati convenit.

Prodit igitur Aegeus, qui, exposita itineris caussa invicemque Medeae conditione cognita, precibus huius supplicibus satisfacit, neque solum se eam civitate domoque ex Corintho profugam recepturum esse, sed etiam defensurum, neque ullis hostibus exposcentibus dediturum, fide et iureiurando dato pollicetur. His peractis abit, choro eum cum fausta precatione prosequente. Medea autem nunc demum portum nacta, in quem, sumpto de hostibus supplicio, tuta perfugere possit, sibi gratulatur statimque omnia consilia sua choro aperit. Quorum partem, quae ad sponsae Iasonis et propinquorum eius necem pertinet, chorus silentio comprobat, liberorum autem caedem, ut nefariam, abominatur; sed frustra obloquitur mulieri obstinati animi praefractique ingenii atque ei, quae haec iam diu in animo volvens perpenderit. „Non ferendum est," inquit, „me ab inimicis irrideri et penitus me pessumdedit fiducia viri perfidissimi. Nemo me inertem, imbecillem patientemque existimet, sed contrariae naturae, gravem inimicis, amicis autem utilem: talium enim vita gloriosissima est." Perpetrata carissimorum liberorum caede et commisso facinore immanissimo statim e terra, quae tantum viderit nefas, egressura est.

Interponitur deinde carmen non minus iucundum quam grave, quo ipsa terra Atheniensium propter felicissimam coeli temperaturam fecunda esse sapientiae praedicatur, et quidquid est pulcrum venustumque vel ad artium eruditionisque studium vel ad decus honestatemque pertinens, ibi nasci et habitare docetur. Harmonia enim a Musis ibi constituta est, Venus autem rosarum serta perpetuo capillis innectens Amores excitat, qui cum sapientia coniuncti multiplicis virtutis sunt adiutores. Quomodo igitur tam sancta tamque pura terra te impiam feminam, liberorum interfectricem, receptura est? Considera necem, quam sus-

cipis! Ne, per genua te omnes omni modo supplices oramus, ne liberos interficias. Unde istam animo atrocitatem sumes, ut liberis manum iniicias temerariam? Quomodo eos adspiciens a lacrimis temperabis? Haud sustinebis liberis suppliciter procidentibus nece cruentam polluere manum!

Misit Medea aliquem de famulis, qui Iasonem arcesseret. Quem blanda oratione delenit rogans, ut ignoscat priori iracundiae, simulansque se sententiam mutasse, probare nuptias et sibi utiles et Iasoni honestas, cedere potentioribus, velle etiam adiuvare Iasonis consilia sponsamque eius, sicut aequum sit, oblectare. Tum liberos e domo evocatos, quasi pace reconciliata, dextras patri iungere eumque amplecti iubet. Hoc dum fit a liberis, repente lacrimae Medeae de caede eorum cogitanti prorumpunt; sed statim se colligens gratiae reconciliatione se tam vehementer moveri simulat. Tum vero Iason, admodum benignus, ipsam quidem collaudat, filiis autem se prospecturum ostendit, et sperare eos aliquando Corinthiae terrae principes fore ac timendos hostibus. Inter haec dicta rursus Medea pallescens aversoque ore lacrimas fundit, quas cum Iason sollicitudine de futura liberorum sorte excitari credat, facilius adducitur ad gratificandum matri roganti, ut exsilii remissionem filiis a Creonte impetrare studeat. Cuius precationis adiuvandae caussa Medea dona se dicit sponsae pretiosissima, a Sole ipso tradita, peplum coronamque auream (veneno scilicet infecta), missuram esse, statimque ornamenta manibus liberorum imponit, utque reginae ipsi in manus tradant, enixe monet: illam enim a diis augeri, illam regnare, illam beatam esse debere non una, sed mille rebus. — Hoc episodio praestantius quidquam inveniri posse nego. Tam admirabiliter enim miscentur res diversissimae, simulatio et veri sensus significatio, tam necessario altera ex altera nascitur, tam opportune se invicem adiuvant, tam scite ad unum eventum non minus fortuita quam quaesita diriguntur, tam apte etiam quae inter se pugnare videntur congruunt, ut non hominis alicuius arte, sed naturae necessitate procreatum esse putes opus, cuius singularum partium non simplex, sed multi-

plex sit usus, nulla serviente, nulla imperante, universis autem admirabili quadam vi inter se conspirantibus. Itaque blanditiae ipsae Medeae iracundiam eius manifestant, cum in ironiam abiens impudentem Iasonis arrogantiam irrideat; tum, quasi in praeceps adducta dissimulandi audacia, repente abrepta doloris vi ad prodendos veros animi sensus delabitur, unde rursus, quasi ex mentis alienatione, rediens, dum fictas caussas veris affectibus praetexit, ex ipsa ruina, tanquam ex insidiis, in caecum hostem impetu facto, citius eum miseriusque prosternit; denique, dum manus se dare victas simulat, victoriam sibi gratulatur atque triumphat. Liberi Medeae hoc ipso tempore, quo ornatum ad Glaucen deferunt, ad mortem proficisci videntur, quorum sortem deplorans chorus simul et sponsam, funeream vestem pro nuptiali induturam, et Iasonem et Medeam miseratur.

Reversis liberis certior facta Medea acceptum esse donum et fugam illis remissam, iam immanissimum sibi facinus patrandum esse videns, ingemiscit. Adstantibus filiis obscure conqueritur, quod in perpetuum iis privetur, quod frustra pepererit, frustra educarit, frustra dolores laboresque susceperit, quod acerbam transactura sit vitam reliquam. Inter haec liberis ei arridentibus, tam vehementer horum securitate commovetur, ut non multum absit, quin valere consilia sua iubeat. Hinc postquam recordatione se irrisui hostibus esse se rursus collegit, denuo pietatis sensu vincitur, dum in domum destinatos caedi intrare iubet. At enim committendum non esse censet, ut hostium ultioni liberi exponantur: ergo eorum interitum non esse vitandum. Ultimum igitur dulcissima corpora osculatur atque amplectitur, vehementi quidem dolore victa, sed vehementiore iracundia. Haec sine dubio praestantissima est dramatis pars, et frequentibus artificum imitationibus celebrata fuit, quas postea commemorabimus.

Dum Medea, quemnam dona eventum habitura sint, anxie exspectat, interim chorus subtiliori ratione philosophans quaerit, praestetne prolem gignere an liberis carere, ac consideratis laboribus, aerumnis ac doloribus, quibus parentes a liberis affici soleant, non gignere commodius esse censet. Venit deinde nuntius atque interponitur hu-

ius narratio de Glaucae Creontisque interitu. Intrantibus Medeae filiis, Glauce oculos avertit atque expalluit; sed Iasonis blanditiis et magis etiam donorum illecebris mota, viro omnia annuit. Vixque ille cum liberis discesserat, cum peplum induit et coronam capiti applicavit, imagini suae in speculo arridens multumque oculis ad cervicem respiciens. Dum deinde compta obambulat, subito pallescens tremensque corripitur, oculis vel clausis vel distortis, muta, spuma ore defluente; tum graviter ingemiscit, corona flammas emittente peplisque viscera depascentibus. Tandem una cum patre, qui auxilio accurrit filiamque amplectitur, flammis miserrime consumitur.

His cognitis, Medea iam non cunctandum, sed statim necatis liberis e terra excedendum esse intelligit. Accingitur igitur ad caedem, quam non minus sibi ipsi, quam illis, inferre videtur.

Caedes intus quidem perficitur, sed tam perspicue, ut vox puerorum chori opem implorantium eo ipso momento, quo interficiuntur, audiatur. Interim ille Solem Telluremque obtestatur, ut facinus prohibeant dirum horrendumque, neque ulli priorum conferendum praeter Inonis factum furiosae, quae quidem statim post caedem liberorum in mare se praecipitans cum filiis commortua sit.

Prodit Iason timens, ne quid mali filiis a Creontis cognatis ulciscendi caussa inferatur, cognitaque per chorum caede nefasta, fores aedium statim effringi iubet. Hoc dum molitur, subito Medea in curru supra aedes sublimis cum liberorum corporibus conspicitur, quem currum Sol ipse ei, ut ab hostium ultione tuta esset, suppeditavit. Sic vice dei, qui a machina dicitur, ipsa fungitur, neque solum res consummat, quasi calculo ducto iniuriarum atque poenarum, invicemque ab Iasone audit criminum enumerationem, sed etiam quae futura sunt de liberorum sepultura, de sua vita atque commoratione, de Iasonis obitu praedicit. Quibus dictis volucri curru per aerem Athenas ad Aegeum devehitur, frustra Iasone precante, ut saltem corpora liberorum manibus attingenda sepeliendaque sibi relinquat.

Poeta, quo nemo veterum melius feminarum naturam

perspexerat, nemo verius exprimebat, in hoc dramate ostendit feminam et gentis suae feritate et scelerum consuetudine et perturbationum animi vehementia et artis prudentiaeque fiducia a recta via depulsam et ad temeraria atque nefaria facinora pronam. Feminas exutis semel verecundiae pudorisque vinculis, quibus arctioribus, quam viri, teneri et coerceri solent, minus, quam hos, cupiditatibus imperare et ad immanissima facinora perpetranda abripi satis notum est multisque exemplis confirmatum. Ceterum facile est intellectu nihil feminis acerbius accidere posse, quam privari amore eorum virorum, in quibus fuerint totae quorumque gratia nihil non facere patique consuerint. Repudiari vero, cedere aemulae, domo, quin etiam terra expelli, quaenam mulier aequo animo ferat? Non miramur, quod viri, velut Achilles, honore spoliati amicos patriamque perditum eunt; feminas amisso eo bono, in quo solo vivere et spirare posse sibi videantur, ad immanem ulciscendi cupidinem abripi, num magis mirandum est? Atqui non minus impigra, iracunda, inexorabilis, acris, non minus viribus suis confidens, non minus feroci invictoque animo Medea quam Achilles conspicitur.

Idem autem poeta, qui Medeae personam effinxit, Iphigenias, Antigonas, Iocastas, Alcestides, Andromachas, Hecubas, Electras, Polyxenas, Helenas Aegyptiacas, Megaras, Andromedas et plurimas alias feminas praestantissimas repraesentavit, quarum obliti homines stupidissimi fabulam de *μισογυνείᾳ* eius, Aristophane verba praeeunte, decantare non desinunt. Neque reputaverunt, quod apud Aristophanem chorus ipse feminarum, minime refutans Mnesilochi criminationem, sed offensus solummodo ingenuitate eius, hoc confitetur:

ἀλλ' οὐ γάρ ἐστι τῶν ἀναισχύντων φύσει γυναικῶν
οὐδὲν κάκιον εἰς ἅπαντα πλὴν ἄρ' ἢ — γυναῖκες,

quodque in eodem dramate multo impudentiores fraudes a feminis factae repraesentantur, quam vel Mnesilochus vel Euripides iis imputarunt. Sententiarum, quibus vitia feminarum arguuntur, numerus pari numero earum, quibus virtutes earum praedicantur, compensatur. Quod autem eiusmodi sententiis, studio ductum criminandi, etiam in-

tempestive saepe usum esse Euripidem affirmant, inane est. Neque enim frequentius aut magis alienis locis huius generis sententias, quam reliquas, posuit, nisi si quae ab interpolatoribus obtrusae sunt, et multa eiusmodi dicta magis ingenuitati illorum temporum, quam Euripidis malignitati, tribuendae sunt, velut illud (v. 945.):

εἴπερ γυναικῶν ἐστι τῶν ἄλλων μία.

Destituerunt et Theseus Ariadnen et Minos Scyllam et Aeneas Didonem, quamvis vehementissime se ab his amari intelligerent et magnis affecti essent beneficiis. Etenim non sunt suavissimae feminarum eae, quae amores virorum quasi expugnare student. Minime vero omnium Medeae mores amabiles erant. Quo minus autem amore retinebatur Iason, hoc magis eum utilitatis studio duci necesse erat; accedente vero etiam cupidine potiundae virginis multo, quam Medea erat, venustioris, non est mirandum, quod Medeam deseruit. Praeter Iasonem Medeamque nulla huic fabulae persona inest conspicua. Chori vero munera tam sunt gravia, ut paene actoris vice fungi videatur. Ad universum enim sexum feminarum iniuria et contumelia, qua Medea afficitur, pertinere ei videtur ideoque communi opera censet ulciscendam esse. Hoc tantum curat, ne vel suae vel liberorum vitae vim inferat Medea. Quam dum ad colloquium chori evocat nutrix, optat, ut carmina vel incantamenta inventa sint, quibus libidines hominum nimis incitatae motusque animorum sedari mitigarique possint *): quae sententia aptissime inserta est ei fabulae, in qua amoris iraeque furore tam immane scelus perficitur, quantum reliquis animi perturbationibus perfici vix posse videtur. Nec minus reliquae sententiae ad aperiendam poetae voluntatem docendasque caussas rerum idoneae sunt: velut illud ad Iasonem spectans dictum (v. 85.), se quemque magis, quam proximos, amare, quem amorem, quamvis possit cum iustitia congruere, tamen saepe ab ea alienum esse; tum de libidine

*) Laudavit hanc sententiam Plutarchus in coni. praec. p. 143. C. et in Symp. VII, 7. p. 710. E.

regum, illos, quum multa possint, omnia se posse cupere neque imperare cupiditatibus *) (v. 120 seqq.).

Totius fabulae inventionem atque compositionem a Neophrone Sicyonio Euripidem mutuatum esse Dicaearchus atque Aristoteles apud argumenti prioris auctorem testantur, cuius verba haec sunt: *τὸ δρᾶμα δοκεῖ ὑποβαλέσθαι παρὰ Νεόφρονος διασκευάσας, ὡς Δικαίαρχός τε περὶ τοῦ Ἑλλάδος βίου καὶ Ἀριστοτέλης ἐν ὑπομνήμασι* **). Filios ab ipsa Medea interfici iam Neophronem finxisse patet ex fragmento, quod est apud Stob. Tit. XX. p. 172 = 107 = 323. Hinc intelligitur, quam inanis sit illa de quinque talentis divulgata narratio, quibus corruptum Euripidem tradunt parricidium filiorum a Corinthiis in Medeam primum transtulisse. Ceterum non sine correctione adhibita Neophronis fabulam imitatum esse Euripidem et per se planum est et scholiasta vocabulo *διασκευάσας* declarat et ex altero illius fragmento ad v. 1377. in scholiis posito perspicitur. Etiam post Euripidem plures poetae idem argumentum exornarunt ***), sed nemo illum laude aequavit, in qua re omnia veterum iudicia ac testimonia conspirant, nisi quis forte Aristophanem adversari putat ideo, quod quibusdam huius tragoediae versibus data opportunitate abusus sit (velut v. 302. 281. 369.). Et fuit qui Euripidem hunc versuum suorum abusum tam impatienter tulisse putaret, ut totum sibi opus retractandum et ad Aristophanis mentem accommodandum esse censeret ****). Neque tamen solus Aristophanes in ridiculum quaedam detorsit, sed Eupolis quoque ad Miltiadem suum transtulit Medeae verba (v. 394.) hoc modo:

οὐ γάρ, μὰ τὴν Μαραθῶνι τὴν ἐμὴν μάχην,
χαίρων τις αὐτῶν τοὐμὸν ἀλγυνεῖ κέαρ.

Quid, quod Philemon is, qui se, ut Euripidem intuendo oculos pasceret, laqueo vitae suae finem impositurum esse,

---

*) Satis imperite haec ab Elmsleio vituperantur ad v. 118—129.

**) Cf. Pflugk. p. 4.

***) Carcinus apud Aristot. Rhet. II, 44.

****) Cf. Osanni Analecta crit. p. 83.

si sensum mortuis permanere exploratum esset, dixit epigrammate quodam, is igitur ipse Euripidis verba deformare non est veritus:

ὥς ἵμερός μ' ὑπῆλθε γῇ τε κοὐρανῷ
λέξαι μολόντι τοὖψον ὥς ἐσκεύασα.

Totam fabulam in risum detorsisse videtur Strattis comicus, de quo videas Welckerum in mus. Rhen. I, 1. p. 137 seqq. et Schoellium in vita Sophoclis p. 163 seq. disserentes. Vituperatio quaedam Aristotelis exstat in Poet. c. 15. §. 7: *φανερὸν οὖν, ὅτι καὶ τὰς λύσεις τῶν μύθων ἐξ αὐτοῦ δεῖ τοῦ μύθου συμβαίνειν καὶ μὴ ὥςπερ ἐν τῇ Μηδείᾳ ἀπὸ μηχανῆς καὶ ἐν τῇ Ἰλιάδι τὰ περὶ τὸν ἀπόπλουν.* Medeae machinam nihil habere, quod vituperari posset, recte iudicavit Boeckhius, quum de duplici recensione coniecturam in medium proferret. Cui tamen obloquutus est Hermannus, qui, „at currus," inquit, „iste nihil est nisi adminiculum, ad quod confugit poeta, quum aliter eripere periculo Medeam nesciret. Estque illud tanto magis vituperandum, quod nemini non potest in mentem venire, cur Medea, quum talis currus copiam habeat, interficere liberos, quam una secum currui impositos abducere, maluerit." Itane? Quisnam igitur Medeae talis currus ei in extremo discrimine potestatem fore praedixerat? Nonne ne sibi ipsi moriendum esset, veritam illam esse declarant versus 798 seqq.: *ἴτω· τί μοι ζῆν κέρδος; κτλ.* De Medeae autem salute duplex exstat sententia, aliis non potuisse eam aliter, quam per machinam, servari, aliis ne debuisse quidem incolumem evadere, sed iustas crudelitatis poenas dare, censentibus. Quorum hi quidem poetae officium cum iudicis confundunt, illi necesse fuisse Medeam servari falso sibi persuadent. Certe enim Euripidi, occideretur illa an superstes esset, minime curandum fuit, et sexcentis aliis exemplis machinae importune adhibitae aptius uti, quam curru Medeae, licuit Aristoteli. Quippe machinam ille probabat, quatenus dii per eam demissi rebus extremis intervenirent, nolebat autem homines ipsos, quorum salus in discrimine versaretur, subito ex miseriis eripi atque auferri. Quasi mala ab hominibus, an homines ex malis auferantur, quidquam inter-

sit! Ne quid omittatur, quod sit in hac tragoedia a veteribus reprehensum, notarunt grammatici, quod non siccis oculis Medea de liberorum nece cogitet *). O siccum genus hominum! — Multi, quanti hanc fabulam fecerint, lectitando, imitando laudandoque testificati sunt: velut Chrysippus, Stoicorum princeps, in libro quodam tantum non omnes Medeae versus pro testimoniis posuerat, quae res ansam praebuit irridendi illius cuidam, qui interrogatus, quemnam librum manu teneret, Medeam, respondit, Chrysippi **). Ennius hanc tragoediam non imitatus est, sed paene verbum de verbo exprimens convertit. Summa laude dignam habuit Archimelus in epigrammate, quod supra transscripsimus. Quosdam versus imitatus est Ovidius libri VII. versibus 10—73. Saepius ad eam respexit Horatius (Epod. V, 61—66. Art. poet. 123.). Brutus, antequam mortem sibi inferret, versu 332. utens hostes exsecravit; eundem versum in risum quidam detorsit apud Athenaeum V. p. 156. F. Cicero quum ab inimicorum emissariis occideretur, in lectica sedens Euripidis Medeam manibus tenuit ***). Magna pars versuum a nobilissimis scriptoribus transscripta est, velut ab Aristotele in Rhet. II, 21. versus 298—301. Maxime autem omnium versus 1078 seq.:

καὶ μανθάνω μὲν οἷα δρᾶν μέλλω κακά,
θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων,

celebrati erant, quos sic imitatus est Ovidius l. l.:

— — — *video meliora proboque,*
Deteriora sequor.

Ex grammaticorum quoque, qui in scholiis commemorantur, studiis de frequentia lectionis iudicari potest. Exstabant enim vel commentarii vel recensiones Didymi (vide schol. ad v. 149. 171. 360. 383. 732. 1409.), Dionysii (vide Matthiaei notam ad v. 1409.), Apollodori (schol. ad v. 171. 149.), Timachidae ****) (ad v. 1. et 169.) atque Eurenaei (ad v. 222.). Denique commemorandum est, quod artifices

---

*) Cf. Schol. ad v. 911. atque argumentum prius.
**) Diog. Laert. VII, 180.
***) Hephaestio apud Photium CXC. p. 250.
****) Cf. de eodem schol. ad Aristoph. Ran. 873.

certatim Euripidis drama imitantes liberorum caedem repraesentarunt: quo in genere clarissima fuit Timomachi pictura *), cuius laus septem epigrammatibus praedicatur in Iacobsii Anthol. T. II. p. 667 seqq. lib. IV. n. 135—141. T. I. n. 354. p. 408. Confer etiam Lucianum de domo extr. et Philostr. Stat. Callistrati extr.

B. P h i l o c t e t e s.

Totius prologi paraphrasin Dio Chrysostomus dedit oratione LII. Ab eodem de reliquo fabulae argumento deque voluntate Euripidis atque instituto multa et gravia docemur. Ad nostrum respexit etiam Hyginus c. 102 **). Eiusdem tragoediam imitando ad Romanos transtulerat Attius.

Primum igitur prologi paraphrasin exhibebimus ita, ut, sicubi ipsa Euripidis verba servata erunt, haec pro Chrysostomi substituamus. Nec minus versionis Attii fragmenta adscribemus. In ipsa autem paraphrasi si qua vocabula ex genuinis retenta esse videbuntur, litterarum intervallis distinguemus.

Prodit igitur Ulysses forma per Minervam, ne cognosceretur, mutata:

Φοβοῦμαι, μή ποτε μάτην κατ' ἐμοῦ φανῶσι ταύτην οἱ σύμμαχοι τὴν δόξαν εἰληφότες, ὡς ἀρίστου δὴ καὶ σοφωτάτου τῶν Ἑλλήνων·

„πῶς δ' ἂν φρονοίην, ᾧ παρῆν ἀπραγμόνως,
ἐν τοῖσι πολλοῖς ἠριθμημένῳ στρατοῦ,
ἴσον μετασχεῖν τῷ σοφωτάτῳ τύχης;
οὐδὲν γὰρ οὕτω γαῦρον ὡς ἀνὴρ ἔφυ·

---

*) Plutarch. de aud. poet. c. 3. p. 18: *γράφουσι δὲ καὶ πράξεις ἀτόπους ἔνιοι, καθάπερ Τιμόμαχος τὴν Μηδείας τεκνοκτονίαν.*

**) „Tunc Agamemnon Ulyssem et Diomedem exploratores ad eum misit: cui persuaserunt, ut in gratiam rediret et ad expugnandam Troiam auxilio esset, eumque secum sustulerunt."

τοὺς γὰρ περισσοὺς καί τι πράσσοντας πλέον
τιμῶμεν ἄνδρας τ' ἐν πόλει νομίζομεν."

ὑφ' ἧς φιλοτιμίας κἀγὼ προάγομαι πλεῖστα πράγματα ἔχειν καὶ ζῆν ἐπιπόνως παρ' ὁντινοῦν, ἀεί τινα προςδεχόμενος καινὸν κίνδυνον,

„ὀκνῶ δὲ μόχθων τῶν πρὶν ἐκχέαι χάριν
καὶ τοὺς παρόντας οὐκ ἀπωθοῦμαι πόνους."

νῦν οὖν κατὰ πρᾶξιν πάνυ ἐπισφαλῆ καὶ χαλεπὴν δεῦρ' ἐλήλυθα εἰς Λῆμνον, ὅπως Φιλοκτήτην καὶ τὰ Ἡρακλέους τόξα κομίζοιμι τοῖς συμμάχοις· ὁ γὰρ μαντικώτατος Φρυγῶν Ἕλενος ὁ Πριάμου κατεμήνυσεν, ὃς ἔτυχεν αἰχμάλωτος ληφθείς, ἄνευ τούτων μήποτ' ἂν ἁλῶναι τὴν πόλιν *). Πρὸς μὲν δὴ τοὺς βασιλέας οὐχ ὡμολόγησα τὴν πρᾶξιν, ἐπιστάμενος τὴν τοῦ ἀνδρὸς ἔχθραν, ᾧ γε αὐτὸς αἴτιος ἐγενόμην καταλειφθῆναι, ὅτε δηχθεὶς ἔτυχεν ὑπὸ χαλεπῆς καὶ ἀνιάτου ἐχίδνης **). Οὐκ ἂν οὖν ᾤμην οὐδὲ πειθὼ τοιαύτην ἐξευρεῖν, ὑφ' ἧς ἄν ποτε ἐκεῖνος ἐμοὶ πρᾴως ἔχοι, ἀλλ' εὐθὺς ἀποθανεῖσθαι ᾤμην ὑπ' αὐτοῦ. Ὕστερον δέ, τῆς Ἀθηνᾶς μοι παρακελευσαμένης καθ' ὕπνους, ὥςπερ εἴωθε, θαῤῥοῦντα ἐπὶ τὸν ἄνδρα ἰέναι — αὐτὴ γὰρ ἀλλάξειν μου τὸ εἶδος καὶ τὴν φωνήν, ὥςτε λαθεῖν αὐτῷ ξυγγενόμενον — οὕτως δὴ ἀφῖγμαι θαῤῥήσας. Πυνθάνομαι δὲ καὶ παρὰ Φρυγῶν πρέσβεις ἀπεστάλθαι κρύφα, ἐάν πως δύνωνται τὸν Φιλοκτήτην πείσαντες δώροις ἅμα καὶ διὰ τὴν ἔχθραν τὴν πρὸς ἡμᾶς ἀναλαβεῖν εἰς τὴν πόλιν αὐτόν τε καὶ τὰ τόξα. Τούτου οὖν προκειμένου ἄθλου πῶς οὐ πάντα γίγνεσθαι χρὴ ἄνδρα πρόθυμον, ὡς διαμαρτάνοντι τῆς πράξεως ταύτης πάντα τὰ πρότερον εἰργασμένα μάτην πεπονῆσθαι ἔοικε.

---

*) Valck.:

Ἡρακλέους τε τόξα τοῖσι συμμάχοις
φέροιμ'· ὁ γὰρ δὴ μαντικώτατος Φρυγῶν
— — — — — —
ἄνευ γε τούτων μήποτ' ἂν πέρσαι πόλιν.

**) Attii fragm. 20: „Dracontem Attius in Philocteta, quod utique venit a nomine hic dracon."

Παπαί, πρόςεισιν ὁ ἀνὴρ αὐτὸς ὅδε ὁ Ποίαντος παῖς, οὐκ ἄδηλος τῆς ξυμφορᾶς, μόλις καὶ χαλεπῶς προβαίνων. Ὦ τοῦ χαλεποῦ καὶ δεινοῦ δράματος! Οὕτως τό τε (γὰρ) εἶδος ὑπὸ τῆς νόσου φοβερὸν ἥ τε στολὴ ἀήθης· δοραὶ (γὰρ) θηρίων καλύπτουσιν αὐτόν. Ἀλλὰ σὺ ἄμυνον, ὦ δέσποιν' Ἀθηνᾶ, καὶ μὴ μάτην φανῆς ἡμῖν ὑποσχομένη τὴν σωτηρίαν *).

Φ. τί δὴ βουλόμενος, ὅςτις εἶ ποτε σύ, ἢ τίνα τόλμαν λαβών, πότερον ἁρπαγῆς χάριν ἥκεις ἐπὶ τήνδε τὴν ἄπορον στέγην, ἢ κατάσκοπος τῆς ἡμετέρας δυςτυχίας;

„Quis tu es mortalis, qui in deserta Lemnia
Et tesca te apportas loca?"

ΟΔ. οὔτοι γ' ὁρᾷς ἄνδρα ὑβριστήν.

Φ. οὐ μὴν εἰωθώς γε πρότερον δεῦρο ἥκεις.

ΟΔ. οὐ γὰρ εἰωθώς· εἴη δὲ καὶ νῦν ἐν καιρῷ ἀφῖχθαι.

Φ. πολλὴν ἔοικας φράζειν ἀλογίαν τῆς δεῦρο ὁδοῦ.

ΟΔ. ἓν τοίνυν ἴσθι, οὐ χωρὶς αἰτίας με ἥκοντα, καὶ σοί γ' οὐκ ἀλλότριον φανησόμενον.

Φ. πόθεν δή; τοῦτο πρῶτον εἰκός με εἰδέναι.

ΟΔ. ἀλλ' εἰμὶ Ἀργεῖος τῶν ἐπὶ Τροίαν πλευσάντων.

Φ. πόθεν; εἰπὲ πάλιν, ὡς εἰδῶ σαφέστερον **).

ΟΔ. οὐκοῦν ἔτι δεύτερον ἀκούεις, τῶν ἐπὶ Ἴλιον στρατευσάντων Ἀχαιῶν εἶναί φημι.

Φ. καλῶς δῆτα ἔφης ἐμὸς εἶναι φίλος, ὁπότε γε τῶν ἐμοὶ πολεμιωτάτων Ἀργείων πέφηνας. Τούτων δὴ τῆς ἀδικίας αὐτίκα μάλιστα ὑφέξεις δίκην.

ΟΔ. ἀλλ', ὦ πρὸς θεῶν, ἐπίσχες ἀφεῖναι τὸ βέλος.

---

*) **Attius:**

„Contra est eundum cautim et captandum mihi."

) **Valck.:

πόθεν δέ; τοῦτο πρῶτον εἰδέναι με χρή.
Ἀργεῖός εἰμι, τοῦ πρὸς Ἴλιον στόλου.
πόθεν; λέγ' αὖθις, ὡς μάθω σαφέστερον.

Φ. οὐ δυνατόν, εἴπερ Ἕλλην ὢν τυγχάνεις, τὸ μὴ ἀπολωλέναι σε τῇδε τῇ ἡμέρᾳ*).

ΟΔ. ἀλλὰ πέπονθά γε ὑπ' αὐτῶν τοιαῦτα, ἐξ ὧν δικαίως σοὶ μὲν φίλος εἴην, ἐκείνων δ' ἐχθρός.

Φ. καὶ τί δὴ τοῦτό ἐστιν, ὃ πέπονθας οὕτω χαλεπόν; **)

ΟΔ. φυγάδα με ἤλασεν ἐκ τοῦ στρατοῦ Ὀδυσσεύς.

Φ. τί δὲ ἔδρας, ἐφ' ὅτῳ ταύτης τῆς τύχης ἔτυχες; ***)

ΟΔ. οἶμαί σε εἰδέναι τοῦ Ναυπλίου παῖδα Παλαμήδην.

Φ. οὐ γὰρ δὴ τῶν ἐπιτυχόντων οὐδὲ ὀλίγου ἄξιος συνέπλει οὔτε τῷ στρατῷ οὔτε τοῖς ἡγεμόσι.

ΟΔ. τὸν δὴ τοιοῦτον ἄνδρα ὁ κοινὸς τῶν Ἑλλήνων λυμεὼν διέφθειρε.

Φ. πότερον ἐκ τοῦ φανεροῦ μάχῃ κρατήσας ἢ μετὰ δόλου τινός;

ΟΔ. προδοσίαν ἐπενεγκὼν τοῦ στρατοῦ τοῖς Πριαμίδαις.

Φ. ἦν δὲ κατ' ἀλήθειαν οὕτως ἔχον, ἢ ἐπεπόνθει κατεψευσμένος;

ΟΔ. πῶς δ' ἂν δικαίως γένοιτο τῶν ὑπ' ἐκείνου γιγνομένων ὁτιοῦν, τοῦ μηδενὸς ἀποσχομένου τῶν χαλεπωτάτων;

Φ. ὦ λόγῳ τε καὶ ἔργῳ πανουργότατε ἀνθρώπων Ὀδυσσεῦ, οἷον αὖ τοῦτον τὸν ἄνδρα ἀνῄρηκας, ὃς οὐδενὸς ἧττον ὠφέλιμος ἦν τοῖς ξυμμάχοις, ἧπερ, οἶμαι, τὰ κάλλιστα καὶ σοφώτατα ἀνευρίσκων καὶ συντιθείς; ὥσπερ ἀμέλει κἀμὲ ἐξέθηκας ὑπὲρ τῆς κοινῆς σωτηρίας καὶ νίκης περιπεσόντα τῇδε τῇ ξυμφορᾷ, δεικνύντα τὸν Χρύσης βωμόν, οὗ θύσαντες κρατήσειν ἔμελλον

---

*) Valck.:

ἐπίσχες, ὦ πρὸς θεῶν, ἀφιέναι βέλος.
οὐκ ἔσθ' ὅπως οὐ κατθανῇ τῇδ' ἡμέρᾳ,
(Ἕλλην πεφυκὼς — — —).

**) Valck.:

τί δὴ πέπονθας ὧδε δεινόν, (ὦ ξένε);

***) Valck:

τί δρῶν δὲ τῆσδε τῆς τύχης ἐτύγχανες;

τῶν πολεμίων· εἰ δὲ μή, μάτην ἐγίγνετο ἡ στρατεία. Ἀλλὰ τί δή σοι προςῆκον τῆς Παλαμήδου τύχης*);

ΟΔ. εὖ ἴσθι, ὅτι ἐπὶ πάντας τοὺς ἐκείνου φίλους ἦλθε τὸ κακὸν καὶ πάντες ἀπολώλασιν, ὅστις μὴ φυγεῖν ἠδυνήθη. Οὕτως δὲ κἀγὼ τῆς παροιχομένης νυκτὸς διαπλεύσας μόνος δεῦρο ἐσώθην**). Σχεδὸν μὲν οὖν ἔγωγε, ἐν ὅσῃ χρείᾳ καθέστηκας αὐτός, οἶδα· ἢν δ' οὖν ἔχων τινὰ μηχανὴν ξυμπροθυμηθῇς ἡμῖν περὶ τὸν οἴκαδε ἀπόπλουν, ἡμᾶς τε εὖ πεποιηκὼς ἔσῃ καὶ ἅμα ἄγγελον ἀποπέμψεις πρὸς τοὺς ἑαυτοῦ οἴκαδε τῶν σοι προςόντων κακῶν***).

Φ. ἀλλ', ὦ δύστηνε, πρὸς τοιοῦτον ἕτερον ἥκεις ξύμμαχον, αὐτόν τε ἄπορον καὶ ἔρημον φίλων ἐπὶ τῆςδε τῆς ἀκτῆς ἐῤῥιμμένον †), γλίσχρως καὶ μόλις ἀπὸ τῶνδε τῶν τόξων πορίζοντα καὶ τροφὴν καὶ ἐσθῆτα, ὡς ὁρᾷς. ἣ γὰρ ἡμῖν ἦν ἐσθὴς πρότερον, ὑπὸ τοῦ χρόνου ἠνάλωται ††). Εἰ δὲ δὴ τοῦδ' ἐθελήσεις κοινωνεῖν τοῦ βίου μεθ' ἡμῶν ἐνθάδε, ἕως ἂν ἑτέρα σοι παραπέσῃ σωτηρία ποθέν, οὐκ ἂν φθονοῖμεν·

„δύςμορφα μέντοι τἄνδον εἰςιδεῖν, ξένε."

τελαμῶνες τε ἀνάπλεοι καὶ ἄλλα σημεῖα τῆς νόσου, αὐτός τε οὐχ ἡδὺς ξυγγενέσθαι, ὅταν ἡ ὀδύνη προςπέσῃ·

„καί τοι τὰ πολλὰ δὴ λελώφηκεν χρόνῳ
νόσος, κατ' ἀρχὰς δ' οὐδαμῶς ἀνεκτὸς ἦν."

Postquam intro abierunt in specum, caterva prodit Lemniorum. Hi excusant priorem derelictionem, quod tot annis non viserint Philoctetem neque ei opem tulerint †††): unde eos ne nunc quidem sine gravi aliqua caussa

---

*) Valck.: ἀτὰρ τί σοι προςῆκε Παλαμήδους τύχης;

**) Valck.: οὕτω δὲ κἀγὼ τῆς πάροιθεν εὐφρόνης κτλ.

***) Valck.: τῶν σοι παρόντων ἄγγελον πέμψεις κακῶν.

†) Idem: φίλων τ' ἔρημον κἀπὶ τῆςδ' ἐῤῥιμμένον Ἀκτῆς.

††) Idem: — — ἣ γὰρ πρὶν ἦν (malim ἣ γὰρ ἦν προτοῦ) στολή, μακρῷ δὴ πᾶσ' ἀνάλωται χρόνῳ.

†††) Dio LII.: καὶ μὴν ὁ χορὸς αὐτῷ (τῷ Αἰσχύλῳ) παραιτήσεως, ὥςπερ ὁ τοῦ Εὐριπίδου, οὐδὲν ἐδεήθη. Ἄμφω γὰρ ἐκ τῶν Λημνίων ἐποιήσαντο χορόν. Ἀλλ' ὁ μὲν Εὐριπίδης εὐθὺς

adyenisse intelligitur. Conspexerunt sine dubio legatos Troianorum e navi egredientes, quos quum Philoctetae caussa venisse suspicarentur, venerunt de hac re eum certiorem facturi, simul cognoscendi cupidi et colloquio interesse volentes. Ex hac parodo quaedam Attii fragmenta expressa esse videntur, quibus locus describitur, in quo Philoctetes habitabat:

„*Ubi horrifer Aquilonis stridor gelidas molitur nives*

— — — — —

Caprigenum trita ungulis."

Veniunt deinde statim legati ipsi, quorum caput Paris est. Hi habitationem Philoctetae ex choro sciscitantur:

„*Ubi habet? urbe agrone?*"

Ad quos postquam Philoctetes prodiit, genus eorum caussamque adventus sciscitatus —

„*Unde estis nautae huc hieme delati?*"*) —

invicem de sua sorte Philoctetes ipse exponit:

„*Repudio eiectus Argis iam dudum exsulo***).

— — — — — —

Vitam sagittarum aucupio propagino.
Configo tardus celeres stans volatiles,
Pro veste pinnis membra textis contegens,
Reciproca tendens nervo equino concita
Tela."

His auditis Paris caussam adventus aperit et hortatur Philoctetem, ut societate cum Troianis inita cognoscat

„*Phrygiam esse mitiorem immani Graecia*"***).

Neque repudiatur a Philocteta, id quod declarant verba, quibus Paridem, ut in specum intrare ne dedignetur, non solum benigne, sed etiam humiliter invitat:

ἀπολογούμενον πεποίηκε περὶ τῆς πρότερον ἀμελείας, ὅτε δὴ τοσούτων ἐτῶν οὔτε προσέλθοιε πρὸς τὸν Φ. οὔτε βοηθήσειεν οὐδὲν αὐτῷ.

*) Fragm. inc. 16.

**) Fragm. inc. n. 6. Vulgo: *eiecta ab Argis.*

***) Emendavit G. Herm. Opusc. III. p. 123.

„*Contempla hanc sedem, in qua ego novem hiemes, saxo*
Stratus, pertuli — — —.
Quod obsecro te, ne istaec aspernabilem
Inculta faxit tetritudo me mea."

Opportuno tempore Ulysses se interponit. Et callido utens orationis exordio, quieturum se fuisse dicit, si de privata ultione ageretur. Sed quum ad universi Graecorum exercitus interitum spectet res, turpe sibi esse tacere et barbaris, ut verba faciant, concedere:

ὑπέρ γε μέντοι παντὸς Ἑλλήνων στρατοῦ
αἰσχρὸν σιωπᾶν, βαρβάρους δ' ἐᾶν λέγειν.

Eandem suam, quam Philoctetae, conditionem esse, sed nunquam se quidem commissurum, ut privatas iniurias cum patriae pernicie ultum eat. Cuius oratione adeo commovetur Philoctetes, ut repudiatis Troianis Ulyssi se in patriam reducendum tradere constituat. Tum Paris, quod ira non potuerit cupidinem effecturam esse sperans, et regni et divitiarum, quae sint Troianis amplissimae, partem dimidiam Philoctetae, si victoriam his peperisset, pollicetur *):

ὅρα δέ γ', ὡς κἀν θεοῖσι κερδαίνειν καλόν,
θαυμάζεται δ' ὁ πλεῖστον ἐν δόμοις ἔχων
χρυσόν· τί δῆτα καὶ σὲ κωλύει λαβεῖν
κέρδος, παρόν γε, κἀξομοιοῦσθαι θεοῖς;

Haec quoque promissa Philoctetes auctore Ulysse repudiat et insuper Paridi exprobrat, quod intemperantia et libidine communis malorum, quibus et ipse et reliqui laborarent, auctor factus sit:

„*Tibi si imperasses, ego nunc non essem miser.*"

Itaque spe sua depulsi infecta re Troiani abeunt. Quo facto chorus meritis laudibus hanc animi generositatem extollit **). Tales cogitationes congruere dicit cum loco, in quo Philoctetes commoretur:

*) Dio: φησὶ πρεσβείαν μέλλειν παρὰ τῶν Τρώων ἀφικνεῖσθαι πρὸς τὸν Φ., δεησομένην αὐτὸν καὶ τὰ ὅπλα ἐκείνοις παρασχεῖν ἐπὶ τῇ τῆς Τροίας βασιλείᾳ.

**) Dio l. l.: καὶ τά τε ἰαμβεῖα σαφῶς καὶ κατὰ φύσιν καὶ

— — „*Lemnia praesto*
Littora rara, et celsa Cabirum
Delubra tenes, mysteria, quae
Pristina castis concepta sacris
Nocturno aditu occulta coluntur,
Silvestribus sepibus densa.
— — — — — —
— — — — — —
— *Volcania templa sub ipsis*
Collibus, in quos delatus locos
Dicitur ab alto limine coeli
— — — — — —
Nemus exspirante vapore vides,
Unde ignis cluet mortalibus clam
Divisus, eum doctus Prometheus
Clepisse dolo poenasque Iovi
Fato expendisse supremo." *)

Carmine finito Actor prodit Lemnius, qui Philoctetem visere morbumque eius curare solebat **). Is igitur, quoniam morbi impetus certo tempore recurrere solet, ne desit aegrotanti, tempestive advenit. Sortem miseri dolens haec dicere potuit:

— „*qui iacet in lecto humido,*
Quod eiulatu, questu, gemitu, fremitibus
Resonando multum flebiles voces refert."

Incipientibus doloribus his verbis utitur Philoctetes:

„*E viperino morsu venae viscerum*
Veneno imbutae tetros cruciatus cient."
φαγέδαιναν, ἥ μου σάρκα θοινᾶται ποδός.

πολιτικῶς ἔχοντα, καὶ τὰ μέλη οὐ μόνον ἡδονήν, ἀλλὰ καὶ πολλὴν πρὸς ἀρετὴν παράκλησιν.

*) Varro L. L. VII, 11. ed. O. Mueller. Herm. Opusc. III. p. 120. Cic. N. D. I, 42. Id. Tusc. II, 10, 23.

**) Dio l. l.: τὸν Ἕκτορα εἰσάγει, ἕνα Λημνίων, ὡς γνώριμον, τῷ Φ. προσιόντα καὶ πολλάκις συμβεβληκότα. Actoris nomen pro Hectoris reponendum esse ex Hygini verbis c. 102. coniicio: „Quem expositum pastor regis Actoris nomine Phimachus (Amphimachus?), Dolophionis filius, nutrivit." In

Ex hac parte dramatis quaedam Lucianus in tragodopodagra decerpsisse videtur, velut haec:

δίναισι φλογμῶν σάρκα πυρπολούμενον,
ὁποῖα κρητὴρ μεστὸς Αἰτναίου πυρὸς
ἢ Σικελὸς αὐλὼν ἁλιπόρου διασφάγος,
ὅπου δυςεξέλικτα κυματούμενος
σήραγξι πετρῶν σκολιὸς εἰλεῖται κλύδων.
ὦ δυςτέκμαρτον πᾶσιν ἀνθρώποις τέλος,
ὡς εἰς μάτην σε πάντες ἀμφιθάλπομεν,
ἐλπίδι ματαίᾳ μωρὰ βουκολούμενοι.

Mox, faces admovente dolore, exclamat, auxilium expetens, mori cupiens:

„*Heu! quis salsis fluctibus mandet*
Me ex sublimo vertice saxi?
Iam iam absumor; conficit animam
Vis volneris, ulceris aestus."

Postremo somno opprimitur adeo gravi, ut chorus, ne animam efflaverit, vereatur:

ἀπέπνευσεν αἰῶνα;

Hac opportunitate data Ulysses, quis sit, Actori et choro aperit simulque eos, ut conata sua adiuvent, obsecrat. Graeci enim quum essent, non poterant exercitus salutem negligere. Miratur Actor audaciam viri, qui adire hostem infestissimum non dubitarit:

„*Quem neque tueri contra neque adfari queas.*
— — *cui potestas si detur, tua*
Cupienter malis membra discerpat suis."

Ceterum hoc diverbio eo res perducitur, ut arma Philoctetae cum sagittis in potestatem Ulyssis tradantur. Testatur enim Dio in hac re omnes tres poetas conspirasse, ut sive furto sive rapina arma, quibus Philoctetes fidebat, quae et victum misero et contumaciam nominisque celebritatem praebebant, subduci ei facerent, antequam ipse partim invitus partim persuasus ad exercitum reduceretur. Recipit in se Actor etiam negotium Diomedem de-

eadem sententia est Geel. in Dion. Olymp. p. 401., Ἄκτορα a cod. Meerm. praeberi testans. Cf. Welck. p. 1586.

successu coeptorum certiorem faciendi. Quo digresso rursus chorus interponitur, quo partim miseratio Philoctetae partim admiratio Ulyssis declaratur:

ἅλις, ὦ βιοτά,
πέραινε πρίν τινα συντυχίαν
ἢ κτεάτεσσιν ἐμοῖς ἢ σώματι τῷδε γενέσθαι.
„*Inclute, parva praedite patria,*
Nomine celebri claroque potens
Pectore, Achivis classibus auctor,
Gravis Dardaniis gentibus ultor,
Laertiade" — — —.

His finitis ac Philocteta expergefacto, Diomedes ad hunc paullo mitiorem ex doloribus languidumque accedit, qui se a Graecis ad illum reducendum missum esse aperte profitetur. Ubi de Heleni vaticinio audiens Philoctetes, idque contrarium esse videns priori vaticinio, quo iubente expositus erat, haecce dicit:

τί δῆτα θώκοις ἀρχικοῖς ἐνήμενοι
σαφῶς διόμνυσθ' εἰδέναι τὰ δαιμόνων
οἱ τῶνδε χειρώνακτες ἄνθρωποι λόγων;
ὅςτις γὰρ αὐχεῖ θεῶν ἐπίστασθαι πέρι,
οὐδέν τι μᾶλλον οἶδεν, ἢ πείθει λέγων.

Miratur deinde, quod non apud Ulyssem auxilium Achivi quaerant, sed ad se, propulsum atque abiectum, veniant. Dicente autem Diomede illum nil nisi reipublicae salutem curare atque etiam dignum habitum esse iudicio principum, qui armis Achillis donaretur, exclamat:

— — „*heu Mulciber,*
Arma ignavo es invicta fabricatus manu!"

Tum diserta et gravi oratione Diomedes ei persuadere studet, ut iracundiam patriae condonet:

ὥςπερ δὲ θνητὸν καὶ τὸ σῶμ' ἡμῶν ἔφυ,
οὕτω προςήκει μηδὲ τὴν ὀργὴν ἔχειν
ἀθάνατον, ὅςτις σωφρονεῖν ἐπίσταται
— — — — — —
*πατρὶς καλῶς πράσσουσα τὸν ἀτυχοῦντ' ἀεὶ**)

---

*) Vulgo pessumdatis numeris *τὸν εὐτυχοῦντ' ἀεί*; mox *δυςτυχοῦντα.*

μείζω τίθησι, δυςτυχοῦσα δ' ἀσθενῆ

— — — — — —

*αἱρεῖς νόον**) — — —.

Non ad hoc factas esse dicit Herculis sagittas, ut aviculas figant, sed ad patriam defendendam, virtutem ostendendam, gloriam adipiscendam Herculis gloriae aemulam:

— „*pinnigero, non armigero, corpore*
Haec exercentur tela, abiecta gloria."

Negat Philoctetes se periculum atque infortunium, quod antea expertus sit, iterum subiturum:

„*neque me patiar*
Iterum ad unum scopulum caecum, classem
Achivom, offendere"**).

Postremo se ea conditione rediturum dicit, ut Ulysses ab exercitu removeatur. Tum repente hic, cui interim formam suam Minerva restituit, ad caussam dicendam cum summa omnium, qui adsunt, admiratione ipse prodit:

λέξω δ' ἐγώ, κἄν μου διαφθείρας δοκῇ
λόγους, ὑποστὰς αὐτὸς, ἠδικηκέναι·
*ἀλλ' ἐξ ἐμοῦ γὰρ τἀμὰ μαθήσῃ****) *κλύων·*
ὅδ' αὐτὸς αὑτὸν ἐμφανίζει σοι λέγων.

De reliqui colloquii ratione, nullis, quae sequar, apparentibus vestigiis, coniecturas proponere nolo.

Postremo victus et ad mutandum consilium adductus Philoctetes nautae se ait similem esse, qui, quum antea inter tempestatem iurarit se nunquam rursus mari se commissurum, paullo post, mercibus in terram expositis, lucri cupidine ductus idem periculum denuo subeat:

ἀωρὶ πόντου κύματ' εὐρέος περᾷ,
τριδάκτυλον σώζει σφε πεύκινον ξύλον

— — — — — —

*) Fragm. XIV. Hesych. *αἵρειν νοεῖς, δοξάζειν ἡγῇ· Εὐριπίδης Φιλοκτήτῃ.* Scribe *αἱρεῖς νόον, δοξάζεις, ἡγῇ.*

**) Fragm. inc. 29.

***) Metro ut mederentur, Matthiaeus *τἄμ' ἀκούσεται*, vel *τἀμὰ γνώσεται*, Grotius *τἀμὰ σὺ μαθήσῃ* reponi iubebant. Fortasse: *τἀμὰ νῦν γνώσῃ κλύων.*

σμικραῖς ἐπιτρέπουσιν αὐτοὺς ἐλπίσιν*)

— — — — — —

μακάριος ὅςτις εὐτυχῶν οἴκοι μένει·
ἐν γῇ δ' ὁ φόρτος, καὶ πάλιν ναυτίλλεται**).

Deinde subito tanta alacritas et pugnandi cupiditas menti eius innascitur, ut arcum poscat, experturus vires et tela dirigendi facultatem:

— — εἰ πέμπω πάλιν φιλόσκοπος***).

Chorus, conversam simul conditionem et mentem Philoctetae videns abeuntis eo, ubi sanationem vulneris nacturus est, felices praedicat quicunque diis confidant:

φεῦ, μήποτ' εἴην ἄλλο πλὴν θεοῖς φίλος,
ὡς πάντ' ἔχουσι, κἂν βραδύνωσιν χρόνῳ†).

Ipse autem Philoctetes, dum ad navem abducitur, haecce dicit:

„*Agite ac, vulnus ne succusset gressus,*
caute ingredimini."

Euripidis verba in his Luciani agnoscere mihi videor:

ἴχνος τε βαιὸν ὡς ἐπιστήσω πέδῳ

— — — — — —

λείπω δὲ μελάθρων τήνδ' ὑπώροφον στέγην,
οὐ δέκατον ἤδη τοῦτο — —
εὐναῖς ἐν ἀστρώτοισι τείρομαι δέμας.

Seriem et progressum rerum eum designavimus, qualem et fragmenta et Dionis indicia et operis ratio ostendere videbantur. Primus actor Philoctetae, alter Ulyssis, tertius mutatis vestibus Paridis, Actoris et Diomedis partes sustinebat. Non desperasset Welckerus de oeconomia huius dramatis reperienda, nisi, Hermanni ductus auctoritate, imitationem Attii neglexisset, quam de Euripidis fabula expressam fuisse apertissime docent illa, quae Paridi a Philocteta dicta esse testatur Quinctilianus (V, 10, 84):

---

*) Fragm. inc. 175. et 176. Matth. p. 409 seq. Dio orat. 64. p. 594. C.

**) Cf. Horat. Od. I, 1, 17: „mox reficit rates quassas" etc.

***) Himerii orat. XIV, 1. Cf. Welck. p. 520 seq.

†) Schneidew. Coniect. critt. p. 47. et 55. Ulyssi haec tribuenda esse censet Welck. p. 1586.

„*Tibi si imperasses, ego nunc non essem miser.*"

Facilius idem rem expedivisset, si ante omnia et quaenam Diomedis partes et quidnam Actori sive Hectori muneris tributum fuisset, cognoscere studuisset. Ceterum hic diligentissime omnium de huius dramatis compositione inquisivit et multos priorum errores refutavit.

De Aeschyli compositione haec ex Dione discimus. Prodisse primus Ulysses videtur forma minime mutata. Multo enim minus, quam posteriores poetae, Aeschylus probabilitati studebat. Itaque ne chorus quidem Lemniorum ulla excusatione usus est, quod antea nunquam adisset Philoctetem, neque caussam adventus in medium protulit. Eiusdem generis fuit, quod de rebus omnibus, quomodo gestae essent, de Chrysae ara detecta, quo in opere a serpente vulneratus ob eamque caussam Lemni relictus esset, de vehementissimis doloribus, quibus ex illo morsu decimum iam annum cruciaretur, Philoctetem fuse lateque choro, tanquam ignoranti, fecit exponentem. Post haec in scenam rediit Ulysses. In quem, postquam Graecum se esse professus est, arcum Philoctetes intendit, sed mitigatus deinde est ficta narratione de infortunio eius deque calamitatibus universi exercitus, quem paene iam ad internecionem Achillis ira adactum esse mentitus est interfectumque Agamemnonem et naves ab Hectore incensas esse; maxime vero delectatus morte Ulyssis ob caussam, quantum fingi poterat, turpissimam illata. His quum Ulysses perfecisset, ut in conversationem admitteretur, mox Philocteta doloribus correpto *) opportunitatem nactus est arcu potiundi **). De reliquis non liquet.

Hac structurae simplicitate quum Euripides uti non posset, novae difficultates, quibus res implicarentur, ei inveniendae fuerunt. Praeterea si hoc tantummodo efficiendum fuisset, ut sive lubens sive invitus Philoctetes cum telis suis ad Troiam reduceretur, haud magna astutia vel calliditate opus fuisse adversus hominem aegrotum eum-

---

*) Cf. fragm. 229. ap. Dindorf.

**) Fragm. 235.

que sagittarium, cuius, simulatque aliquis prope adstitisset, inutilis esset ars atque fortitudo, facile Dioni concedimus. Sed longe aliud egit Euripides, id quod, comparatis reliquis fabulis, quae eadem didascalia comprehendebantur, quivis facile intelliget. De qua re postmodo dicemus. Hoc quidem loco, quid Dio de hoc dramate iudicaverit, referamus. Dicit igitur prudentiam diligentiamque Euripidis, quae nihil incredibile, nihil neglectum sinat neque simpliciter rebus, sed cum omni dicendi vi ac facultate utatur, quodammodo contrariam esse Aeschyli rationi, plenam scientiae civilis, eloquentissimam, atque eam, quae plurimum legentibus afferat utilitatis. Eundem varietate drama ornasse et orationum occasiones invenisse, quarum contentiones instituendo copiosissimus omnium et dicendi peritissimus appareat. Itaque non Ulyssem solum ab eo introductum esse, sed una Diomedem, qua in re non minus, quam in mutanda illius forma, Homeri imitationem cognosci. In universum igitur per totum drama non solum summam poetae calliditatem et rerum probabilitatem apparere, sed etiam incredibilem miramque dicendi facultatem. Nam et trimetros dilucidos, naturae accommodatos civilesque esse, et carmina non voluptatem tantum, sed multam etiam ad virtutem exhortationem habere.

Operae pretium est, etiam quae de Aeschylo ac Sophocle iudicavit, quorum hic multis annis post Euripidem idem argumentum tractavit, in medium proferre. In illo igitur probat magnanimitatem et antiquitatem et rerum verborumque asperitatem, dignas tragoedia heroumque moribus atque a calliditate, loquacitate et humilitate alienas. Nam Ulyssem acutum quidem ac dolosum effictum esse, sed multum distantem a posteriorum hominum malitia, ut revera antiquus videri possit comparatus cum istis. His praemissis Dio quaecunque Aeschylus minus probabilia effinxit, quantum fieri potest benignissime, excusat. Sophoclem autem dicit medium quendam inter utrumque locum tenere: perinde enim abesse eum ab Aeschyli asperitate simplicitateque atque ab Euripidis diligentia, calliditate et scientia civili, sed ostendere severam quandam et magnificam poesin, dignam tragoedia ac decoram, ut sit

plena iucunditatis cum sublimitate atque gravitate; eundem compositione rerum optima et probabilissima uti. Mores autem personarum admirabiliter graves atque ingenuos esse, et Ulyssis ingenium multo, quam apud Euripidem, mitius et simplicius. Carminibus denique non multas inesse sententias neque ad virtutem adhortationem, sicut Euripidis, sed iucunditatem admirabilem et magnificentiam, ut merito de eo dixerit Aristophanes:

ὁ δ' αὖ Σοφοκλέους τοῦ μέλιτι κεχρισμένου,
ὥςπερ καδίσκου, περιέλειχε τὸ στόμα.

Has igitur triumvirum tragoedias se uno die legentem plane ait visum sibi esse deliciis luxuriari recreariqne, neque, etiamsi iuratus iudicaret, posse quidquam nominare, propter quod illorum quisquam habendus sit inferior. Satis rectis sanisque sensibus usus esse Dio videtur, neque est quod iudicium eius spernamus. Magis igitur interpretandi quam corrigendi caussa pauca addamus. Magis probum simplicemque ait Sophoclis quam Euripidis Ulyssem esse, quod audientibus verisimile non est quantam malitiam et fraudulentiam apud Euripidem personae illius infuisse putandum esset, nisi ex prologo servato, quo omnia consilia sua animique sensa Ulysses aperit, plane eundem hunc Euripidis quem Homeri Ulyssem fuisse intelligere liceret, virum Graecorum principem, qui, quidquid ageret, pro patriae incremento et sui nominis gloria ageret, neque ullo proprio commodo ductus pro republica invidiam et pericula susciperet, tam praeclara recte factorum conscientia, ut etiam infestissimi hostis accusationem sustineret. Contra Sophoclis Ulysses quo progreditur improbitatis! Nam quid potest esse ingenuo homine indignius, quam simplicis alicuius et generosi adolescentis opera ad fraudem faciendam abuti et praecipere ei talia, quale hoc est:

ὅταν τι δρᾷς ἐς κέρδος, οὐκ ὀκνεῖν πρέπει?

Non dico haec ideo, quasi ulli poetae vitio vertendum esse ducam, si tales heroum mores, postulante operis ratione, effingat, sed, ne Dionis verba quibusdam caussa erroris sint, metuens. Manifestum enim est Ulyssem Euripidis non improbitate, sed acumine ingenii reliquos superasse tanto, quanto Euripides ipse hac mentis facultate poe-

tas omnes superabat. Dicendi facultatem Euripidis summam apparere Dio, ut orator, magnopere praedicat; de philosophia idem ne verbum quidem. Atqui plus etiam huic, quam illi, ab Euripide tributum fuisse facile est intellectu. Nam Ulysses quidem illi studet adeo sapiensque haberi ita primum esse ducit, ut ad philosophiae lucem omnia revocet, ad illius praecepta vitam plane dirigat. Philoctetes autem tantum ex philosophia utilitatis consecutus est, ut primum maximas divitias summosque honores, a Troianis oblatos, tanquam inanes neque ad beatam vitam quidquam conferentes, aspernetur, deinde etiam animo imperare, iracundiam deponere, ignoscere iniuriarum auctoribus, gratificari patriae odium suum didicerit. Hoc est illud, propter quod in mendicorum et pannosorum numerum ab Aristophane relatus est, a mendicitate alienissimus! Actorem quoque et Diomedem honestis generosisque moribus conspicuos fuisse manifestum est. Quamobrem miror, quod Dio, cum Sophoclis personarum severitatem, ingenuitatem generositatemque praedicaret, de Euripide partim tacet partim innuit ea, ex quibus illam laudem personis eius abfuisse suspiceris.

Magnam apud homines doctos huius fabulae auctoritatem fuisse inde apparet, quod ad eam saepissime respexerunt, velut Aristoteles, Plato, Plutarchus, Cicero, Quinctilianus, Diogenes Laert., Clemens Alex., quorum Aristoteles, cum artem dicendi docere institueret, motus Isocratis rhetoris gloria, versu illo paullum immutato usus est:

αἰσχρὸν σιωπᾶν, Ἰσοκράτην δ' ἐᾶν λέγειν.

Attius vero non Sophoclis neque Aeschyli quam Euripidis Philoctetem theatris Romanorum accommodare maluit, quae versio non minus studiose, quam graecum exemplar, lectitabatur. Et quanto Aeschylum Euripides rerum inventarum implicatione et necessario decursu superarit, quivis intelligit. Neque ille temere res immutavit, sed retinuit quaecunque retineri potuerunt ad movendum delectandumque apta. Quin etiam integrum versum paullulum correctum ex Aeschylo Euripides adoptavit huncce:

φαγέδαινα, ἥ μοι σάρκας ἐσθίει ποδός,

quam correctionem, ut ornatus commodi exemplar, merito laudat Aristoteles Poet. XXII, 7.

Ceterum ne invitus, sed persuasus, Philoctetes sequeretur, maxime necessario apud Euripidem evenisse videtur: Minervae enim opera, quam rebus extremis interfuisse suspicor, minus ad persuadendum Philoctetae, quam ad docendum theatrum opus fuit.

Abusus est uno versu Aristophanes Ran. 284. Strattis autem Philoctetem scribens, quem commemorat Athenaeus VII, 327. E., sine dubio aliquem tragicorum imitatus erat.

His expositis restat, ut, quanam necessitudine Philoctetae fabula cum Medea coniuncta fuerit, ostendam. Domo patriaque abductus Philoctetes non minus, quam Medea, optimeque meritus de iis, quorum signa secutus erat, pro beneficiis iniuria affectus erat. Ostenderat enim Chrysae aram in insula cognomine exstructam, in qua nisi sacra fecissent Achivi, Ilium non poterat expugnari. In hac autem reperienda quum a serpente, qui custodiebat, in pede vulneratus esset, Achivi tetrum ex vulnere odorem fastidientes, non retenti eo, quod pro ipsis periculum adeundo malum sibi traxerat, in Lemno insula iussu Agamemnonis atque opera Ulyssis exposuerant. Potestne gratia pro benefactis ullo modo peius referri? Quid vero arrogantius, quam eosdem, qui exposuerunt, postquam illo se carere non posse intellexerunt, postulare, ut redeat, ut iniuriae memoriam deponat, ut novos pro patria ingratissima labores suscipiat, ut popularis gratiae fluctibus denuo se committat? Sors autem Philoctetae, dolorum cruciatibus pereuntis, auxilio destituti, ad feras solitudinis detrusi, sine tecto, sine vestibus, sine victu mitiori degentis, denique, quod gravissimum est, facultate privati gloriam virtute adipiscendi *), haec, inquam, sors multo etiam, quam Medeae, miserior est. Haec enim a fera vita et barbarie ad humanum civilemque cultum transducta erat, ille ex cultu atque humanitate Graeciae ad feram agrestemque vitam detrusus. Neque autem Medea feritatem suam, qua ab infantia imbuta erat, neque hic humanitatem exuerat. Itaque illa cupiditatibus paret, hic imperare

*) Cf. Med. 536 seqq.

sibi magis etiam didicit, quam plerique eorum, qui, in civilibus certaminum concionumque fluctibus versantes, ambitioni, avaritiae et voluptatibus inserviunt; illa, amoris iraeque stimulis acta, patria prodita, parentibus pessumdatis, fratre interfecto, scelus immanissimum perpetrat liberos, quos ipsa peperit, trucidando: hic etiam inimicissimis ignoscit, in patriam, ex qua indignissime eiectus est, rogantibus iis ipsis a quibus eiectus est, redit, neque redit tantum, sed etiam victricem redditurus est, hostes, a quibus ipsi regnum, et quaecunque ab hominibus magna praeclaraque habentur, offeruntur, domiturus.

C. Dictys.

Argumentum huius fabulae accuratissime omnium servavit scholiasta Apollonii ad libr. IV. v. 1515., cum qua narratione paene ad verbum congruunt quae scripsit Apollodorus II, 4, 2. et 3. In eodem argumento epigramma nititur Cyzicenum XVIII., quod est in Iacobsii Anthol. Vol. III. part. 3. p. 632. Respexit ad hanc fabulam etiam Ovidius Met. V, 242—248. Denique Strabo lib. X. p. 335, 57. (487.), praeterquam quod Dictyn piscatorem fuisse tradidit, Euripidem secutus est. Fragmenta servata sunt quaedam satis luculenta, neque tamen sufficientia ad omnes dramatis partes, quales fuerint, cognoscendas. Ad cuius inveniendam compositionem praeter Matthiaeum operam Welckerus et Schoellius haud sine fructu contulerunt.

Prooemium a Mercurio dictum esse ex iis, quae Apollonii scholiasta refert, haud difficile est intellectu. Ei haec fere exponenda fuerunt:

Danae quum esset a patre Acrisio in arca lignea cum filiolo conclusa et in mare deiecta, delata est ad insulam Seriphum, in qua haec aguntur, ubi littori appulsam invenit Dictys, regis Polydectis frater*), qui et ipsam servavit et puerum susceptum educavit.

*) Maior natu iamque aetate provectior esse fingitur Dictys, unde eum iniuste a Polydecte regno exclusum esse coniicio.

Quo iam adulto, Polydectes, uxore sua amissa, amorem concepit Danaes: cuius connubium quum propter Perseum nancisci non posset, accidit, ut amicos ad convivium invitatos, in quibus erat etiam Perseus, symbolam conferre ad Hippodamiae nuptias celebrandas iuberet. Ex quo quaesivit Perseus, cuiusnam rei symbolam dari iuberet, et cum rex respondisset: „equi", tum ille, atqui ego, inquit, caput ut afferatur Gorgonis, censeo. Cui rex in praesenti quidem nihil respondit, postero autem die, quum conferretur symbola, a reliquis quidem equos accepit, Persei autem equum repudiavit et pro eo caput Gorgonis ut afferret imperavit, additis minis se, nisi imperata effecisset, matrem eius Danaen in matrimonium ducturum. His auditis adolescens moerore affectus, cum, quomodo imperata efficeret, non haberet, in extremam insulam secessit, ubi aegritudine confecto obviam factus est Mercurius et, cum caussam doloris quaesivisset, consolatus est desperantem atque opera consilioque adiuvit. Ab hoc igitur ad Gorgonas deductus armisque idoneis, quibus eas vincere posset, instructus est*). Interim, quod subito e conspectu hominum abierat, fama eum, desperatione abreptum, in undas maris se praecipitasse nuntiavit: quae fama Polydectae quidem laetitiam, Danaae autem luctum peperit. Itaque ille iam ad nuptias celebrandas amicos convocat, haec vehementissime afflicta luctui ac moerori indulget. Abit deinde Mercurius, Danae in scenam prodeunte et cum praesenti malo etiam priora conquerente. Cuius lamentis excitae mulieres familiares congregantur, consolando unaque dolendo eam adiuvare studentes. His finis imponitur Dictyis interventu, qui, ut senex gravis et sapiens, qui philosophia pro medicina animi uti didicerit, mediocriter dolendum esse Danaen docet:

δοκεῖς τὸν Ἅιδην σῶν τι φροντίζειν γόων
καὶ παῖδ' ἀνήσειν τὸν σόν, εἰ θέλεις στένειν;

---

*) Huc refero Sexti Empirici verba, qui pleraque ex Euripide depromsit, adv. rhet. II. p. 308: *ψεκτὸς δὲ ὁ Διὸς Περσεύς, ὅτι πήραν περιηρτημένος τὴν ἄνυδρον ὥδευε Λιβύην.*

παῦσαι· βλέπουσα δ' εἰς τὰ τῶν πέλας κακά,
ῥᾴων γένοι' ἄν, εἰ λογίζεσθαι θέλοις,
ὅσοι τε δεσμοῖς ἐκμεμόχθηνται βροτῶν,
ὅσοι τε γηράσκουσιν ὀρφανοὶ τέκνων,
τούς τ' ἐκ μεγίστης ὀλβίας τυραννίδος
τὸ μηδὲν ὄντας· ταῦτά σε σκοπεῖν χρεών.

Respondet Danae, iam tranquillior facta:

εἷς γάρ τις ἐστὶ κοινὸς ἀνθρώποις νόμος,
καὶ θεοῖσι τοῦτο δόξαν, ὡς σαφῶς λέγω,
θηρσίν τε πᾶσι, τέκνα τίκτουσιν φιλεῖν·
τὰ δ' ἄλλα χωρὶς χρώμεθ' ἀλλήλων νόμοις.

Post haec Dictyn abiisse ad paranda quaedam circa inferias, chorum autem laudes defuncti et naenias cecinisse suspicor.

Venit deinde Polydectes, et quasi omnibus iam difficultatibus remotis ad nuptiarum hilaritatem lugentem moerentemque invitat. Cuius petitione Danaes redintegratur dolor:

— — τί μ' ἄρτι πημάτων λελησμένην
ὀρθοῖς;

Tum ostendendo, quanto nuptiae incommodo quantoque odio liberis regis futurae sint, hunc a consilio eius deducere studet:

ὄντων δὲ παίδων καὶ πεφυκότος γένους,
καινοὺς φυτεῦσαι παῖδας ἐν δόμοις θέλεις,
ἔχθραν μεγίστην σοῖσι συμβαλὼν τέκνοις;

Contra haec Polydectes affectum amoris nullis argumentis vinci affirmat: quamobrem aequum esse, ut non minus benigne parentum morbum pietas ferat liberorum curetque, quam liberorum amoribus ignoscere, indulgere et satisfacere soleant parentes:

ἐγὼ νομίζω πατρὶ φίλτατον τέκνα
παισίν τε τοὺς τεκόντας, οὐδὲ συμμάχους
ἄλλους γενέσθαι φήμ' ἂν ἐνδικωτέρους,
πατέρα τε παισὶν ἡδέως συνεκφέρειν
φίλους ἔρωτας, ἐκβαλόντ' αὐθαδίαν,
παῖδάς τε πατρί· καὶ γὰρ οὐκ αὐθαίρετοι
βροτοῖς ἔρωτες οὐδ' ἑκουσία νόσος.
σκαιόν τι δὴ τὸ χρῆμα γίγνεσθαι φιλεῖ,
θεῶν ἀνάγκας ὅστις ἰᾶσθαι θέλει.

Κύπρις γὰρ οὔτε νουθετουμένη χαλᾷ),*
ἤν τ' αὖ βιάζῃ, μᾶλλον ἐντείνειν φιλεῖ,
κἄπειτα τίκτει πόλεμον, εἰς δ' ἀνάστασιν
*δόμων περαίνει πολλάκις τὰ τοιάδε**).*

Hanc cupidinem stultam esse ait Danae, longeque ei praeferendum amorem virtutis honestatisque. Negat eadem, mortuo filio se facturam quod vivo facere noluerit, neque luctum, qui ei debeatur, cum nuptiarum laetitia commutaturam:

φίλος γὰρ ἦν μοι· καί μ' ἔρως ἕλοι ποτὲ
οὐκ εἰς τὸ μωρὸν οὐδέ μ' εἰς Κύπριν τρέπων·
ἀλλ' ἔστι δή τις ἄλλος ἐν βροτοῖς ἔρως,
ψυχῆς δικαίας σώφρονός τε κἀγαθῆς,
καὶ χρῆν δὲ τοῖς βροτοῖσι τόνδ' εἶναι νόμον,
τῶν εὐσεβούντων οἵτινές γε σώφρονες
ἐρᾶν, Κύπριν δὲ τὴν Διὸς χαίρειν ἐᾶν.

Postremo per vim abstrahere mulierem Polydectes conatur. Supervenit Dictys, qui, quamvis sit et senex et privatus, forti animo Danaen tutatur mentemque eius confirmat:

θάρσει· τό τοι δίκαιον ἰσχύει μέγα,

fratrem autem iusta reprehensione corripit adeo, ut chorus indignationem eius censeat reprimendam esse:

μὴ νεῖκος, ὦ γεραιέ, κοιράνοις τίθου,
σέβειν δὲ τοὺς κρατοῦντας ἀρχαῖος νόμος.

Cuius exprobrationibus magis etiam incitatus Polydectes et supplicia fratri minatur et nihilominus se coepta perfecturum esse ostendit. Quibus dictis in aedes ad convivas salutandos abit, mox cum iisdem ad uxorem domum ducendam rediturus***). Dictys autem intrepido animo in consilio perseverat:

---

*) Vulgo *οὐδὲ νουθετουμένη*. Referuntur ad se *οὔτε — ἤν τ' αὖ*.

**) Fragm. X. VII. et VI. in unum coniunximus.

***) Persei iussu amicos regis et populares convocatos esse auctor est Apollonii scholiasta: *ἔρχεται παρὰ Πολυδέκτην καὶ κελεύει συναθροῖσαι τὸν λαόν, ὅπως δείξῃ αὐτοῖς τὴν τῆς Γοργόνος κεφαλήν*. Verum dramatis natura haec iam antea praeparata fuisse, ne rerum actio interpellaretur, postulabat.

πρὸς ταῦθ' ὅ τι χρὴ καὶ παλαμάσθω
καὶ πᾶν ἐπ' ἐμοὶ τεκταινέσθω·
τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ καὶ τὸ δίκαιον
σύμμαχον ἔσται,
κοὐ μή ποθ' ἁλῶ κακὰ πράσσων).*

His dictis ad aram Iovis Hercei cum Danae confugit, cuius sanctitate se tutos fore sperant.

Locus datur chori carmini tertio, quo Iovis auxilium imploratum esse coniicio.

Hoc finito in scenam prodiit Perseus, intrans ab ea parte, qua qui peregre adveniebant intrare solebant. Ibi igitur ex sublimi delapsus, salutata terra, in qua educatus erat, exposito itinere et certamine, ostensis spoliis, quae reportabat**), per parodum procedens matrem ad aram sedentem conspexit. A qua magna cum laetitia exceptus deque discrimine, in quo ipsa versatur, edoctus, surgere supplices bonoque animo esse iubet, affirmans se vel solum certamen cum omnibus sustenturum. Veniens deinde cum amicis convivisque, sicut praedixit, Polydectes, ubi conspexit Perseum reducem, vanum appellat et mendacem, neque Iove, sed ignobilissimo patre natum. Testes sunt Ovidius et epigrammatis Cyziceni auctor, quorum ille:

„*Te tamen, o parvae rector, Polydecta, Seriphi,*
Nec iuvenis virtus per tot spectata labores
Nec mala mollierant; sed inexorabile durus
Exerces odium, nec iniqua finis in ira est.
Detrectas etiam laudes, fictamque Medusae
Arguis esse necem."

Epigrammatis verba haec sunt:

Ἔτλης καὶ σὺ λέχη Δανάης, Πολύδεκτα, μιαίνειν,
*δυςφήμοις εὐναῖς τῷ Διὶ μεμψάμενος***)*·

---

*) Fragm. inc. 96.

**) Plura de his referentes vide scholiastam Apollonii atque Apollodorum.

***) Nolim Iacobsii emendationem *δέννοις* pro *εὐναῖς* admittere. Sensus hic est: „maledixit Iovis connubio, itaque Iovi ipsi."

ἀνθ' ὧν ὄμματ' ἔλυσε τὰ Γοργόνος ἐνθάδε Περσεύς,
γυῖα λιθουργήσας, ματρὶ χαριζόμενος.

Cui Perseus se dicta factis confirmaturum esse praedicit, et symbolam, quam petere iussus sit, ad ipsius regis nuptias celebrandas allaturum*). Deinde obiicit ei, quibus iniuriis et ipse et mater et Dictys libidine eius affectus sit. Postremo amicos regis et populares omnes hortatur, ut, qua sint virtute atque probitate, tyrannum coerceant. Talia enim a Perseo dicta esse e contraria oratione Polydectae perspicitur, cuius fragmenta satis luculenta servata sunt haecce:

φεῦ φεῦ, παλαιὸς αἶνος ὡς καλῶς ἔχει·
οὐκ ἂν γένοιτο χρηστὸς ἐκ κακοῦ πατρός·
— — — — — —
πολλοῖς παρέστην κἀφθόνησα δὴ βροτῶν
ὅςτις κακοῖσιν ἐσθλὸς ὢν ὅμοιος ᾖ,
λόγων ματαίων εἰς ἅμιλλαν ἐξιών·
τὸ δ' ἦν ἄρ' οὐκ ἀκουστὸν οὐδ' ἀνασχετόν,
σιγᾶν κλύοντα δεινὰ πρὸς κακιόνων.
εἰ δ' ἦσθα μὴ κάκιστος, οὔποτ' ἂν πόλιν
τὴν σὴν ἀτίζων τήνδ' ἂν εὐλόγεις πάτραν,
ὡς ἔν γ' ἐμοὶ κρίνοιτ' ἂν οὐ καλῶς φρονεῖν
ὅςτις πατρῴας γῆς ἀτιμάζων ὅρους
ἄλλην ἐπαινεῖ καὶ τρόποισιν ἥδεται.

Praeterea obiicit, quod, quum sit etiamnunc adolescentulus, nimia sui opinione ductus gloriam sibi arroget reliquorum virtutes longe superantem. Haec deinde a Perseo refutantur:

τυραννικόν τι πόλλ' ἐπίστασθαι λέγειν
— — — — — —
νέος, πόνοις δέ γ' οὐκ ἀγύμναστος φρένας.
— — — — — —
εἰς δ' εὐγένειαν ὀλίγ' ἔχω φράσαι καλά·
ὁ μὲν γὰρ ἐσθλὸς εὐγενὴς ἔμοιγ' ἀνήρ,
ὁ δ' οὐ δίκαιος, κἂν ἀμείνονος πατρὸς
Ζηνὸς πεφύκῃ, δυςγενὴς εἶναι δοκεῖ.
— — — — — —

*) Ovid. l. l.: „Dabimus tibi pignora veri."

μή μοί ποτ' εἴη χρημάτων νικωμένῳ
*κακῷ γενέσθαι, μηδ' ὁμιλοίην κακοῖς**).

His auditis rex, persona sua indignum esse iudicans cum adolescentulo ignobili altercari, in aedes revertitur:

ἀλλ' οὐ πρέπει τύραννον, ὥς ἐγὼ φρονῶ,
οὐδ' ἄνδρα χρηστὸν νεῖκος αἴρεσθαι κακοῖς·
*τιμὴ γὰρ αὕτη τοῖσιν ἀσθενεστέροις***).

Simul Danaen per vim iubet ab aris in tecta trahi, id quod ab amicis eius, cum eo conspirantibus neque minori odio invidiaque Perseum, quam rex ipse, insectantibus, impigre efficitur***). Tum Perseus, solus cum Dictye in scena relictus, qua ratione nuptias interpellaturus et cunctos uno tempore perditurus sit, exponit. Quibus dictis tollit scutum, cui caput Gorgonis affixum est, et in domum se ad efficienda ea, quae praedixit, statim confert†).

Interponitur quartum chori carmen, quo quae intus aguntur, mentis opinione anticipata, quasi a praesentibus et coram adspicientibus describuntur.

Prodit nuntius, qui, obstupefactus adspectu miraculorum, de iis, quae gesta sunt, brevissime Dictyi exponit. Mox Perseus ipse, matrem manu ducens, apertis aedium valvis, ut statuae ex hominibus factae conspiciantur, ad chorum prodit, salutatoque Dictye, concionatur apud po-

---

*) Potuit haec quoque dicere, quae in incertis fragmentis n. IV. p. 365. Matth. ponuntur:

οὐκ ἔστιν ἀρετῆς κτῆμα τιμιώτερον·
οὐ γὰρ πέφυκε δοῦλον οὔτε χρημάτων
οὔτ' ἀσφαλείας οὔτε θωπείας ὄχλον.

**) Fragm. inc. 42.

***) Strabo l. l.: *συμπραττόντων αὐτῷ ἐκείνων.*

†) Apollod. l. l.: *εἰσελθὼν εἰς τὸν βασιλέα, συγκαλέσαντος τοῦ Πολυδέκτου τοὺς φίλους, ἀπεστραμμένος τὴν κεφαλὴν τῆς Γοργόνος ἔδειξε. Τῶν δὲ ἰδόντων ὁποῖος ἕκαστος ἔτυχε σχῆμα ἔχων ἀπελιθώθη.* Strabo l. l.: *καὶ κομίσαντα τὴν τῆς Γοργόνος κεφαλήν, δείξαντα τοῖς Σεριφίοις ἀπολιθῶσαι πάντας· τοῦτο δὲ πρᾶξαι τιμωροῦντα τῇ μητρί, ὅτι αὐτὴν Πολυδέκτης ὁ βασιλεὺς ἄκουσαν ἀγαγέσθαι προείλετο πρὸς γάμον, συμπραττόντων αὐτῷ ἐκείνων.*

pulares, hunc regem constituens*) et Iustitiam deam sive *Δίκην* praedicans, cuius opera a suo capite in hostes pernicies conversa sit**).

In hac tragoedia, etsi Dictys inscripta erat, tamen non huius, sed Danaes primas partes fuisse planum est. Inerat autem ei copia praeceptorum utilissimorum et sententiarum gravissimarum, quarum multae celebritatem adeptae erant atque etiam in ora vulgi pervenerant, velut illa, qua Cicero ad Att. VIII. 8. usus est quamque etiam Aristophanes paullum mutatam in Acharneuses transtulit (v. 659.), si modo recte eam huic dramati vindicavi. Excellebat etiam actionis vigore, orationum contentionibus, altercationum acrimonia. Tum senis sapientissimi, adolescentis fortissimi audacissimique, feminae probissimae eiusdemque venustissimae, denique regis superbissimi personae gravitatem sublimitatemque tragoedia dignam tribuebant. De voluntate poetae ex comparatione priorum dramatum facillime poterit iudicari. Similitudinem enim huic tragoediae cum Medeae fabula intercessisse apparet. Primum enim amor regis hanc turbam concitavit; isque amor temerarius fuit, neque suorum neque alienorum commodi rationem habens, quin etiam, ut omnes omnia ipsi gratificarentur condonarentque, postulans. Morbum esse hanc perturbationem animi ipse Polydectes profitetur: quocirca aequum esse censet, ut etiam liberi sui huic patris morbo curando fovendoque operam dent. Quodsi uxor eius etiamnunc viveret, postulaturus esset, credo, ut haec quoque veniam animi sui affectui daret et iure coniugiali ultro cederet. Quum autem Iasoni Polydectes simillimus sit, tum Danae Medeae plane contraria est. Patria quidem ipsa quoque eiecta est neque praeter Dictyis patrocinium ullo praesidio vel perfugio utitur; sed haec expetitur, illa repudiatur; huic cum matri-

*) Apollod. I. 1.: *καταστήσας δὲ τῆς Σερίφου Δίκτυν βασιλέα ἀπέδωκε τὰ μὲν πέδιλα καὶ κίβισιν καὶ τὴν κυνῆν Ἑρμῇ, τὴν δὲ κεφαλὴν τῆς Γοργόνος Ἀθηνᾷ.* Eadem referens schol. Apoll. ad Pherecydem auctorem provocat.

**) Epigr. Cyz.: *ὃν καθ' ἑτέρου θάνατον ἐπενόει γενέσθαι, τοῦτον αὐτὸς κατὰ τὴν πρόνοιαν τῆς Δίκης ἐδέξατο.*

monio non solum domus, penates et altera patria, sed etiam divitiae regnique societas offeruntur; illa excidit coniugio, haec adspernatur. Itaque Medea misera fit, repudiata a coniuge; Danae misera esse, quam non repudiare regem, mavult. Quid? quod haec etiam filio ab eo, qui coniugium eius petit, privatur, Medea contra, quod est e matrimonio expulsa, filiis se ipsa spoliat*).

Operae est quaerere, quanam de caussa Danae, regis connubium repudians, tanta mala subeat. Feliciter contigit, ut ea pars orationis eius servatur, ex qua animi eius sententia haud difficulter perspiciatur. Fuit iam semel amoris vi correpta, quo tempore commisit id, propter quod a parente in mare abiecta est. Hinc divinitus servata et quasi luci reddita, quis miretur, quod eidem furori denuo se committere veretur, quod illo morbo in perpetuum liberata est, quod longe honestiorem longeque praestantiorem, quam amorem Venereum, intellexit esse iustitiae amorem probitatisque, quod neque pietatis officia vult cupidini, neque filii curam libidini coniugis postponere? Triplicem enim amorem distinguendum esse censet, ex Venere, ex pietate, ex honestate profectum, quorum primum salvere iubet, reliquis duobus se addicit.

Ordo tragoediarum quum natura argumentorum ipsa praescriberetur, curandum esse duxit Euripides, ut et varietate et sensuum delectatione theatrum teneretur. Simplicissima enim Medeae est structura, ut etiam a duobus actoribus commode potuerit exhiberi, et in unius fere affectus natura describenda tota versatur. Copiosius rerum varietate, personarum multitudine, consiliorum affectuumque conflictibus drama fuit Philoctetae. Dictyis vero tragoedia, cum ab hac parte Philoctete non esset inferior, ampliori excellebat rerum, quae sensus moverent, apparatu. Producebatur enim in scenam comitatus regis amplissimus, constans ex viris principibus, ad nuptias concelebrandas invitatis, quorum caterva inter ipsum irae furorem ipsumque impetum, quo in Perseum invadere conabatur, in saxa

*) Confer quae in eandem fere sententiam Schoell. p. 153. disputavit.

mutata conspiciebatur. Id enim factum esse ut statuamus, consuetudo et quasi lex tragoediae postulat, qua lege effectus eorum, quae intus erant acta, in conspectum utique proferebatur. Tantam imaginum varietatem atque multitudinem, tam amplam signorum complexionem, tantum tumultum hominum, in ipso actionis ardore obtorpescentium, theatro repraesentatum efficacissimum fuisse ad oculos mentesque movendos, facile est intellectu.

D. Messores.

Messores sive ϑεριστὰς fabulam eandem fuisse cum Syleo suspicatus est Welckerus in supplemento libri de Aeschyli trilogia scripti p. 302. Cui quo minus assentiamur, duabus rebus prohibemur, primum quod messoribus locum in Sylei fabula nullum fuisse apparet, deinde quod messorum fabula iam Aristophanis grammatici memoria interierat, Syleus autem etiam Philonis Iudaei aetate exstabat. Argumentum igitur fabulae idem fuisse coniicio, quod Sositheus tractavit, de cuius fabula adeas Eichstaedtii atque Hermanni (Opusc. I. p. 54.) de dramate comicosatyrico dissertationes, quorum ille, Photium, Athenaeum, Suidam et scholiastam Theocriti (X, 41.) secutus, haecce narrat: „Lityerses, Midae filius, ex meretrice susceptus, habitavit Celaenis, urbe Phrygiae. Ibi quotquot ad eum hospites confluxissent, lautis solebat epulis excipere. At fuit hoc hospitium neque ad humanitatem nimis liberale neque ad diuturnitatem stabile ac firmum. Nam hospites bene pastos in agros eduxit iussitque secum segetes demetere. Inumbrante autem vespera, caput falce abscidit corpusque manipulis involutum domum portavit. Huius tantae crudelitatis vindex tandem atque oppressor Hercules exstitit, qui Lityersam occisum in Maeandrum proiiceret."

IX.
Duce Aristotele atque Dionysio Euripides cum Sophocle comparatur.

Aristoteles Poet. 25. tres docet esse imitandi rationes: aut enim tales, quales revera sint vel fuerint, mores atque ingenia personarum exprimi, aut quales esse dicantur putenturque, aut quales esse debeant (ἢ οἷα ἦν ἢ ἔστιν, ἢ οἷα φασὶ καὶ δοκεῖ, ἢ οἷα εἶναι δεῖ). Primum imitationis genus veritatem (τἀληθῆ) sequi, alterum opinionem, tertium speciem quandam (quam animo fingamus) meliorem (τὰ βελτίονα). Et opinionem (Glauben und Tradition) quidem recte omnes sequi ostendit in imitandis deorum personis, quum ad hominum similitudinem ingenia eorum moresque effingant*); qui mores quamvis neque meliores exprimantur, quam vulgares, neque veri sint, tamen usu venire illud Xenophanis: „atenim certi quicquam nemo comperit" (ἴσως γὰρ οὔτε βέλτιον οὕτω λέγειν οὔτ' ἀληθῆ, ἀλλ' ἔτυχεν ὡς παρὰ Ξενοφάνει· „ἀλλ' οὖν τὸ σαφὲς οὔτις ἴδεν")**). Primi autem generis duplex est modus. Aut enim mores eos, quibus aequales et populares utuntur, imitantur poetae simulque vetustatis memoriam ad similitudinem eorum, quae geri ipsi viderunt, immutant, aut ipsam victus consuetudinem priscorum hominum institutaque alienorum populorum ac disciplinam repraesentant, velut (inquit Aristoteles) si quis poeta hastas faciat terra defigi (ἔγχεα δέ σφιν ὄρθ' ἐπὶ σαυρωτῆρος), quod minus quidem commodum est, sed usitatum fuit priscis Graecis atque etiamnunc Illyriis. Po-

*) Adde c. 25, 6.

**) Vulgo ἀλλ' οὔ φασι τάδε. Xenophanis verba haec fuerunt:
καὶ τὸ μὲν οὖν σαφὲς οὔτις ἀνὴρ ἴδεν, οὐδέ τις ἔσται
εἰδὼς ἀμφὶ θεῶν τε καὶ ἅσσα λέγω περὶ πάντων·
εἰ γὰρ καὶ τὰ μάλιστα τύχοι τετελεσμένον εἰπών,
αὐτὸς ὅμως οὐκ οἶδε, δοκὸς δ' ἐπὶ πᾶσι τέτυκται.

steriorem rationem qui sequi instituunt poetae, neque satis distinguunt, quid sit poetae, quid historici vel eius, qui antiquitatem investigat, neque commode faciunt, quum alienis rebus et a vulgi cognitione remotis intellectum carminum impediant. Unde optimi quique omnium aetatum omniumque gentium poetae praeter nostros, qui nullius non perversitatis gentem Germanorum patientem esse et semper aliena magis quam sua admirari intelligerent, priorem rationem secuti sunt et ad aequalium mores victusque consuetudinem et mores hominum et rerum gestarum rationem, undecunque sumerent, accommodarunt. Horum igitur poetarum instituto ad simplicitatem revocatur duplicitas generis primi.

Vera cave propria (Concretes) dici ab Aristotele putes. Audias igitur ipsum de discrimine disserentem c. 9. „Non quae facta sint exponere poetae est, sed quae sint verisimilia et fieri possint (secundum naturam, i. e.) aut probabiliter aut necessario*). Hoc enim interest inter historicum et poetam, quod ille quae facta esse accepit refert, hic quae verisimilia sunt. Quamobrem magis cum philosophia conspirat poesis et maioris momenti est, quam historia. Poesis enim magis communia (*τὰ καθόλου*), historia magis propria (*τὰ καθ' ἕκαστον*) proponit. Sunt autem communia huiusmodi: qualem qualia convenit dicere vel facere probabiliter aut necessario? hoc enim sequitur poesis, et nomina tantum propria personis (minime propriis) imponit. Proprium autem huiusmodi est: quid Alcibiades fecit vel passus est? Et in comoedia quidem hoc sic fieri manifestum est. Etenim non prius, quam composita iam ex probabilibus fabula, nomina demum convenientia imponunt**), aliter atque iamborum

*) Adde c. 15, 6: *χρὴ δὲ καὶ ἐν τοῖς ἤθεσιν, ὥςπερ καὶ ἐν τῇ τῶν πραγμάτων συστάσει, ἀεὶ ζητεῖν ἢ τὸ ἀναγκαῖον ἢ τὸ εἰκός, ὥςτε τὸν τοιοῦτον τὰ τοιαῦτα λέγειν ἢ πράττειν ἢ ἀναγκαῖον ἢ εἰκός, καὶ τοῦτο μετὰ τοῦτο γίνεσθαι ἢ ἀναγκαῖον ἢ εἰκός.*

**) Donatus ad Adelph.: „Hinc servus fidelis Parmeno, infidelis Syrus vel Geta, miles Thraso vel Polemo" etc. Cf. Antiphanis versus apud Athen. p. 223. A. Lessing. dramat. Hamb. n. 11. Mart. 1768.

scriptores (Archilochus et Hipponax) faciunt, qui certos homines carminibus perstringunt. In tragoedia autem propria hominum, qui fuerunt, nomina retinentur: cuius moris caussa haec est, quod facilius fidem inveniunt quae fieri possunt, et fieri posse quae nondum facta sunt difficilius, quam quae iam facta sunt, credimus: neque enim facta essent, nisi fieri possent."

Alio loco (Poet. c. 2.) docet aut graves aut viles mores (würdige oder lächerliche Charaktere) imitationi propositos esse; illos meliores, quam vulgo sint, hos peiores appellat, additque tertium genus, ex utroque mixtum, morum vulgarium vel aequalium (*καθ' ἡμᾶς*, *ὁμοίους*) *): „velut, inquit, Homerus meliores mores imitatus est, Cleophon aequales, Hegemon Thasius, qui primus scripsit parodias, et Nicochares, Deliadis auctor, peiores sive vitiosiores. Eadem imitationis diversitate etiam tragoedia a comoedia discrepat: haec enim vitiosiores, illa praestantiores imitari vult, quam qui nunc sunt."

Hoc loco rursus cavendum est, ne vulgares mores eosdem atque veros ab Aristotele dici putes. Duplicem enim proposuit descriptionem, quarum altera ad veritatem, altera ad honestatem pertinet. Et veritatis quidem haec est:

1) vera (Natürliches oder Menschliches);
2) opinabilia (Wunderbares oder Göttliches);
3) qualia esse debent (gesteigertes Menschliches oder Heroisches).

Veritatem imitantur qui hominum, opinionem qui deorum personas inducunt, tertium genus ad heroes pertinet, quibus optimus quisque se similem esse cupit. Atqui neque deos neque heroas vitiis humanis carere constat et

---

*) *ἀνάγκη τούτους ἢ σπουδαίους ἢ φαύλους εἶναι, ἤτοι βελτίονας ἢ καθ' ἡμᾶς ἢ χείρονας τούτους, ὥσπερ καὶ οἱ γραφεῖς (Πολύγνωτος μὲν γὰρ κρείττους, Παύσων δὲ χείρους, Διονύσιος δὲ ὁμοίους εἴκαζε) κτλ.* Scribitur autem vulgo corrupte *ἢ χείρους ἢ καὶ τοιούτους ὥσπερ οἱ γραφεῖς κτλ.*, ut quattuor genera poni videantur, id quod falsum esse satis ostendunt exempla pictorum poetarumque in medium prolata.

sola virtute, id est animi magnitudine viribusque corporis, hominibus praestare. Honestatis autem genera haec sunt:

1) vulgares mores vel aequales (ordinäre Charaktere);
2) vitiosiores vel peiores (Carricatur);
3) praestantiores vel meliores (Ideal).

Duplici sensu vocabulum *βελτίων* posuit Aristoteles. Altero, quo *βελτίονα* idem quod *οἷα δεῖ εἶναι* significat, ad generositatem animi refertur, quae decet heroas, tanquam genus hominum praestantius. Altero, quo meliores mores peioribus opponuntur atque *βελτίονες* iidem sunt, qui *σπουδαῖοι*, ad decorem refertur. Possunt igitur opinabilia eadem et praestantiora et vitiosiora vel turpiora quam vera esse; idemque de reliquis duobus veritatis generibus dictum puta (cf. c. 25, 7.). Item vulgares mores et hominibus et diis et heroibus tribui possunt: id quod factum esse videmus in Plauti Amphitruone. Vulgares enim mores recentior comoedia, turpiores antiquior comoedia, graviores tragoedia imitatur.

His perspectis rectius aestimabis vim eorum, quae Sophocles dixisse fertur, se homines tales, quales esse debeant, effingere, Euripidem tales, quales revera sint*). Nihil enim aliud ab eo dictum esse intelliges, quam id, quod quilibet videt, Sophoclem servata heroum dignitate nihil illis tenue, nil humile, nil illiberale, nil denique quod

---

*) Aristot. Poet. c. 25, 6., ubi de problematis disserit, *πρὸς δὲ τούτοις*, inquit, *ἐὰν ἐπιτιμᾶται, ὅτι οὐκ ἀληθῆ, ἀλλ' οἷα δεῖ, οἷον καὶ Σοφοκλῆς ἔφη αὐτὸς μὲν οἵους δεῖ ποιεῖν, Εὐριπίδην δὲ οἷοί εἰσι, ταύτῃ λυτέον. εἰ δὲ μηδετέρους, ὅτι οὕτω φασίν* (opinabiles), *οἷον τὰ περὶ θεῶν.* His adde, si lubet, c. 25. §. 17., qui locus corruptelam traxit. Praemissa enim descriptione *ἢ πρὸς τὸ βέλτιον ἢ πρὸς δόξαν δεῖ ἀνάγειν*, haec deinde iterat: *ἀλλὰ καὶ πρὸς τὸ βέλτιον· τὸ γὰρ παράδειγμα δεῖ ὑπερέχειν* (exemplar enim illustrius esse debet)· *πρὸς δ' ἃ φασὶ* (i. e. *πρὸς τὴν δόξαν*) *τἄλογα οὕτω τε καὶ ὅτι ποτὲ οὐκ ἄλογόν ἐστιν· εἰκὸς γὰρ πολλὰ καὶ παρὰ τὸ εἰκὸς γίνεσθαι* (cf. c. 18. §. 6.), i. e. ad opinionem ea, quae praeter rationem esse videntur, referenda sunt duplici modo, ut aut meliora, quam vulgaria, illa esse, aut multa etiam verisimilia praeter similitudinem veri fieri dicamus.

ab heroum persona alienum esset, tribuisse; Euripidem hominum, quam heroum, mores imitari maluisse et passim personas, quibus heroum nomina imposuisset, humiliter timideque agentes induxisse, velut Menelaum. Idem a Dionysio et passim a grammaticis notatum est, quorum ille in vet. script. cens. c. II, 11. „Sophocles, inquit, in affectibus excellit, servans personarum dignitatem: nam Euripides quidem totam veritatem et praesentis vitae consuetudinem probavit (*Εὐριπίδῃ μὲν γοῦν τὸ ὅλον ἀληθὲς καὶ προςεχὲς τῷ βίῳ τῷ νῦν ἤρεσεν*; vulgo *Εὐριπίδης μέν γ' οὐ τὸ ὅλον κτλ.*), unde decor eum et dignitas (*τὸ πρέπον καὶ κόσμιον*) saepe effugerunt. Itaque non generosos et magnanimos personarum mores affectusque, quemadmodum Sophocles, effinxit, sed si quid est illiberale, molle ac tenue, studiose ab eo expressum esse videas." Minus subtiliter hic de omnibus Euripidis personis effatus est quod de paucis dicere licuit: an oblitus erat Polyxenae? de cuius persona schol. ad v. 339. hoc verissime monuit: *ἐνταῦθα ἐφύλαξεν Εὐριπίδης τὸ ἡρωϊκὸν ἦθος· οὐ γὰρ ταπεινῶς, ἀλλὰ μετὰ παῤῥησίας τὴν Πολυξένην λέγειν εἰςήνεγκεν.* Verum non heroicos mores appellare debuit, sed philosophicos. Sic enim se res habet: eruditos homines pro bellatoribus, philosophos pro heroibus, mundanos pro graecis substituit poeta, qui longe ante, quam Socrates, qui fons et caput philosophorum appellatur, docendis adolescentibus operam daret, philosophiam, ut ait Cicero, de coelo devocavit et in urbibus collocavit et in domos introduxit, cuius denique carminibus multo citius latiusque, quam disserendo potuit, philosophia, quae de vita et moribus, de rebus bonis malisque quaerit, divulgata est. Sed ad Aristotelem redeo. Aperte igitur hic meliores vel *σπουδαίους* mores proprios tragoediae esse dixit c. 2. §. 4., unde veros et vulgares non eosdem dici apparet. Quomodo autem differrent, exemplo pictorum explicavit c. 15. §. 8: „Quoniam autem imitatio est tragoedia praestantiorum, idem nos facere oportet, quod boni imaginum pictores. Etenim illi, reddentes propriam cuiusque formam, quum similes exhibeant, tamen pulcriores pingunt. Sic etiam poetam

oportet, imitantem iracundos, socordes et qui alia eiusmodi vitia in moribus habent, decoros (ἐπιεικεῖς) effingere, quale exemplar duritiae est Achilles Agathonis et Homeri." Vera imitantur qui certorum hominum imagines pingunt, at non vulgaria vel sordida, a quibus tamen in quotidiana vitae consuetudine neminem liberum esse dixit Goethius *).

Regibus similes erant heroes, itaque epopoeiis eorum personae conveniebant, quod poeseos genus ipsum regale est et in principum aulis maxime colebatur. Dramata fere in liberis civitatibus nasci solent et in iisdem theatris domicilia collocant, in quibus populorum conciones habentur. Unde non est mirandum, quod veri mores moribus heroum in tragoediis substitui coeperunt, perinde atque in patriciorum locum plebeii enisi sunt. Erat igitur hoc quoque Euripidis institutum valde populare (δημοκρατικὸν γὰρ αὔτ' ἔδρων, Aristoph. Ran. 942.). Neque idem solum vera iis, quae cupimus esse (οἷα δεῖ εἶναι), sed praesentia quoque antiquis substituit et eam victus consuetudinem, qua ipsius aetate Graeci utebantur, ad priscos homines transtulit, quod eius institutum ipsum passim a grammaticis notatum est, velut schol. Hipp. 230. Med. 235. Veritatis autem imitatio uberrimam materiam ad perstringendas Euripidis fabulas dedit Aristophani, homini omnibus sui saeculi vitiis inquinatissimo. Longe vero omnium ineptissima accusatio a recentioribus quibusdam criticis grammaticisque facta est, aegre ferentibus, quod in conformandis fabulis noster ab antiquiorum memoria passim recessisset. Quasi antiquitatis memoriam immutatam servare officium sit poetae! Ab Aristotele quidem hanc rationem in laude poni facile intelligitur ex iis, quae ab eo disputata in medium protulimus; quin etiam Agathonis rationem probat, ex fictis rebus fictisque personis tragoediam componentis.

Ceterum carmina quanto minus ad similitudinem verorum hominum imaginarios exprimant, tanto et ad moven-

*) Weit hinter ihm in wesenlosem Scheine
Lag, was uns Alle bändigt, das Gemeine.

dum minus efficacia et ad docendum minus utilia esse ipsi illi vituperatores, qui inter nos exstiterunt, exemplo suo confirmarunt. Nam quum medii, quod vocatur, saeculi mores carminibus suis imitari studerent, non solum huius formam speciemque minus assecuti sunt, sed etiam spe vehementius homines commovendi exciderunt et paene iam ipsi cum scriptis suis in oblivionem abierunt. Et documento est etiam Sophocles: qui quum heroum dignitati servandae maxime studeret, delectavit quidem homines fabulis suis, tanquam statuarum quarundam pulcritudine, sed minus perstrinxit neque aculeum in animis auditorum reliquit, quantoque minus sui saeculi studia moresque expressit, tanto minus movit tenuitque, tanto minus in vitam hominum dirigendam momenti habuit, ut statim post obitum eius, non Sophocles an Aeschylus, sed Euripides an Aeschylus melior poeta esset, quaesitum sit. Neque hercle aliam ob caussam Sophocli pepercit Aristophanes, quam quod exiguam carmina eius ad mores conformandos, ad acuenda ingenia, ad artium studia excitanda vim habere intelligebat.

Exinde dicendi genus utriusque Dionysio duce comparemus, cuius verba (de vet. script. cens. II, 11.) haec sunt: „Sophocles quidem novorum verborum fabricator est ac saepenumero ex nimia amplitudine in inanem verborum pompam exit*). Euripides autem neque sublimis est neque vero submissus, sed ex utrisque temperata orationis mediocritate utitur et fere dicendi virtutes comicorum omnes imitatur: sunt enim hi quoque sententiis splendidi et perspicui et concisi et magnifici et arguti (*δεινοί*) et ad vitam moresque accommodati; et in Menandro etiam nervi atque efficacitas (*τὸ πρακτικόν*) considerandi sunt." Adde eiusdem de compos. lib. c. 26. p. 426. et audi de numerorum suavitate disserentem ibid. c. 11. et c. 23., quo loco politae floridaeque compositionis (*γλα-*

*) *ποιητικός ἐστιν ἐν τοῖς ὀνόμασι καὶ πολλάκις ἐκ πολλοῦ τοῦ μεγέθους εἰς διάκενον κόμπον ἐκπίπτων*; his adiecta sunt haec: *οἷον εἰς ἰδιωτικὴν παντάπασι ταπεινότητα κατέρχεται*, quae corrupta esse neque de Sophocle dici potuisse manifestum est.

φυρᾶς καὶ ἀνθηρᾶς συνθέσεως), quae vocum suavitate, laevitate, lenitate et quasi virgineo quodam decore conficiatur *), exemplum inter tragoedias solas Euripidis esse affirmat **). Palma igitur in hac parte a duobus summis iudicibus Euripidi defertur: nam Aristotelis sententiam supra explicavimus.

Restat, ut de oeconomia dramatum quae iidem auctores iudicarunt in medium proferamus. Dionysii verba haec sunt: „Sophocles quidem nunquam supervacaneus est in orationibus (*ἐν τοῖς λόγοις*), sed necessarius; Euripides autem multus est in oratoriis argumentationibus (*εἰςαγωγαῖς*).“ Aristotelis notum est illud: *εἰ καὶ τὰ ἄλλα μὴ εὖ οἰκονομεῖ* (Poet. c. 13. §. 6.). Loquacitatis (*λαλιᾶς*) nostrum propter hoc eius institutum a plerisque accusatum esse testatur Plutarchus (de aud. poet. c. 13.). Eodem spectant quae Lucianus in Iove trag. scripsit: *ἐπεὶ καθ' αὑτὸν ὁπόταν ὁ Εὐριπίδης, μηδὲν ἐπειγούσης τῆς χρείας τῶν δραμάτων, τὰ δοκοῦντά οἱ λέγῃ, ἀκούσῃ αὐτοῦ τότε παῤῥησιαζομένου·*

ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ τόνδ' ἄπειρον αἰθέρα κτλ.

Aristophanes denique, quum eundem morem creberrime vituperaret, Euripidem induxit caussam, qua vel excusaret vel probaret institutum suum, afferentem gravissimam (Ran. 948.):

ἔπειτ' ἀπὸ τῶν πρώτων ἐπῶν οὐδὲν παρῆκ' ἂν ἀργόν.

Nullam dramatis partem voluit inanem esse, nulla non perstringi excitarique spectatores: quamobrem si quos locos rebus minus nitescere posse minusque ad irritandos animos vi affectuum valere intelligeret, hos argutis sententiis acribusque verborum contentionibus splendidos reddere studebat. Reminiscendum est enim eorum, quae de

---

*) *εὔφωνά τε βούλεται εἶναι πάντα ὀνόματα καὶ λεῖα καὶ μαλακὰ καὶ παρθενωπά· τραχείαις δὲ συλλαβαῖς καὶ ἀντιτύποις ἀπέχθεταί που· τὸ δὲ θρασὺ πᾶν καὶ παρακεκινδυνευμένον καὶ δι' εὐλαβείας ἔχει.*

**) *μελοποιῶν δὲ Σαπφὼ καὶ μετὰ ταῦτα Ἀνακρέοντά τε καὶ Σιμωνίδην, τραγῳδοποιῶν δὲ μόνον Εὐριπίδην.*

theatris Horatius monuit: non iam parvum, frugi, castum verecundumque populum coisse,

„Postquam coepit agros extendere victor, et urbem
Latior amplecti murus, vinoque diurno
Placari Genius festis impune diebus."

A theatrorum natura omnis dramaticae poeseos conformatio inde a primis temporibus pependit. Non vituperamus Aeschylum, quod relicta Homeri simplicitate et naturali nitore theatra et rerum atrocitate et verborum pompa commovere instituit; probamus, quod accedente numeris modisque licentia maiore etiam fidibus voces crevere severis,

Et tulit eloquium insolitum facundia praeceps,
Utiliumque sagax rerum et divina futuri
Sortilegis non discrepuit sententia Delphis;

omnes ubique artifices vulgi sensui opera sua accommodasse et temporum locorumque necessitati obedivisse videmus: et tamen Euripidem, quod multitudinem, ex doctis indoctisque, rusticis urbanisque, turpibus honestisque confusam, quibusdam delenimentis capere ac retinere studuit, nullo non opprobrio dignum esse ducimus.

Sed satis iam de his disputatum esse videtur. Ad Hippolytum secundum, qui coronatus appellatur, me converto, qui quo anno actus sit, planissime docemur argumento antiquitus tradito hisce verbis: *ἐδιδάχθη ἐπὶ Ἀμείνονος ἄρχοντος, ὀλυμπιάδι ὀγδοηκοστῇ ἑβδόμῃ, ἔτει τετάρτῳ. Πρῶτος Εὐριπίδης, δεύτερος Ἰοφῶν, τρίτος Ἴων. Ἔστι δὲ οὗτος ὁ Ἱππόλυτος δεύτερος καὶ στεφανίας προςαγορευόμενος.* Eo tempore pestilentiae vis gravissima per biennium civitatem depopulata erat; eodem anno Pericles, deorum hominumque iniuriis paene ultra modum humanum vexatus, decesserat. Huius memoriae dicatos esse versus dramatis extremos monuit Boeckhius de gr. trag. princ. p. 181:

ὦ κλείν' Ἀθηνῶν Παλλάδος θ' ὁρίσματα,
οἵου στερήσεσθ' ἀνδρός. ὦ τλήμων ἐγώ.
κοινὸν τόδ' ἄχος πᾶσι πολίταις
ἦλθεν ἀέλπτως·
πολλῶν δακρύων ἔσται πίτυλος·
τῶν γὰρ μεγάλων ἀξιοπενθεῖς
φῆμαι μᾶλλον κατέχουσιν.

Obiit, inquit, Pericles archonte Aminia mense Metageitnione (v. Dodwell. Annal. Thucyd. p. 657. Lips.); paucis interiectis mensibus sunt Lenaea, quibus acta haec fabula erit. Idem haud pauca dicta ostendit eiusmodi esse, ut perinde ad civitatis, quam ad personarum, qui effantur, mala referri possint: velut illa nutricis

κρεῖσσον δὲ νοσεῖν ἢ θεραπεύειν κτλ.,

quae apte idem contulit cum Thucydidis verbis II, 51: ὅτι ἕτερος ἀφ' ἑτέρου θεραπείας ἀναπιμπλάμενοι κτλ. Neque minus Phaedrae verbum:

— — — ἀλλὰ κρατεῖ
μὴ γιγνώσκοντ' ἀπολέσθαι,

cum his, quae idem scriptor commemoravit — τοὺς δὲ καὶ λήθη ἐλάμβανε παραυτίκα ἀναστάντας τῶν πάντων ὁμοίως, καὶ ἠγνόησαν σφᾶς τε αὐτοὺς καὶ τοὺς ἐπιτηδείους — congruere monuit. Neque potuerunt Athenienses, cum audirent haec Phaedrae:

ἄφελ', ἀμπέτασον βόστρυχον ὤμοις,

rursusque:

πῶς ἂν δροσερᾶς ἀπὸ κρηνῖδος
καθαρῶν ὑδάτων πῶμ' ἀρυσαίμαν κτλ.

non recordari eorum, quae morbo laborantibus acciderant, teste Thucydide c. 49: τὰ δ' ἐντὸς οὕτως ἐκαίετο, ὥςτε μήτε τῶν πάνυ λεπτῶν ἱματίων καὶ σινδόνων τὰς ἐπιβολὰς μήτ' ἄλλο τι ἢ γυμνὸν ἀνέχεσθαι, ἥδιστά τ' ἂν ἐς ὕδωρ ψυχρὸν σφᾶς αὐτοὺς ῥίπτειν κτλ. Adde ea, quae ad consolandos confirmandosque aegrotos pertinent:

θάρσει, τέκνον, καὶ μὴ χαλεπῶς
μετάβαλλε δέμας κτλ.

Denique quae de nimio amicitiae studio nutrix pronuntiat, eadem vulgo dictitata esse, Thucydidis c. 52. legens intelliges.

Haec omnia si ea caussa inserta esse dicas, ut quasi lenocinio audientium aures captarentur, iniuriam facias. Non lenocinatur enim is, qui popularium conditione tangitur et, dum de communi mortalium sorte meditatur, ad praesentia et propria civium mala respicit, sed sensu humanitatis se destitutum non esse significat. Potius philosophi meditationem his declarari intelligendum est, do-

centis non leviores animi morbos ex perturbationibus, quam corporis ex pestilentia nasci et dolores utriusque similes esse. Nihil autem horum, quae tempori data sunt, non apte haeret et fabulae convenit. Cuius generis est etiam illud, quod de spuriis filiis dictum est v. 1080:

ὦ δυςτάλαινα μῆτερ, ὦ πικραὶ γοναί.
μηδείς ποτ' εἴη τῶν ἐμῶν φίλων νόθος.

Tulerat Pericles legem, qua quicunque non utroque parente Atheniensi nati essent, spurii iudicati civitate privarentur, qua lege paene quinque millia damnati venditique erant. Idem, omnibus legitimis liberis peste absumtis, ne orbitate nomen familiae et progenies interiret, legem, quam tulerat, ipse abrogavit. Gratificatum hoc Pericli esse, ut lex antiquaretur, dicit Plutarchus: noluisse enim populum cladibus domesticis fracto deorumque invidia oppresso adversari. Sed idem, quod illi, multis patribus accidisse credibile est, gratumque omnibus fuisse remedium, quo numerus civium pestilentia imminutus augeretur. Hoc igitur Periclis consilium probat Euripides. Est enim Hippolytus genere spurius, matre natus barbara, sed virtute vel omnibus legitimis praestantior; cf. v. 308:

νόθον, φρονοῦντα γνήσια.

Huius generis non dubito quin plura inveniri possint ad res, quae tum maxime gerebantur, pertinentia. Sed maius est quod argumentum ipsum ex rebus Atheniensium petitum est, quod Thesei, qui civitatem condidit, domus inopinata calamitate opprimitur, quod rex, dum coronatus atque omnia fausta sperans ex oraculo redit, daemonis invidia repente et uxore et adulto filio orbatur, quod omnes praestantissimi, omnes culpa liberrimi mulcantur, quod summa generositate, summa fortitudine atque constantia et Phaedra et Hippolytus mala perferunt et interire, quam quidquam turpe committere, malunt. Idem, quod Theseo, multis Atticorum illa tempestate accidisse necesse est: quibus hanc fabulam consolationi esse volebat Euripides. Plurimi enim et senserant et cogitaverant ea, quae illo carmine continentur: ἦ μέγα μοι τὰ θεῶν μελεδήματα κτλ.

Plenum talibus meditationibus fuit drama Bellerophontes, quod una cum Hippolyto in theatrum delatum esse

satis manifestis indiciis motus mihi persuadeo. Bellerophontes, qui diis invisus solitarius erraret, nullo tempore aptius repraesentari potuit quam eo, quo universus populus malis consuetudine maioribus fractus ullam a diis rerum humanarum curam geri aut virtutis ullum fructum esse desperabat, neque videntur homines rudes patienter aures tam subtili disputationi praebituri fuisse, nisi medicinam, quam desiderarent, illi inesse sentirent. Quamobrem iis, qui hanc tragoediam aestimare velint, Thucydidis narratio (II, 52.) reputanda esse videtur, docentis easdem dubitationes fuisse eosdemque scrupulos populo Atheniensi iniectos. Sit igitur hoc exemplum instar plurimorum, quae inveniri possunt, et prudentiae Euripidis et pietatis et humanitatis, quibus ductus ad sananda publica mala artem et facultatem suam conferre, quam bonis suis securus tranquillusque frui maluerit. Qui si nulla rerum communium publicarumque habita cura venustissima quaeque atque elegantissima sequi voluisset, et delectando quam docendo movendoque aptiora proponere, non carebat istorum bonorum assequendorum facultate. An simplici eum officio imparem fuisse putamus, cum duplici egregie satisfactum esse intelligamus? Nunquam enim cum dispendio venustorum utilia atque opportuna secutus est. At nobis multorum saeculorum intervallo ab illis temporibus remotis neque temporum tantum rerumque conditionem, sed artis quoque caussas ignorantibus, quaedam intempestive addita, alia minus concinna, multa cupidius quam prudentius inserta esse videntur. Levissimi sunt poetarum ii, quorum operibus nil inest, in quo peregrini offendantur, nil, quod tollere velint, quod alienum esse videatur. Quam veniam quum Shacesperio, antea in invidiam inducto, pridem nostri dederint, Euripidem, iniquissimo iudicio circumventum, damnare non desinunt. Et quo tandem accusatore, quo teste damnant? Comico, qui philosophiam Euripidis, non poesin, accusat, quem calumniis studere omnia testantur, quem accusatorem respuebant aequales, cuius iudicium Graeci Romanique semper negligebant: qui si qua praeter philosophiam in Euripide reprehendit, eadem fere omnia in Sophocle inesse apparet. Alterum indicium temporis, quo Bellerophontem

doctum esse dico, ex Aristophane peto. Respicitur enim ad hanc fabulam iam in Acharnensibus, quos Ol. 88, 3. actos esse constat; sed in Pace demum (Ol. 89, 3.) tota in risum detorquetur planeque omnia eadem ratione a Trygaeo fiunt, qua facta sunt a Bellerophonte. Et quidem ille rusticus, publica necessitate adductus, unus de multis, qui malorum vi ac multitudine ad desperationem adducti essent, in coelum evehitur, num revera dii ibi habitent, an vasta sit solitudo, quaesiturus. Eandem igitur rerum conditionem, eundem temporum respectum tragoediae, quam comicus imitabatur, subfuisse necesse est. Atqui graviores desperationis caussae praeter eam tempestatem, qua pestilentia Attici vexabantur, ante Ol. 88, 3. nullae inveniuntur. Quamobrem ante hoc tempus Bellerophontes scribi agique vix potuisse videtur. Denique non levissimi momenti est similitudo, propter quam Bellerophontem cum Hippolyto consociatum fuisse coniicio. Adoptivus filius Proeti Bellerophontes est, Hippolytus Thesei spurius. Feminarum, a quibus perdite amantur, ultione uterque interimitur; caussa autem iracundiae utrique feminae falsa suspicio est, cum crimen ab adolescentibus ad maritos delatum esse temere credant; utraque non ferens dedecus statim se interficit, poenas ab iis, quorum caussa pereunt, exacturae crudelissimas. Fastu et insolentia supra conditionem humanam uterque iuvenis effertur; uterque daemonum invidia perit; uterque a castissimis deabus, a Minerva alter, alter a Diana, amatur, quae quamvis interitum non arceant, tamen neque mercede sua virtutem privari sinunt, et adsunt morientibus, consolantur, ultionem suscipiunt resque componunt.

Tertiam fabulam Antigonam adiungo. Nam quod Boeckhius ex fine Phoenissarum effici voluit, post hanc tragoediam demum compositam Antigonam et quodammodo illam hac continuatam esse, quoniam quae in Antigona repraesentarentur in Phoenissis primis quasi lineis designata haberentur, ex eo argumento contrarium quoque atque id, quod vir summus voluit, effici posse intelligo. Neque autem facile fieri potuit, ut post Phoenissas Euripides ullam tragoediam praesens doceret, quippe quum paullo post, quam illas docuisset, in Macedoniam abierit ac tribus interiectis

25*

annis e vita decesserit: quo temporis spatio quum Archelaum, Bacchas, Iphigeniam in Aulide et Alcmaeonem in Corintho scriptas esse constet, ad plures fabulas componendas tempus vix suffecisse videtur. Ex Aristophane, quum praeter Ranas (v. 1082. 1187. 1391.) nusquam ad Antigonam respexerit, de tempore nil colligere licet. Caussa autem mihi est hanc tragoediam cum iis, quas dixi, coniungendi, quod genuinum filium Creon ut degeneratum respuit, dicens:

ὀνόματι μεμπτὸν τὸ νόθον, ἡ φύσις δ' ἴση,

quodque patres cum filiis litigantes etiam in Hippolyti ac Bellerophontis fabulis exhibentur.

Denique his Cyclopis fabulam satyricam addere lubet, quam antequam in Siciliam classis Atheniensium proficisceretur actam esse coniicio.

A. Bellerophontes.

De huius tragoediae argumento nemo nos accuratius docet auctore epigrammatum, quae quondam Cyzici in templo, quod Attali Eumenisque fratrum pietas matri consecraverat, imaginibus adscripta fuerunt, quaeque ex codice Vaticano edidit iterum Iacobsius in Anthol. Vol. III. parte III. p. 620 seqq. Horum igitur decimum quintum (n. 22. p. 634.) sic se habet:

Ἐν δὲ τῷ πεντεκαιδεκάτῳ Βελλεροφόντης ὑπὸ τοῦ παιδὸς Γλαύκου σωζόμενος, ἡνίκα, κατενεχθεὶς ὑπὸ τοῦ Πηγάσου εἰς τὸ Ἀλήϊον πεδίον, ἔμελλεν ὑπὸ Μεγαπένθους τοῦ Προίτου φονεύεσθαι. Deinde sequuntur tria disticha mendose in codice scripta sic:

οὐκέτι Προίτου παιδὸς φόνον ἔσχεθε Βελλεροφόντης
τοῦδ' ἐκ τοῦ παιδὸς τειρομένου θάνατον
Γλαύκου κ ρ α ν τ α γ ε ν ο υ ς Ἰοβάτου δ' ὑπαλύξει·
οὕτως γὰρ Μοιρῶν . . ἐπέκλωσε λίνα.
Καὶ σὺ πατρὸς φόνον αὐτὸς ἀπήλουσας ἐγγύθεν ἐλθών,
καὶ μύθων ἐσθλῶν μάρτυς ἐπεφράσατο.

Recte Iacobsius primum versum emendasse videtur coniiciendo *παῖδα φόνου σχέθε*, recte idem in quinto *ἀπήλασας* reposuit et in quarto *τῷδε* inseruit; reliquorum emendatio minus ei feliciter cessit. In litteris *(ΚΡΑ)ΝΤΑΓΕΝΟΥΣ* nomen *ΜΕΓΑΠΕΝΘΟΥΣ* latere manifestum est. Tum in eodem versu pro *Γλαύκου* reponi vocativum *Γλαῦκε* postulant ea quae sequuntur, *καὶ σὺ κτλ.* His intellectis reliquorum medela facilis est. Quamobrem sic scribendum esse censeo:

Οὐκέτι Προίτου παῖδα φόνου σχέθε Βελλεροφόντης,
τοῦ δ' ἐκ σοῦ, παιδός, τειρομένου, θάνατον,
Γλαῦκε, παρὰ Μεγαπένθους Ἰοβάτου θ' ὑπάλυξεν·
οὕτως γὰρ Μοιρῶν τῷδ' ἐπέκλωσε λίνα.
Καὶ σὺ πατρὸς φόνον αὐτὸς ἀπήλασας ἐγγύθεν ἐλθών,
καὶ μύθων ἐσθλῶν μάρτυς ἐπεφράσατο.

Verte: „Non amplius caedem filii Proeti (a capite suo) arcebat Bellerophon; sed cum ille a te, filio, premeretur, mortem, Glauce, quam Megapenthes Iobatesque intentabant, effugit: sic enim fatis ei destinatum erat. Et tu caedem a patre ipse propulsasti subveniens, et (pater) probarum orationum (tuarum) testis animum attendit." Alia, quae non sunt verbis expressa, ex loco, in quo illa depicta erant, coniectare licet. Nam quum omnibus imaginibus, quibus illius templi columnae decoratae erant, exempla pietatis filiorum erga matres repraesentata fuerint, hanc picturam eodem pertinuisse necesse est: unde a Stheneboea matre impulsum Megasthenem caedem illam Bellerophontis perpetrandam suscepisse intelligitur. Praeterea aperte Euripidem secutus est Hyginus fab. 57. et astron. II, 18. Tertium testimonium exstat scholiastae Homeri Il. VI, 155. Denique multum ad eruendam dramatis structuram conferunt Aristophanis imitationes et scholiastarum eiusdem annotationes.

Prooemium nemo commodius Megapenthe, Proeti et Stheneboeae filio *), dicere potuit. Eius materiam Hyginus posuit his verbis (fab. c. 57.): „Bellerophon cum ad

---

*) Cf. Pausan. II, 16. p. 146. Hygin. c. 244. Schol. Pind. Nem. IX, 30. Diod. IV, 68.

Proetum regem exul in hospitium venisset, adamatus est ab uxore eius, Sthenoboea. Qui cum concumbere cum ea noluisset, illa viro suo mentita est se ab eo compellatam. At Proetus, re audita, conscripsit tabellas de ea re, et mittit eum ad Iobaten regem, patrem Sthenoboeae: quibus lectis talem virum interficere noluit, sed ad Chimaeram eum interficiendam misit, quae tripartito ore flammam spirare dicebatur idem (scr. identidem), prima leo, postrema draco, media ipsa chimaera. Hanc super Pegasum sedens interfecit *). At rex virtutes eius laudans alteram filiam dedit ei in matrimonium. Sthenoboea, re audita, ipsa se interfecit" **). Paullo uberius eadem a Malala in chronogr. IV. p. 102. (83.) exponuntur, qui ad Euripidis auctoritatem nominatim provocat. Stheneboeam suspicor, cum Iobatis litteris simul fraus eius detecta et Bellerophontis innocentia cognita esset, mortem sibi consciscere coactam esse, sed iureiurando antea filium, etiamtum puerulum, obstrinxisse sese matris mortem caede Bellerophontis ulturum. Itaque Megapenthes, quum ad iuvenilem aetatem pervenisset, in Lyciam profectus et ab avo receptus, hunc nactus est adiutorem consilii atque socium. Fertur enim Iobates, quamvis Bellerophonti Philonoen filiam in matrimonium dedisset, ex qua natus erat Glaucus ***), tamen non desiisse eum periculis obiicere atque etiam insidias ei collocasse, invidentem viri virtuti †). Potuit igitur prooemio colloquium Iobatis Megapenthisque, quo utriusque conspiratio declararetur, subiungi.

Fragmenta prologi duo exstant, ad maiores Megapenthis patriamque eius pertinentia:

---

*) Post haec alieno loco inserta sunt verba: „Et decidisse dicitur in campos Aleios, unde etiam coxas eiecisse dicitur."

**) Confirmat schol. Arist. Ran. 1050: *ἐλθόντος οὖν ἐκεῖσε Βελλεροφόντου καὶ καθαροῦ φανέντος, μὴ φέρουσα τὴν αἰσχύνην Σθενέβοια κωνείῳ ἐχρήσατο.* Testantur etiam Aristophanis verba; cf. Welck. p. 784.

***) Cf. Tzetzes ad Lycophr. v. 17. Apollod. II, 3, 2.

†) Cf. Plutarch. p. 147. B: *οὐδενὸς ἐτύγχανε τῶν δικαίων, ἀλλ' ἦν ἀδικώτατος περὶ αὐτὸν Ἰοβάτης.*

Σφαγὰς δὲ Δαναοῦ παρθένων Λυγκεὺς φυγὼν
Ἄβαντα φύει διάδοχον τυραννίδος *)
— — — — —
καὶ ξεστὸν ὄχθον, Δαναΐδῶν ἑδράσματα.

Chorus vix potuit ex aliis personis, quam sodalibus Bellerophontis, qui studio eius ducti ad aegrotum visendum veniebant, constare. Laborabat autem ille non aegritudine, ut est apud Homerum, sed insania sive furore divinitus immisso **). Hanc eius conditionem suspicor colloquio cum choro conserto a Glauco descriptam esse simili ratione, atque apud Aristophanem de Trygaei morbo famulus exponit, simulque auditas esse voces Bellerophontis intus clamantis. Huius narrationis sunt versus, quibus Aristophanes abusus est:

ἄγ', ὦ φίλον μοι Πηγάσου ταχὺ πτερόν,
ὅπως πετήσει μ' εὐθὺ τοῦ Διὸς λαβών.

Repente conspicitur Bellerophon sublimis Pegaso insidens:

ἴθι χρυσοχάλιν' αἴρων πτέρυγας
— — — — —
πάρες, ὦ σκιερὰ φυλλάς· ὑπερβῶ
κρηναῖα νάπη, τὸν ὑπὲρ κεφαλῆς
αἰθέρ' ἰδέσθαι σπεύδω, τίν' ἔχει
στάσιν Εἰνοδίας ***) — — —.

Hos anapaestos interpellatos esse colloquio filii suspicor, subsistente in aedium fastigio Bellerophonte. Imitationis enim vestigia deprendere mihi videor in his Aristophanis:

ποῖ δῆτ' ἄλλως μετεωροκοπεῖς;
— — — —
τί πέτει; τί μάτην οὐχ ὑγιαίνεις;
— — — —
ἐκεῖνο τήρει, μὴ σφαλεὶς καταῤῥύῃς.

---

*) Cf. Welck. p. 786.

**) Schol. ad Il. ζ, 200: *οὐχ, ὥς οἱ νεώτεροί φασι, μελαγχολήσας, ἀλλ' ὀδυνώμενος ἐπὶ τῇ τῶν ἑαυτοῦ παίδων ἀπωλείᾳ ἐμόναζε.* Aristot. Problem. XXX, 1. Galen. de medico 13. Tzetz. Chil. VII, 854: *ἤρθη ταῖς νίκαις ὁ ἀνήρ, αἰθέρια ἐφρόνει.*

***) Palladas Anthol. T. I. p. 514. n. 683:
οὕτω Πήγασος ἵππος ἀπώλεσε Βελλεροφόντην
βουληθέντα μαθεῖν ἀστροθέτους κανόνας.

Confirmatur haec coniectura fragmento septimo —
τιμή σ' ἐπαίρει τῶν πέλας μᾶλλον φρονεῖν —
quod huc pertinere apparet ex schol. Il. VI, 155: *λέγεται δὲ αὐτὸν, ἐπαρθέντα ἐφ' οἷς ἔπραξε, θελῆσαι μετὰ τοῦ Πηγάσου τὸν οὐρανὸν κατοπτεῦσαι.* Deinde maiori impetu Pegasus in altum enitebatur vel haec vel similia dicente Bellerophonte:

μή μοι σοβαρῶς χώρει λίαν
εὐθὺς ἀπ' ἀρχῆς, ῥώμῃ πίσυνος,
πρὶν ἂν ἰδίσῃς καὶ διαλύσῃς
ἄρθρων ἶνας πτερύγων ῥύμῃ,
κᾆτα δρομαίαν πτέρυγ' ἐκτείνων
ὀρθῶς χώρει Διὸς εἰς αὐλάς.

Chori carminis, quod hunc actum excipiebat, pars fuisse possunt illa Aristophanis v. 733., quae tragicum colorem habere sensit Bothius:

ἣν ἔχομεν ὁδὸν λόγων,
εἴπωμεν, ὅσα τε νοῦς ἔχει.

Prodibat deinde nuntius, quem non utique deum fuisse necesse est. Nam si ad Phaethontis cursum intuendum mortalium oculi suffecerunt, multo magis Pegasi volatum iidem persequi potuerunt. De cuius volatus eventu haec conferenda sunt scriptorum testimonia: Asclepiadis apud schol. Il. V, 155: *τὸν δὲ Δία μηνίσαντα οἶστρον ἐμβαλεῖν Πηγάσῳ, ὥςτε ἐκπεσεῖν μὲν τὸν Βελλεροφόντην καὶ κατενεχθῆναι εἰς τὸ Λυκίας πεδίον τὸ ἀπ' αὐτοῦ καλούμενον Ἀλήϊον πεδίον, ἀλᾶσθαι δὲ κατὰ τοῦτο πηρωθέντα, τὸν δὲ ἵππον λαβεῖν τὴν Ἠῶ, δεηθεῖσαν τοῦ Διὸς δῶρον πρὸς τὸ ἀκόπως περιιέναι τὰς τοῦ κόσμου περιόδους.* Schol. Pind. Ol. XIII, 130: *φασὶ γὰρ, ὡς βουληθεὶς πρὸς οὐρανὸν ἀναπτῆναι σὺν τῷ Πηγάσῳ ἐξοιστρωθέντος τοῦ ἵππου παρὰ τοῦ Διὸς πίπτει καὶ χωλοῦται.* cf. Tzetzes ad Lycophr. v. 17. Hygin. fab. 57: „Et decidisse dicitur in campos Aleios, unde etiam coxas eiecisse." Idem levi mutatione adhibita in astron. II, 18: „Cum ad coelum contenderet evolare neque longe iam abesset, despiciens ad terram, timore permotus decidit ibique perisse dicitur; equus autem subvolasse et inter sidera ab Iove constitutus existimatur." Adde Horat. Od.

IV, 11, 27. Ovid. Ibid. 257. Neque tamen haec omnia nuntii narrationi inerant: certe enim de Pegasi conditione nemo nisi dea Minerva in fine demum dramatis docere potuit. Versus servatus est unus, quo equus Bellerophontis timidior molliorque, quam vellet, factus esse ostenditur:

ἔπτηξ' ὑπείκων μᾶλλον ἢ μᾶλλον θέλοι.

His expositis Bellerophon ipse in scenam referebatur, misere fracto elisoque corpore, sed tamen a lamentis abstinens magnoque animo ferens calamitatem:

οἴμοι· τί δ' οἴμοι; θνητά τοι πεπόνθαμεν

— — — — — —

κομίζετ' εἴσω τόνδε τὸν δυςδαίμονα.

Tempus, quo Bellerophontis vulnera sanantur, uno chori carmine expletur. Huc referre lubet fragm. inc. 122:

ὁ βίος ὄνομ' ἔχει, πόνος ἔργῳ.

Redeunte deinde in scenam claudo debilique Bellerophonte, sequebatur illud Homeri κἀπ πεδίον Ἀλήϊον οἶος ἀλᾶτο ὃν θυμὸν κατέδων, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων, et conspiciebatur vir summus eo habitu, quem significat Aristophanes Acharn. 425. his verbis: ἀλλ' ἦ τὰ δυςπινῆ θέλεις πεπλώματα, ἃ Βελλεροφόντης εἶχ' ὁ χωλὸς οὑτοσί *); Antequam tamen solus per solitudinem vagari incipiat, fiunt illa, quae significat epigramma Cyzicenum his verbis:

καὶ μύθων ἐσθλῶν μάρτυς ἐπεφράσατο.

Studet enim filius patris aegritudinem animique morbum sanare, unde nascitur nobilissima illa disputatio, cuius bona pars servata est:

ΒΕΛΛΕΡΟΦΟΝΤΗΣ.

— — — — — —

ἐγὼ τὸ μὲν δὴ πανταχοῦ θρυλλούμενον
κράτιστον εἶναί φημι, μὴ φῦναι, βροτῷ·
τρισσῶν δὲ μοιρῶν ἐγκρινῶ νικᾶν μίαν,
πλούτου τε, χὤτῳ σπέρμα γενναῖον προςῇ,

*) Cf. schol. ad hunc locum: ἐπειδὴ ἐκεῖνος δρᾶμα ἐποίησε τὸν Βελλεροφόντην, ἐν ᾧ χωλὸν εἰςήγαγεν αὐτὸν διὰ τὸ πεπτωκέναι ἀπὸ τοῦ Πηγάσου βουλόμενον εἰς οὐρανὸν ἀνελθεῖν. Schol. ad Pind. Ol. XIII, 130: πίπτει καὶ χωλοῦται (κατὰ δέ τινας καὶ τυφλοῦται) καὶ ἐκπλανᾶται κατὰ τὸ Ἀλήϊον χωλός.

πενίας τ' — ἀριθμὸν γὰρ τοσόνδε προὐθέμην.
ὁ μὲν ζάπλουτος, εἰς γένος δ' οὐκ εὐτυχής,
ἀλγεῖ μέν, ἀλγεῖ, παγκάλως δ' ἀλγύνεται
ὄλβου διοίγων θάλαμον ἥδιστον χερί.
ἔξω δὲ βαίνων τοῦδε, τὸν πάρος χρόνον
πλουτῶν, ὑπ' ἄτης ζεῦγλαν ἀσχάλλει πεσών.
ὅςτις δὲ γαῦρον σπέρμα γενναῖόν τ' ἔχων
βίου σπανίζει, τῷ γένει μὲν εὐτυχεῖ,
πενίᾳ δ' ἐλάσσων ἐστίν, ἐν δ' ἀλγύνεται,
φρενῶν δ' ὑπ' αἰδοῦς ἔργ' ἀπωθεῖται χεροῖν.
ὁ δ' οὐδὲν οὐδεὶς διὰ τέλους τε δυςτυχῶν
τοσῷδε νικᾷ· τοῦ γὰρ εὖ τητώμενος
οὐκ οἶδεν, αἰεὶ δυςτυχῶν κακῶς τ' ἔχων.
οὕτως ἄριστον μὴ πεπειρᾶσθαι καλῶν.
ἐκεῖνο γὰρ μεμνήμεθ', οἷος ἦν ποτε
κἀγώ, μετ' ἀνδρῶν ἡνίκ' εὐτύχουν ποτέ.

Post haec acerba ironia universum genus mortalium perstringit. Mortales enim omnes ait, dum virtutes ebulliant inanesque voces iustitiae probitatisque fundant, voluptatibus atque iis rebus, quibus hae parentur, servire et pecuniam postposita pietate sectari:

ὡς ἔμφυτος μὲν πᾶσιν ἀνθρώποις κάκη·
ὅςτις δὲ πλεῖστον μισθὸν εἰς χεῖρας λαβὼν
κακὸς γένηται, τῷδε συγγνώμη μὲν οὔ,
πλείω δὲ μισθὸν μείζονος τόλμης ἔχων
τὸν τῶν λεγόντων ῥᾷον ἂν φέροι ψόγον.
— — — — — —
ἔα με κερδαίνοντα κεκλῆσθαι κακόν *).

Continuationem horum latine conversam Seneca Epist. 115. suppeditat:

„*Sine me vocari pessimum, ut dives vocer.*
An dives, omnes quaerimus, non an bonus.
Non quare et unde, quid habeas, tantum rogant.
Ubique tanti quisque, quantum habuit, fuit.

*) Fragm. dub. 33. p. 447. Matth. Diodori exc. Vat. L. XXXVII — XL. c. 11. p. 135. Dind.

Quid habere nobis turpe sit, quaeris? nihil!
Aut dives opto vivere aut pauper mori.
Bene moritur qui, dum moritur, lucrum facit.
Pecunia ingens generis humani bonum,
Cui non voluptas matris aut blandae potest
Par esse prolis, non sacer meritis parens.
Tam dulce si quid Veneris in vultu micat,
Merito illa amores coelitum atque hominum movet."

Postremi quinque versus iidem exstant graeci:

ὦ χρυσέ, δεξίωμα κάλλιστον βροτοῖς,
ὡς οὔτε μήτηρ ἡδονὰς τοιάσδ' ἔχει,
οὐ παῖδες ἀνθρώποισιν, οὐ φίλος πατήρ,
οἵας σὺ χοἱ σὲ δώμασιν κεκτημένοι.
εἰ δ' ἡ Κύπρις τοιοῦτον ὀφθαλμοῖς ὁρᾷ,
οὐ θαῦμα ἔρωτας μυρίους αὐτὴν τρέφειν.

Inde deos ullam rerum humanarum procurationem habere negat; fato atque necessitate omnia regi affirmat, cultum autem deorum ex perversa hominum opinione, spe metuque natum esse:

φησίν τις εἶναι δῆτ' ἐν οὐρανῷ θεούς;
οὐκ εἰσίν, οὐκ εἴσ'· εἴ τις ἀνθρώπων λέγει,
μὴ τῷ παλαιῷ μωρὸς ὢν χρήσθω λόγῳ·
σκέψασθε δ' αὐτά, μὴ 'πὶ τοῖς ἐμοῖς λόγοις
γνώμην ἔχοντες· φήμ' ἐγὼ τυραννίδα
κτείνειν τε πλείστους κτημάτων τ' ἀποστερεῖν,
ὅρκους τε παραβαίνοντας ἐκπορθεῖν πόλεις.
καὶ ταῦτα δρῶντες μᾶλλόν εἰσ' εὐδαίμονες
τῶν εὐσεβούντων ἡσυχῇ καθ' ἡμέραν·
πόλεις τε μικρὰς οἶδα τιμώσας θεούς,
αἳ μειζόνων κλύουσι δυςσεβεστέρων
λόγχης ἀριθμῷ πλείονος κρατούμεναι.
οἶμαι δ' ἂν ὑμᾶς, εἴ τις ἀργὸς ὢν θεοῖς
εὔχοιτο καὶ μὴ χερσὶ συλλέγοι βίον,
— — — — — —

πρὸς τὴν ἀνάγκην πάντα τἆλλ' ἐστ' ἀσθενῆ.

— — — — — —

τὰ θεῖα πυργοῦσ' αἱ κακαί τε συμφοραί.

ΓΛΑΥΚΟΣ.

— — — — — —

τοῖς πράγμασιν γὰρ οὐχὶ θυμοῦσθαι χρεών·
μέλει γὰρ αὐτοῖς οὐδέν, ἀλλ' οὑντυγχάνων
τὰ πράγματ' ὀρθῶς ἢν τιθῇ, πράσσει καλῶς.

Surdam quidem dicit atque inexorabilem esse rerum naturam, sed posse a prudentibus res fortuitas ad commodum dirigi, et fortibus favere fortunam:

θάρσος δὲ πρὸς τὰς συμφορὰς μέγα σθένει.

Praesentiam autem deorum ostendi insperato auxilio, quo saepissime praesto sint iis, qui nulla ope humana servari potuerint:

ὁρᾷς δ' ἀέλπτων μυρίων ἀναστροφάς·
πολλοὶ μὲν οἶδμα διέφυγον θαλάσσιον,
πολλοὶ δὲ λόγχαις πολεμίων ἀμείνονες,
ἥσσους γεγῶτες, κρείσσον' ἦλθον ἐς τύχην.

— — — — — —

— — ἀλλ' ἔστι, κἂν τις ἐγγελᾷ λόγῳ,
Ζεὺς καὶ θεοὶ βρότεια λεύσσοντες πάθη *).

ΒΕΛΛΕΡΟΦΟΝΤΗΣ.

ὦ παῖ, νέων τι δρᾶν μὲν ἔντονοι χέρες,
γνῶμαι δ' ἀμείνους εἰσὶ τῶν γεραιτέρων·
ὁ γὰρ χρόνος δίδαγμα ποικιλώτατον.

— — — — — —

πρὸς τὴν νόσον τοι καὶ τὸν ἰατρὸν χρεὼν
ἰδόντ' ἀκεῖσθαι, μὴ 'πίτακτα φάρμακα
διδόντ', ἐὰν μὴ ταῦτα τῇ νόσῳ πρέπῃ.

Iustitiam dicit institutis quidem legibusque civitatum, sed nulla deorum auctoritate defendi, deos iustitia probitateque hominibus non esse superiores.

νόσοι δὲ θνητῶν αἱ μέν εἰσ' αὐθαίρετοι,
αἱ δ' ἐκ θεῶν πάρεισιν, ἀλλὰ τῷ νόμῳ
ἰώμεθ' αὐτάς· ἀλλά σοι λέξαι θέλω,
εἰ θεοί τι δρῶσι φαῦλον, οὐκ εἰσὶν θεοί **).

*) Fragm. inc. n. 144.

**) Respexit ad haec Aristophanes Pac. 848:

Atqui in hominum vita malitiam invidiamque regnare:

φθονοῦσιν, αὐτοὶ χείρονες πεφυκότες,
εἰς τἀπίσημα δὲ φθόνος πηδᾶν φιλεῖ.
— — — — — —
ἤδη γὰρ εἶδον καὶ δίκης παραστάτας
ἐσθλοὺς πονηρῷ τῷ φθόνῳ νικωμένους.
δόλοι δὲ καὶ σκοτεινὰ μηχανήματα
χρείας ἀνάνδρου φάρμαχ' εὕρηται βροτοῖς.
— — — — — —
νείκη γὰρ ἀνδρῶν φόνια καὶ μάχας χερῶν
δόλοισι κλέπτειν, τῆς δ' ἀληθείας ὁδὸς
φαύλη τίς ἐστι, ψεύδεσιν δ' Ἄρης φίλος.

Haec quum patienter ferant dii, nullo modo eos dignitati naturae divinae satisfacere:

πῶς οὖν τάδ' εἰςορῶντες ἢ θεῶν γένος
εἶναι λέγωμεν ἢ νόμοισι χρώμεθα; *)
θνήσκοιμ' ἄν· οὐ γὰρ ἄξιον λεύσσειν φάος,
κακοὺς δρῶντας ἐκδίκως τιμωμένους **).

Quum Bellerophontes abisset eo, ubi neminem mortalium amplius a se conspectum iri sperat, chorus quaestionem eandem repetit veritatemque explanat. Eius cantus initium exstat apud Athenag. p. 28. (1686.), fragm. inc. 186:

πολλάκι μοι πραπίδων διῆλθε φροντίς ***),
εἴτε τύχα τις εἴτε δαί-
μων τὰ βρότεια κραίνει.
— — — — — —
— — παρά τ' ἐλπίδα καὶ παρὰ
δίκαν τοὺς μὲν ἀπ' οἴκων

οὐκ ἂν ἔτι δοίην τῶν θεῶν τριώβολον,
εἰ πορνοβοσκοῦσ' ὥςπερ ἡμεῖς οἱ βροτοί,

et Equit. 32:

ποῖον βρέτας**; ἐτεὸν ἡγεῖ γὰρ θεούς;
„ἔγωγε". ποίῳ χρώμενος τεκμηρίῳ;
„ὁτιὴ θεοῖσιν ἐχθρός εἰμ'· οὐκ εἰκότως;"

*) Fragm. inc. 187. Matth. Cf. Welck. p. 791.

**) Scribendum esse videtur θνήσκοιμεν. Cf. Matth. p. 107.

***) Imitatus est Claudianus:

„*Saepe mihi dubiam traxit sententia mentem.*"

ἀναπίπτοντας ἄτερ βίου,
τοὺς δ' εὐτυχοῦντας ἄγει,

quibus continuo annectendum esse videtur fragm. 27:

ποῦ δὴ τὸ σαφὲς
θνατοῖσιν βιοτᾶς;
θοαῖσιν μὲν ναυσὶ πόρον
πνοαὶ κατὰ βένθος ἅλιον
ἰθύνουσι, τύχας δὲ θνα-
τῶν τὰ μὲν μεγάλ' εἰς οὐδὲν
μεθίστησ' ὁ πολὺς χρόνος,
τὰ μείονα δ' αὔξει *),

— — — —

οὐδέποτ' εὐτυχίαν κακοῦ ἀνδρὸς ὑπέρφρονά τ' ὄλβον
βέβαιον εἰκάσαι χρεών,
οὐδ' ἀδίκων γενεάν· ὁ γὰρ οὐδενὸς ἐκφὺς
χρόνος δικαίους ἐπάγων κανόνας
δείκνυσιν ἀνθρώπων κακότητας αἰεί.

Non invenit Bellerophontes in solitudine quam quaesivit securitatem, quin etiam magis expositus hominum malitiae incurrit in insidias Megapenthis. A cuius telis, quamvis claudus, vitam defendit, donec interventu filii patrem in solitudinem cum amicis secuti servatus est. Insidiator caussam dixisse videtur. Bellerophontes primum in matrem eius invehitur:

ὦ παγκακίστη καὶ γυνή· τί γὰρ λέγων
μεῖζόν σε τοῦδ' ὄνειδος ἐξείποι τις ἄν;

deinde filium increpat tali matre dignum:

οὐκ ἂν γένοιτο, τραύματ' ἤν τις ἐγχέσῃ
θάμνοις ἐλείοις, οὐδ' ἂν ἐκ μητρὸς κακῆς
ἐσθλοὶ γένοιντο παῖδες εἰς ἀλκὴν δορός,

— — — — — —

ἀεὶ γὰρ ἄνδρα σκαιὸν ἰσχυρὸν φύσει
ἧσσον δέδοικα τἀσθενοῦς τε καὶ σοφοῦ.

tum Iobatem accusat proditionis socium adiutoremque:

ἀνὴρ δὲ χρηστὸς χρηστὸν οὐ μισεῖ ποτε,
κακῷ κακός τε συντέτηκεν ἡδοναῖς·
φιλεῖ δὲ θοὐμόφυλον ἀνθρώπους ἄγειν.

---

*) Vulgo: *τὸ μὲν μέγα εἰς οὐδὲν ὁ πολὺς χρόνος μεθίστησι, τὸ δὲ μεῖον αὔξει.*

Non multo post Bellerophontes sive fato sive ex vulnere in pugna accepto moritur. Hoc non sine numinis alicuius, Minervae, credo, qua usus erat fautrice, interventu evenit *). Huius erat, voluntatem summi numinis atque consilia explanare simulque de Pegasi conditione et mutato genere officii deque Glauci vita futura docere. Ac de Pegaso quidem dictum est illud in Aristoph. Pac. 721:

ὑφ' ἅρματ' ἐλθὼν Ζηνὸς ἀστραπηφορεῖ **).

Bellerophontis autem magno, ut ait Aelianus, elatoque animo mortem occumbentis, haec sunt verba:

ὦ θυμὲ — — — — —
ἦσθ' εἰς θεοὺς μὲν εὐσεβής, ὅτ' ἦσθ', ἀεὶ
ξένοις τ' ἐπήρκεις, οὐδ' ἔκαμνες εἰς φίλους.

Mirum est, quod Seneca dicit eo loco, quo versus, quos supra posuimus, convertit: „Cum hi novissimi versus in tragoedia Euripidis pronuntiati essent, totus populus ad eiiciendum et actorem et carmen consurrexit uno impetu, donec Euripides in medium ipse prosiluit, petens, ut exspectarent viderentque, quem admirator auri exitum faceret. Dabat in illa fabula poenas Bellerophontes, quas in sua quisque dat: nulla enim avaritia sine poena est, quamvis satis sit ipsa poenarum." Profecto hunc necesse aut aliud agendo hoc drama legisse aut ne legisse quidem, aut vacillante memoria parum recte recordatum esse eorum, quae pridem legisset. Quomodo enim admirationis auri Bellerophontem accusare potuit plane diserteque dicentem unam ex tribus, divitiis, generis nobilitate paupertateque, hanc optimam longeque duabus reliquis vitae conditionibus praeferendam esse? Hiccine ut aurum admiratus sit, qui propter hanc admirationem universum genus mortalium aspernatus est omnemque hominum congressum vitare con-

*) Pausan. II, 4. p. 119: Ἀθηνᾶν γὰρ θεῶν μάλιστα συγκατεργάσασθαι τά τε ἄλλα Βελλεροφόντῃ φασὶ καὶ ὡς τὸν Πήγασόν οἱ παραδοίη, χειρωσαμένη τε καὶ ἐνθεῖσα αὐτὴ τῷ ἵππῳ χαλινόν.

**) Quod Asclepiades loco, quem supra posuimus, Pegasum Aurorae traditum esse affirmat, aliunde petitum est; cf. Orestem Euripidis v. 995. et Lycophr. v. 17.

stituit? Ineptum sane iudicium! sed multo ineptior fabula, quam ei praemisit. An credibile est Athenienses, quum patientes aures praebuissent deos esse neganti, aurum ab eodem laudari videntes tumultum movisse? Euripides veró ille in medium prosiliens et supplicium scelerati promittens quam ridiculus! Et nihilominus hic improbus atque temerarius, cum paene eiectus esset e theatro, idem periculum saepius subire non dubitavit? Improbitatis Euripides tum accusandus erit, si libri Iobi auctor eodem crimine compellari poterit. Neque enim quemquam magis Euripidis, quam illae disputationes, offendere possunt. Aristoteles quin hanc potissimum tragoediam respiciens Euripidem dixerit esse *τραγικώτατον*, non dubito. Aequales autem popularesque Euripidis admirabiliter hac tragoedia affectos esse Aristophanis ostendit imitatio, cuius Pax quidem paene tota in Bellerophonte nititur: nam Trygaei in coelum ascensio conatui Bellerophontis omnibus a partibus respondet, tum coeli ipsius habitu et deorum peregre profectorum re domestica, qualem praesens Trygaeus intuetur, ea, quae de rebus divinis ille suspicatus est sensitque, confirmantur. Rursus idem Aristophanes in Vespis, cum patrem insanum a filio custodiri faciat, Euripidis fabulam *ἀνασελγαίνειν* videtur, pluribusque aliis locis versibus singulis abusus est. Neque posterioribus temporibus imminutum esse huius dramatis honorem e multis indiciis intelligitur. Crantor ille, quem Cicero ait in academia vel in primis fuisse nobilem, *ἐθαύμαζε πάντων δὴ μᾶλλον Ὅμηρον καὶ Εὐριπίδην, λέγων ἐργῶδες ἐν τῷ κυρίῳ τραγικῶς ἅμα καὶ συμπαθῶς γράψαι· καὶ προεφέρετο τὸν στίχον τὸν ἐκ τοῦ Βελλεροφόντου·*

οἴμοι· τί δ' οἴμοι; θνητά τοι πεπόνθαμεν *).

Chrysippus, princeps stoicorum, quanti fecerit Euripidem, docet fragmentum libri *περὶ ἀποφατικῶν*, quod ex papyro descriptum Bergkius nuper explicavit. Idem solebat *ἐπαινεῖν καὶ προφέρεσθαι τὰ τοῦ Εὐριπίδου ταυτὶ πολλάκις·*

---

*) Diog. Laert. IV, 26.

ἀλλ' — — ἔστι, κἄν τις ἐγγελᾷ λόγῳ,
Ζεὺς καὶ θεοὶ βρότεια λεύσσοντες πάθη *).

Honestissimum de Bellerophonte iudicium fecerat etiam is auctor, quem Aelianus Hist. anim. V, 34. compilavit. Omitto Plutarchum, M. Antoninum, Athenagoram, Sextum Emp., Lucianum aliosque, qui studium Euripidis versibus huius tragoediae in medium proferendis testificati sunt.

Idem argumentum ante Euripidem nemo illustraverat; attigerant Homerus (Il. ζ, 155 seqq.) et Pindarus (Isthm. VI, 44.), quorum Euripides auctoritatem sequens admirabili arte res sane difficiles tractatu scenae accommodavit. Astydamantis tragici Bellerophontes **) an in eadem materia occupatus fuerit, hodie ignoramus.

B. Hippolytus coronatus.

Troezene res aguntur ante domum regis Pitthei, qui, cum esset Thesei avus, educasse Hippolytum fingitur. Is sapientiae laude floruisse tradebatur, teste Plutarcho in vita Thesei c. 3. Itaque Hippolytus et natura et disciplina, cum sit ex Amazona natus et *ἁγνοῦ Πιτθέως παίδευμα*, castitatem virtutum omnium maxime colit. Theseus cum tota domo Troezena commigrasse fingitur, quod propter caedem Pallantidum unum annum debeat exsulare.

Ante aedes proxime fores duarum imagines dearum positae conspiciuntur, Dianae atque Veneris, quarum illam ab Hippolyto, hanc a Phaedra consecratam esse putandum est. Hac statim compositione funesta daemonum conflictatio significatur. Prodit deinde Venus ipsa, cuius ira et adolescens praestantissimus et mulier pudicissima interituri sunt. Huius oratio, ut iratam decet, minime exilis est, sed sanguine, succo nervisque praedita. Est autem hoc prooemium eiusmodi, ut non solum praeterita commemorando doceat, sed etiam futura praemonendo attentos reddat

*) Plutarch. Repugn. stoicorum c. 15. T. II. p. 1040. B.
**) Cf. Welck. p. 1061.

spectatores. Suam potentiam, qua et inter divos et inter mortales polleat, ab Hippolyto sperni dea conqueritur. Nam quum sit innocentis Pitthei disciplina institutus, respuere eum atque aversari connubia. Qui quod assidue in silvis venatui vacans Dianam maxime colat deorum et supra conditionem humanam sibi huius consortio tolli videatur, haud se dicit invidere; quod autem se spernat et deterrimam dicat esse daemonum, vindicandum esse. Itaque suis consiliis effectum esse, ut Phaedra, patris uxor, conspicata eum quondam ad mysteria visenda Athenas profectum, vehementissimo eius amore inflammaretur. Eum amorem, nunquam intermissum, postquam cum marito, propter caedem fugiente, Troezena commigrarit, funestum ei fieri coepisse. Perire enim eam occulta flamma, nemine e domesticis conscio, et mori honestissime constituisse. Se vero ea re foras elata effecturam, ut Hippolytus quoque, et miserrime quidem, hodie intereat.

His expositis statim adolescens ipse, qui morti destinatus est, florens vigore adolescentiae, stipatus turba comitum, cum cantu laetissimo ex venatu rediens conspicitur. Quis non tanta cum securitate ante patentes Orci portas ludentem conspiciens adolescentem animi corporisque virtutibus pariter praestantem misericordia moveatur?

Florum serta ex illibato prato decerptorum Dianae offerens oratione utitur ea, qua animi sensa verissime exprimantur. Silvarum umbris refrigerari et fontium liquidissimorum murmure delectari et pratorum roscidorum viriditate recreari nobis videmur, et relicta tectorum vicorumque angustia per silvas camposque vagari cupimus, huius adolescentis studia vitaeque genus intuentes. Dianae autem vim numenque si quis antea ignoravit, huius dicta factaque intuens, nisi plane hebetibus est sensibus, cognoscet. Sed, pro dolor! nulla unquam humana natura perfecta esse potest, et fato rerum humanarum etiam praestantissimis virtutibus vicina sunt vitia quaedam, ad quae traducti, qui illis excellunt, in daemonum infestorum insidias incurrunt et calamitatibus, miseriis, morte afficiuntur. Sic Hippolytus ex morum castitate vitaeque innocentia insolentiam sumsit eam, ut se solum glorietur dignatum esse, qui deae

consortio colloquioque fruatur, utque paene divino honore se a comitibus coli cupiat. Quo elatus fastu senis prudentissimi modestissimique monita, ut comitati studeat neve alteram deam in conspectu positam negligere velit, contemnit, negans sibi probari deam, cuius facta lucem fugiant. Quare misso monitore simul cum numine obsceno statim iubet cibos parari equosque curari, a venatu continuo ad agitationem equorum transiturus, quibus periturus est.

Prodit deinde chorus mulierum, quae cum fuissent in vestibus lavandis apud fontem aquae marinae occupatae*), de reginae aegritudine eiusque moriendi consilio cognoverunt. Tertium enim iam diem illam cibo abstinere in lecto decumbentem atque occulto morbo tabescentem compererunt. Caussam mali ignorantes aut furore divinitus immisso illam vexari, aut iniuria affectam a coniuge esse alienam Venerem sectante, aut nuntio de calamitate aliqua domus paternae allato consternatam, aut denique partus doloribus vehementioribus laborare suspicantur.

Mox ipsa pallido ore, languido tabidoque corpore in lecto sedens reclinis conspicitur. Morigerans enim nutrix optanti, ut clara luce puroque aethere frueretur, extra domum per famulas efferendam curavit. Quae aegrotae cupido, semper eorum, quae adsunt, impatientis, mentis eius habitui optime convenit. Egregie etiam reliqua effinxit poeta **). Cupit Phaedra, furore quodam abrepta, se frigidos fontes haurire, in viridibus pratis sub alnorum frondibus recubare, aut per saltus vagantem feras persequi, canes voce hortari, venabulum iaculari, tum rursus equos acerrimos in area

---

*) Matthiaei reprehensionem insulsam refutant scholiastae: *φιλοῦσι γὰρ ἐν ταῖς τοιαύταις συνόδοις ὁμιλίαι περὶ βασιλέων προςεμπίπτειν πρὸς παραμυθίαν τῶν καμάτων, ὥςτε οὐκ ἀπεικότως φησὶ πλύνουσαν φίλην πυθέσθαι καὶ εἰπεῖν.* Iidem non mare, sed fontem aquae marinae a poeta dici recte monuerunt.

**) Schol. ad v. 218: *ἄκρως δὲ ἐρωτικὸν ἦθος ἀπεμάξατο τῇ λεπτομερεῖ τῆς ἐκφράσεως περιεργείᾳ· εἰς ὑπόμνησιν γὰρ ἐρχόμενοι τῶν ποθουμένων καὶ μονονουχὶ ζωγραφοῦντες αὐτὰ τοῖς λόγοις ἔτι μᾶλλον τὴν ἐπιθυμίαν ἐγείρουσι.*

agitare *). Inde postquam ad sanam mentem rediit, pudet eam dictorum obvolvitque caput prorumpentibus lacrimis. Sic cum sanitas dolores creet, malum autem sit furor, optat, ut mori sibi insanienti liceat. Hinc ad nutricem nos convertamus, cuius mores non minus vere expressi sunt. Proprium est eorum, qui aegritudine laborant, de conditione et propria et communi mortalium meditari. Quod si sublimiora quaedam, quam quae in mulieris naturam cadere videantur, cogitata huic tribuit Euripides, fecit iure et consuetudine poetarum neutiquam vituperanda **). Egregium est etiam hoc, quod proprii commodi studium commendantem fecit eam, cuius mores ab eo studio sunt alienissimi, ut factis dicta ipsa redarguat. Saepissime enim probissimorum hominum improbiora sunt iudicia, et contra improbissimorum probissima. Laudant enim utrique diversa sequentes, iidemque, si quis repente deus iis mutandi personas facultatem faciat, nolint. Itaque haec nutrix (ut Ciceronis utar verbis) commodissimum esse docet quam laxissimas habenas habere amicitiae, quas vel adducas, cum velis, vel remittas. Hoc praeceptum si qui sunt philosophi amplexi atque argutiis defenderunt, sane vituperandi sunt; at poeta culpa vacat, qui tribuerit ei personae, quae vehementius alieno malo quam suo dolet tantamque aegritudinem ex dominae calamitate suscipit, ut etiam de morte sibi consciscenda cogitet. Neque hoc mirandum est, quod in eadem dubitatione atque Hamletus haerens simili modo atque hic philosophatur. Solent enim etiam ineruditi, ubi aliqua animi perturbatione ultra vulgarem modum incitantur, ingenii vi inopiam doctrinae compensare et naturae quodam impetu conditionem suam excedere. Haec qui reprehendunt, eos miror non communem omnium poetarum consuetudinem vituperare, qua suam quisque disserendi

---

*) Scholiastes: *Ἐνταῦθα δὲ δεῖ τὸν ὑποκρινόμενον κινῆσαι ἑαυτὸν καὶ σχήματι καὶ φωνῇ, καὶ ἐν τῷ εἶμι πρὸς ὕλας ἀναπηδᾶν, ὡς αὐτὴ πορευομένη.*

**) Rectissime scholiastes: *τὸ ἦθος ἀπειρηκυίας τῆς θεραπείας, ὥστε κοινῇ τὸν βίον βλασφημεῖν προάγεται. Διὸ καὶ γνωμικὸν ἐπεισάγεται, ὅπερ σύνηθες τοῖς δυστυχοῦσιν ἐπί τισιν.*

subtilitatem dicendique facultatem in personas, quas effingunt, transferentes, copiosius, ornatius, distinctius non ingenuos tantum homines, sed servos quoque et semiferos Cyclopas de suis animi sensis cogitatisque exponere faciunt, quam veritatis ratio pati videtur. Ab Euripidis quidem aequalibus nihil horum illi vitio datum esse pro certo affirmaverim: neque enim ipsam veritatem, sed imaginem veritatis reddendam poetarum operibus esse intelligebant, atque Aristophanes quoque, non quod importune philosophiam adhibuerit, sed quod omnino adhibuerit, ei crimini vertit, neque tantum a theatro, sed etiam a civitate et a vita studium eius exsulare iubet.

Dum obvoluto capite regina quiescit, chorus quaerendo ex nutrice statum rerum accuratius cognoscere studet, simulque hanc hortatur, ut, quamvis illa obstinato animo genus morbi caussamque celet, vi extorquere verum conetur. Incipit igitur quaerere nutrix cautissime: in qua quaestione dum forte Hippolyti facit mentionem, Phaedra, tanquam vehementi dolore affecta, exclamat: quod odii signum esse putans nutrix nihil quaerendo coniectandoque proficit. Tum ad preces conversa supplex genua dominae amplexa dextraque prehensa obsecrat, ut verum, quamvis malum sit, fateatur: maius enim malum, quam domina privari, accidere sibi posse negat. Sequitur igitur post ambages quasdam confessio verecundiae laude excellens continensque celebrata illa: *πῶς ἂν σύ μοι λέξειας ἁμὲ χρὴ λέγειν;* et *σοῦ τάδ', οὐκ ἐμοῦ κλύεις.* Qua confessione plane consternatur nutrix, morteque peius malum ei esse videtur, quum turpissimae cupidini modestissimam feminam obnoxiam esse videat; neque minus choro ad perniciem res aperte tendere videtur. Tum mentis sensa et consilia uberius Phaedra explicat. Intellexisse se meditando ait, non tam iudicii vitio quam naturae imbecillitate, cum aut inertiae aut voluptati aut falso cuidam pudori indulgeant, mortales plerosque peccare et ad scelera suscipienda pronos esse. His igitur cognitis, non pòtuisse sibi, ut flagitium invita committeret, accidere. Itaque postquam se amore vulneratam esse senserit, considerasse, quanam ratione eum ferre posset honestissime. Et primum quidem celandum

esse morbum censuisse: nullam enim fidem esse linguae, quae aliena quidem vitia optime arguere, propriis non medelam, sed accessionem parare soleat. Curandum igitur esse, ut pateant honesta, celentur turpia. Deinde se perturbationem animi meditatione et temperantia vincere studuisse. Denique, postquam his nihil profecerit, mori constituisse. Stare sententiam: turpem enim per se hunc morbum esse et uxoribus merito maxime infamem, dignamque fuisse, quae miserrime periret, quaecunque femina nobilis prima polluto toro coniugiali foedum exemplum proposuerit humilioribus. Malle se perire, quam flagitii sibi consciam perpetuo ne arguatur timere et maritum liberosque dedecorare: debilitari enim animum liberorum imminuique ingenuitatem conscientia materni paternive flagitii.

Haec rectissime, verissime, sapientissime planeque philosophorum praeceptis convenienter disputata probat scholiastes his verbis: *πιθανῶς δὲ καὶ τὸ ἠρέμα νοσηλευομένην αὐτὴν ἐνθυμεῖσθαι τοιαῦτα· τότε γὰρ γνωμικώτεροι γινόμεθα, τῆς φύσεως ἡμᾶς διὰ τοῦ πάθους ἐκπαιδευούσης.* Neque quomodo reprehendi possint video, nisi quis forte incredibile esse ducat mortem turpitudini ab ulla femina amante anteponi. Certe possunt eadem, quae viri otiosi excogitarunt, a femina, quam dolor pungat neque quiescere sinat, inveniri: calliditatem enim affert sollicitudo, multaque animo volventes tentare omnia prius solent homines, quam extrema subire constituant.

Non debuisse Phaedram nutrici supplicanti gratificari statim intelligitur. Haec enim mulier, cum vivere dominam more nutricum primum esse ducat neque fieri posse credat, ut, moriente illa, ipsa superstes sit, servare eam omni ratione, etiam invitam, constituit. Tribuit autem huic quoque poeta disputationem satis subtilem atque philosophicam, cuius summa haec est, non debere mortales, quoniam neque perfectam sapientiam assequi neque vitiis omnibus liberi esse possint, nimiam morum castitatem affectare, sed sustinere se obnoxios esse mentis perturbationibus iis, quae nisi cum vita deponi nequeant; neque cuiusquam tam puram innocentemque esse vitam, ut non

interdum etiam simulatione ei ad tegenda vitia opus sit. Disputandi subtilitatem exemplorum auctoritate confirmat, ostendens neque primae neque soli Phaedrae hoc accidisse, ut invictae amoris potentiae succumbat: idem enim et summos deos et sapientissimos homines passos esse et patienter tulisse, callide tegentes quae minus viderentur decora. Superbiae esse, velle morum integritate ipsos deos superare, et acquiescendum, si cui plura bona quam mala sint.

Sic utilitatis rationem nutrix, honestatis regina defendit. Hanc speciosam quidem esse censet anus, sed relinquendam, ubi salus agatur: quippe vitam potiorem esse quam decus atque honestatem. Contra utilia dulcia quidem auditu, sed turpia factu esse dicit regina, et perniciem afferre tum civitatibus tum domibus. Quamobrem respuit consilia nutricis, et consentit cum ea chorus. Neque tamen desistit nutrix, sed aliquid remedii se inventuram esse promittens, quo malum levetur, in domum abit.

Tum chorus Cupidinis potentiam praedicat, quem dicit esse Iovis filium dignumque, qui non minus quam Iuppiter et Apollo ludis atque sacrificiis ab universa Graecia colatur. Cuius operum exempla duo ostenduntur, Oechalia propter Ioles amorem ab Hercule cremata, et Semele fulmine cum aedibus conflagrata. Hoc carmen et verbis et rebus praestantissimum est.

Interim nutrix intus ea, quae praedixit, infelicissime perfecit: aperuit enim Hippolyto Phaedrae amorem. Satis prospectum et famae et saluti dominae fore opinabatur, si, antequam rem adolescenti aperuisset, iuramento eum callide occupasset obstrinxissetque promisso se, quidquid fidei suae commissum foret, arcano celaturum esse silentio. Tum, quod eum generosum esse sciebat, sperabat eum et suae sollicitudini et Phaedrae calamitati hoc donaturum, ut in huius sanandae conatibus se adiuvaret. At adolescens, simulatque rem pronuntiatam auribus percepit, verbis ipsis suam puritatem inquinari putans, statim impatientissime exclamavit neque iam reliquae illius explicationi aures praebere sustinuit, sed e domo se proripuit, clamans

conviciansque et vehementissima oratione in genus mulierum universum invehens.

Duri animi superbique est nihil vitiis aliorum ignoscere et, quod te ipsum imbecillitate naturae humanae superiorem esse putes, damnare neque ulla venia dignos habere peccantes. Tam sublimem autem suam esse virtutem Hippolytus putat, ut ne vestem quidem ab impura anu tangi patiatur auresque putet statim vivo fonte eluendas esse. Egregium hoc quoque signum est studii exquisitae sanctitatis, quod, quamvis se iureiurando minime teneri intelligat (iuravit enim lingua, mentem iniuratam gerit), tamen tam obstinate servat, ut atrocissimis se calumniis lacerari, quam fidem ullo pacto violare malit. Imprudenter igitur inconstantiae Euripidem arguit Valckenarius. Tenere se non potest Hippolytus, re turpissima cognita, quin palam clamet, seque iureiurando, quod invitus dederit, ullo modo prohiberi negat. Sed Theseo se rem proditurum esse nusquam professus est, neque ex eo, quod in primo animi timore, dum iram verbis effundit, prohiberi se iureiurando, quominus palam clamaret, negavit, sequebatur, ut etiam ad patrem rem deferendi sibi licentiam esse arbitraretur *). Ceterum illud dictum:

ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος,

merito et sapientibus probatum est **) et ineruditis reli-

---

*) Rectissime poetae mentem assecutus est scholiastes: *οὐ καθολικῶς τὸ τοιοῦτον, ἀλλὰ νῦν, ἐπείπερ ἡ γραῦς, πρὶν εἰπεῖν τὸ πάθος αὐτῷ καὶ πρὶν εἰς ἔννοιαν ἐλθεῖν αὐτὸν τοῦ ῥηθησομένου, ὅρκον ᾔτησε τῆς σιωπῆς καὶ τῆς διανοίας, ὁ δὲ μὴ προειδὼς ἐφ' ἃ ὤμοσεν ὤμοσε, φησίν· ἡ γλῶσσα προπετέστερον καὶ παρὰ γνώμην τῆς φρενὸς ὀμώμοκεν. Ἀριστοφάνης καθολικώτερον νοήσας φησὶ τὸν Εὐριπίδην ὑβρίζειν τῆς γλώττης τὴν διάνοιαν, ὡς ἂν μὴ τὰ δόξαντα τῇ κρίσει τῆς διανοίας φθεγγομένης. Ἄλλως τε φαίνει διὰ τῶν ἑξῆς τὸ εὐσεβὲς αὐτῶν φυλάττων· φησὶ γὰρ „εἰ μὴ γὰρ ὅρκοις θεῶν ἄφρακτος ᾑρέθην," ὥστε μὴ δόκησιν αὐτῷ ἐπιορκίας πλάττειν.*

**) Plat. Symp. p. 199. A. Seneca Hipp. v. 891. Ovid. Her. XXI, 135. Cic. Off. III, 29. Livius: „corpus est tantum violatum, animus insons." Cf. Valcken. ad v. 612.

giosisque vel potius superstitiosis hominibus offensioni fuit. Nondum enim illis temporibus vulgus liberatum erat opinione verbis ipsis precationum vim quandam atque momentum inesse, neque qua mente, sed quibus verbis iuramenta conciperentur, referre. Quamobrem non est mirandum, quod Euripides etiam in iudicium vocatus est a calumniatore quodam; sed hoc mirandum, quod etiam eorum, qui meliora debebant edocti esse Christi praeceptis, quidam tanta vecordia Aristophanis auctoritatem secuti sunt, ut plus huius depravationi dicti, quam verissimae Ciceronis disputationi reliquorumque auctorum gravissimorum iudiciis tribuerent. Eadem vecordia fabula de mulierum odio Euripidis vulgo decantatur. Quasi huius odii argui possit is, qui uxorum omnium pudicissimam, probissimam sapientissimamque in hac tragoedia ipsa effinxit et quaecunque probra ab adolescente insolente in mulierum genus ingeri fecit, ipsarum mulierum, quae praesto sunt, dictis factisque redarguit. An potest quemquam, qui attento animo colloquium Hippolyti senisque famuli legat, fugere improbari ab Euripide affectatam illius puritatem Venerisque fastidium? Comparandus est Hippolytus, Veneris contemtor, cum Pentheo, Bacchi contemtore. Neuter, quamvis sint abstinentia, sobrietate, probitate, integritate insignes, improbante poeta mulcatur. Nimis enim putido virtutis studio aspernantur dona deorum praestantissima, quasi per se perniciosa sint, et non, prout iis utaris, bona malave existant. Insolentiae est quidquam humani a se alienum esse putare, neque unquam non cum superbia coniuncta est contumax illa abstinentia atque vitatio affectuum eorum, quos firmissima esse vincula natura voluit communitatis generis humani.

Inveniuntur fastidiosa ingenia etiam hodie passim, quae citra concubitum liberos procreari posse cupiant: quidni igitur Euripidis temporibus inventa esse credamus? Neque defuisse, qui malum mulieres esse dicerent, et quidem eiusmodi, quod ii ipsi, qui possiderent, studiose comerent ornarentque, ex Aristophanis lepidissima dissertatione in Thesm. v. 785—800. apparet. Denique plurimos fuisse, qui fatuam, simplicem neque ultra quam mulierem deceret

sapientem uxorem alere eamque a consortio hominum quam diligentissime arcere optimum esse ducerent, mores ipsi Graecorum testantur. Inde non poetae sententiam, sed opinionem, quae apud vulgum increbuisset, hac Hippolyti oratione redditam esse intelligitur. Omnino autem tenendum est id studiosissime secutum esse Euripidem, ut vulgi opiniones recenseret et philosophiae poeseosque lumine illustrando corrigeret.

Ad Phaedram redeamus. Fructu laborum se privatam videt importuno nutricis officio, et cum moriendum utique sit infelicissimae, iam ne honeste quidem et sine infamia mori licet. Huic igitur malo forti ac praesenti animo medicinam parat. Et primum quidem nutricem, quamvis polliceatur se iisdem artibus, quibus depravarit rem, etiam sanaturam, facessere iubet. Deinde occupare Hippolytum constituit et quasi de stupro ipsa ab eo compellata sit, prius accusare. Denique mortem sine mora sibi consciscendam esse intelligit. Videndum iam, quomodo probari vel certe excusari possit, quod innocentissimo adolescenti falsa criminatione interitum parat. Amoris iraeque furores vicinos esse satis notum est *), neque tamen haec excusatio sufficit. Mulcandum superbissimum adolescentem et ad modestiam revocandum esse (*σωφρονεῖν μαθήσεται*, v. 726.) non sine probabili caussa Phaedra sibi persuadet: iure enim huic accidere videtur quidquid acciderit. Sed quis non, ulciscendi cupidus, talia sibi persuadet? Bonorum summum iudicio Phaedrae est honestum —

μόνον δὲ τοῦτό φασ' ἁμιλλᾶσθαι βίῳ,
γνώμην δικαίαν κἀγαθήν, ὅτῳ παρῇ —

(v. 426.), cuius quidem studium separari non potest a studio laudis (v. 489.). Huius tuendi caussa non solum labores summos sustinuit, sed etiam vitam profundere constituit. Privari autem sibi videtur hoc laborum mortisque fructu temeritate adolescentis crudelissimi. Fieri igitur non potest, ut alienae vitae parcat, quae suae non pepercit, siqui-

---

*) Heliodori verba (VIII. p. 374.) Valckenarius in testimonium vocavit: *ἀπελπισθεὶς ὁ ἔρως οὐδεμίαν ἔχει φειδὼ τοῦ ἐρωμένου.*

dem aliter quam in criminatorem regerendo crimen purgari nequit. Quod faciens, quid aliud quam par pari referre videtur? Nonne enim Hippolytus, ne iureiurando quidem, quo se obstrinxerat, retentus, turpissimas criminationes, et falsas quidem, palam iactavit

πλήσει τε πᾶσαν γαῖαν αἰσχίστων λόγων?

Ergo quod criminationem criminatione repellere constituit neque mortis fructum amittere vult, non est vituperanda. Non debuit enim Hippolytus famam innocentis temere lacerare. Optare, ut divini numinis iustitiae confidens Phaedra famae suae purgationem huic commisisset, est postulare, ut non graecos homines, sed christianos Euripides repraesentasset.

Strenue chorus duplici officio et tegendi commissa et favendi bonis satisfacit, neque idem quidquam, quod non proposito conducat, medios actus intercinit *). Itaque dum suspendio vitam mulier praestantissima finit, vehementissimo affectus dolore cupit se aut terra hauriri aut in aerem sublatum ad ultimos orbis terminos auferri. Tum navigationis recordatur infaustissimae, qua Athenas ad connubium infelicissimum ineundum vecta intravit thalamum, in quo, mortem turpitudini praeferens, interitura erat. Hoc carmen elegantia atque sublimitate nullo inferius est. Statim deinde defunctae corpus a famulis e laqueis solutum componitur.

Hoc ipso momento Theseus ex itinere redit. In fingendis caussis absentiae vel praesentiae personarum, quas vel adhibere rebus agendis vel arcere velint, scenicos poetas non admodum religiosos esse constat, facileque haec licentia conceditur iis, quorum ars plurimis esset iniquissimisque legibus circumscripta. Probabili caussa Hippolytum

---

*) Non digna sunt quae refutentur haec Monkii verba: „Fabulae nostrae oeconomia, in ceteris egregia, hoc nomine inculpatur, quod chorus praesenserit Phaedrae facinus, nec tamen prohibere conatus sit. Idem profecto vitium in aliis Euripidis tragoediis conspicitur, et forsan ob partes choro tribuendas, quae eum a scena abesse non sinebant, aegre vitari potuit. In illo autem magis peccasse videtur tragicus, quod ipse necis modus, quem initura esset Phaedra, a choro praedictus sit."

ablegavit Euripides *), nutricem autem removit ita, ut ne mentio quidem eius in reliqua fabula ulla iniiciatur, id quod imperite a quopiam vituperatur: quasi huius salus in discrimine versetur vel perinde atque Phaedrae et Hippolyti curandum sit!

Ex oraculo igitur coronatus rediens Theseus domum luctu mixtam invenit et coniugem voluntaria morte exstinctam esse cognoscit. Mox apertis foribus corpus ipsum defunctae conspicitur, Theseo lamentis summum uxoris amorem declarante: nam vita sua eam cariorem sibi fuisse dicit, seque aliam post illam uxorem ducturum negat. Ubi vero litteris, quas defuncta manu tenet, inventis solutisque filium vim coniugi suae facere ausum esse cognovit, praeceps ira, quod Neptunus, qui pater Thesei esse ferebatur, se vota tria precanti impleturum esse promisit, horum uno ad perdendum filium abutitur, neque hac imprecatione contentus, etiam e patria eum eiicere decernit. Chorus, quamquam minime languet, tamen, quoniam neque commissa prodere neque se conscium esse fateri vult, haec prohibere nequit.

Accurrit ad patris clamores Hippolytus. Priusquam autem actum, qui sequitur, praestantissimum recenseamus, de Hippolyti studiis ad animum excolendum pertinentibus pauca dicenda sunt. Descripsit ea Euripides his versibus:

ἤδη νὺν αὔχει καὶ δι᾽ ἀψύχου βορᾶς
λόγοις καπήλευ᾽, Ὀρφέα τ᾽ ἄνακτ᾽ ἔχων
βάκχευε, πολλῶν γραμμάτων τιμῶν καπνούς.

Pythagorae disciplinam his verbis significari monet scholiastes: *ἐπεὶ γὰρ ἔνδοξος ἦν ὁ Πυθαγόρας, ἤδη καὶ πολλοὶ ἀψύχων ἀπείχοντο· ἀνάγει δὲ τοὺς χρόνους. περὶ αὐτοῦ γὰρ αἰνίξασθαι βούλεται ὁ Εὐριπίδης· τοιοῦτος δέ ἐστιν ἀεὶ τὰ ἡρωϊκὰ πρόςωπα εἰςάγων.* Vicinas cognatasque

---

*) Schol. ad v. 654: *ἄλλως τε καὶ ὁ ποιητὴς οἰκονομικῶς τοῦτο ἐξεργάζεται, διὰ τῆς τοῦ Ἱππολύτου ἀπουσίας ἐξουσίαν διδοὺς τῇ Φαίδρᾳ ἐργάσασθαι τὴν ἀγχόνην καὶ τὴν διαβολὴν αὐτοῦ τὴν διὰ τῶν γραμμάτων, ἵνα ἡ δέλτος καὶ ἡ τοῦ Ἱππολύτου ἐρημία πιστώσηται τὴν κατηγορίαν τῆς μοιχείας.*

inter se fuisse Pythagorae Orpheique disciplinas testatur Herodotus II, 81., et pluribus verbis ostendit Hoeckius in libro, quem de rebus Cretensium scripsit, c. III. p. 190 seqq. Carne enim atque caede animalium et Orphici et Pythagorei abstinebant. Iidem initia ac mysteria summo studio colebant; cf. Aristoph. Ran. 1032:

Ὀρφεὺς μὲν γὰρ τελετάς θ' ἡμῖν κατέδειξε φόνων τ' ἀπέχεσθαι *).

Pisces omnium animalium maxime pro cibo Pythagorei aversabantur, teste Plutarcho Sympos. VIII. p. 373. Quantopere cum his ritus mysteriorum convenerit, ex Porphyrii de abstin. verbis patet: *παραγγέλλεται γὰρ Ἐλευσῖνι ἀπέχεσθαι καὶ κατοικιδίων ὀρνίθων καὶ ἰχθύων καὶ κυάμων κτλ.* Vides igitur caussam, propter quam statim initio dramatis Hippolytus ostenditur Athenas profectus esse

σεμνῶν ἐς ὄψιν καὶ τέλη μυστηρίων.

Orphicorum scripta plurima ferebantur, quorum auctores Pythagorei erant; Cic. N. D. I, 38, 107. Haec igitur significant verba illa, *πολλῶν γραμμάτων τιμῶν καπνούς.* Magicam artem et expiationem et divinationem Orpheo propriam fuisse Euripides ipse ostendit Alcest. 969. Cycl. 646. Eandem Pythagorae tribuunt Cicero Div. I, 3., Porphyrius 23., Iamblichus 60 seqq. Hanc igitur artem respicit Theseus v. 1036:

ἆρ' οὐκ ἐπῳδὸς καὶ γόης πέφυχ' ὅδε;

Denique Orpheus traditur mulieres odisse eamque ob caussam etiam discerptus a mulieribus esse. Quidam ab eo etiam puerorum amores primo inductos esse affirmant. Pythagoreorum autem iudicia ab eiusmodi abstinentia non plane abhorrebant. Exemplo est Archytas ille Tarentinus apud Cic. Senect. c. 12., qui „nullam capitaliorem pestem quam corporis voluptatem hominibus dicebat a natura datam esse." Ex Italia pulsi Pythagorei in Graecia societa-

---

*) Adde Lobeck. Aglaoph. p. 233 seqq. Antiphanes comicus ap. Athen. p. 161. A.: *πρῶτον μέν, ὥςπερ Πυθαγορίζων, ἐσθίει ἔμψυχον οὐδὲν κτλ.* Alexis ibid. Iamblichus p. 25. (108).

tem renovarunt, conspiratione, abstinentia et severitate, orgiis cultuque bacchico insignes atque Orpheum pro foederis auctore colentes; cf. Hoeck. l. l. Aut horum aut Orphicorum depravationis testimonium exstat apud Plat. Rep. p. 364. B: *ἀγύρται δὲ καὶ μάντεις ἐπὶ πλουσίων θύρας ἰόντες πείθουσιν, ὡς ἔστι παρὰ σφίσι δύναμις ἐκ θεῶν ποριζομένη θυσίαις τε καὶ ἐπῳδαῖς εἴτε τι ἀδίκημά του γέγονεν αὐτοῦ ἢ προγόνων ἀκεῖσθαι κτλ.* Eodem sine dubio pertinent Euripidis verba haec:

— — — *τοὺς δὲ τοιούτους ἐγὼ*
φεύγειν προφωνῶ πᾶσι· θηρεύουσι γὰρ
σεμνοῖς λόγοισιν, αἰσχρὰ μηχανώμενοι.

Nunquam maximi facienda sunt ea, quae vulgus colit vel sectae eruditorum familiaeque sequuntur, neque ritus et instituta servare rerum omnium difficillimum est. Tum Venere abstinere, praecipue si cupidine nulla vincaris, eiusmodi est, quod plurimi assecuti sint et vulgo assequantur; at ruentem in se totam Venerem qui sustinuerint, rarissimi inveniuntur, sicut eorum, qui naufragio facto plures dies undis iactati sunt, paucissimi evaserunt. Non esset igitur, quod Hippolytum magnopere admiraremur, si merus Pythagoreus esset neque altiore sapientiae virtutisque studio e turba emineret. Sed multo augustiorem facit accessio bonorum, quae ex sui animi divitiis depromta adiiciens noster sapientiae virtutisque exemplar quam maxime perfectum effingere studuit.

Venit igitur Hippolytus eorum, quae interim gesta sunt, plane inscius, culpa liberrimus, obstupefactus calamitate et ad communiter suscipiendum dolorem paratus. Eam vero impudentiam etiam scelere, quod commiserit, superiorem esse putat pater. Itaque initio indignatione vocem et stupore praecludente, insidianti similis, vultum in scelerato figit. Deinde solus secum monstrum hominis miratur: esse qui quum miras atque incredibiles artes in cassum discant, sapientiam, rem omnium maxime necessariam, negligant, quis putasset? tam fallacem probitatis simulationem in tanta morum foeditate inveniri indignum esse! Obsecrantem filium, ut missa meditationis subtilitate, quam quidem ipse, quod praesentibus rebus parum convenire videtur, merito

horret, dolorem secum communicet, non audit neque alloqui dignatur. Tandem vero, non amplius ferens dissimulationem et confidentiam eius, qui se certissimis indiciis convictum constrictumque teneri ignoret, ad prosternendum uno impetu hostem temerarium armatus surgit. Magnifico utitur exordio: quis modus erit audaciae et confidentiae, si posterior quaeque aetas priore erit vitiosior? Altero orbe opus erit, quo mali a bonis separentur, ne plane exstinguatur probitas. Propositio ipsa ea est, quae percellere possit adversarium: intuemini in hunc, qui, ex me natus, meum thalamum polluit idque manifesto a mortua convincitur! Haec firmat gravissimis argumentis, quaecunque obstare videntur, removendo: Quin obverte, quandoquidem in conspectum venire sustinuisti, patri os vultumque tuum! Tu morum sanctitate et deorum consortio gloriaris? scilicet severitatis praetextu vitia facilius te celaturum esse speras. Sed iam convictus es ita, ut oratione nulla et ne iureiurando quidem purgari possis. An te ut perderet ipsam vita se spoliasse dicis? quod absurdum est. Aut proniores ad libidinem mulieres quam viros esse arguis? Sunt adolescentes non minus intemperantes et magis temerarii quam feminae; denique mors eius omnibus argumentis potior est. Subiicitur peroratio gravissima: frustra Sinis et Sciron me sceleratis gravem esse testentur, nisi digno supplicio te quoque affecero.

Filii oratio moderatione conspicua est. Dicit autem haec fere: Quamvis sit speciosa caussa, tamen, si exploretur, minime honesta esse arguitur. Ego autem certamini palam sustinendo impar sum, domesticae tantum philosophorum orationis peritus, quae veritatem magis quam fucum sequitur *). Quod speciem honesti, non honestatem ipsam me colere arguis, innocentia vitae meae contrarium

*) Cf. Cic. Orat. 19, 64. Mollis est enim oratio philosophorum et umbratilis, nec sententiis nec verbis instructa popularibus, nec vincta numeris, sed soluta liberius. Nihil iratum habet, nihil invidum, nihil atrox, nihil mirabile, nihil astutum: casta, verecunda, virgo incorrupta quodammodo. Idem de orat. I, 54, 233. Socrates damnatus est nullam aliam ob caussam, nisi propter dicendi inscientiam.

docet: sum pius ergo deos, fidus amicis neque postulantibus iniqua neque praestantibus, idem sum absentibus atque praesentibus familiaribus, rem autem veneream nonnisi ex narrationibus imaginibusque novi, neque tamen talia cognoscendi cupidus sum. Si continentiae meae non confidis, ostende, quibusnam illecebris deleniri potuerim. Num forma uxor excellebat tua? An domo et regno potiri poteram hac potiundo? Stultorum esse duco regna affectare. Principatum mihi contingere in certaminibus, quae Graeci celebrant, cupio, reipublicae autem administratione aliis concessa cum amicis me delectare securus atque otiosus malo. Si viveret quae me accusavit, re et factis eam convincere possem. Nunc solum relinquitur quo innocentiam defendam iuramentum. Inde diris exsecrationibus se ipse obstringit. Denique caussam, qua commota Phaedra mortem sibi consciverit, tecte innuit, sed indicare fas sibi esse negat.

Mirabiliter pater afficitur moderatione et constantia adolescentis; sed tantum abest, ut eam a conscientia veri rectique proficisci credat, ut illum arte magica ad se incantandum uti arbitretur. Poenam deinde constituit eam, quam morte ei miseriorem fore sperat, ut vitam exsul, vagus, egenus degat. Tum vero Hippolytus, omnibus rebus frustra tentatis, an deorum fidem, qua perit, fallere praestet, paullulum ambigit. Sed postquam ne sic quidem persuasum iri patri intellexit, ad constantiam redit et ferre potius miseriam constituit, quam violare iusiurandum. Quonam autem se vertat, quemnam hospitem adeat, ob talem culpam damnatus? Profecto nihil peius est infamia innocenti. Tecta ipsa putes vocem mittere ac testari innocentiam debere adolescentis, cuius miseria tanta est, ut neminem credas tam durum esse, qui conspiciens eam lacrimis temperet. Sed pater querelis non magis quam argumentis movetur, ac postremo servos eum per vim abstrahere iubet. Tum Hippolytus valere iubet deam, quam sociam et fautricem habuit, valere patriae solum, in quo educatus nutritusque est, et comitantibus aequalibus e conspectu abit.

Carmen, quod sequitur, ad feminas, quae chorum effi-

ciunt, non magis pertinet, quam Pindarica carmina ad eos, qui recitabant. Notavit hoc scholiastes: *γυναῖκες μέν εἰσιν αἱ τοῦ χοροῦ, μεταφέρει δὲ τὸ πρόςωπον ἐφ' ἑαυτοῦ ὁ ποιητὴς καταλιπὼν τὰ χορικὰ πρόςωπα· μετοχαῖς γὰρ ἀρσενικαῖς κέχρηται.* Haec autem dicit poeta: Haud parvum solatium est credere deos rebus humanis prospicere; sed dubitationem saepissime iniicit fortunae varietas, qua neutiquam merita dignis retribui video. Liceat mihi aegritudine vacare, non summa, sed mediocria, sequenti et contento praesentibus: consternatus enim sum calamitate Hippolyti, clarissimi Graeciae sideris. Desiderabunt silvae venatorem, carebit arena equorum agitatione, obmutuerunt cantus lyrae, nuptiarum spes abiit virginibus, frustra mater peperit, amiserunt eum Gratiae.

Sequitur praestantissima narratio de Hippolyti interitu, quam et Ovidius et Seneca et Racinius imitati sunt. Comitantibus amicis ad littus, ubi equos ministri curabant, adolescens lacrimans ipse cum lacrimantibus sodalibus descendit. Currum conscendens optavit, ut, sive moriatur sive lucem videat, sceleris suspicione liberetur. Tauro monstroso ex maris undis emergente consternantur equi, curru excutitur Hippolytus, saxo alliditur, lorisque implicitus cum everso curru misere trahitur; denique ruptis loris, semianimis, proripientibus se equis, relinquitur. His auditis Theseus partim gaudet partim dolet:

„*occidere volui noxium, amissum fleo.*"

Afferri autem prostratum iubet, ut eius confessione veritas aperiatur. Interim chorus brevissimo, sed egregio carmine veram calamitatis caussam innuit Veneris amplissimam potentiam praedicando.

Antequam autem Hippolytus afferatur, Diana de coelo descendens rerum caussas ipsa explicat. Huius interventu ad expediendas res minime opus fuisse planum est. Licebat enim Hippolyto nunc demum certe arcana prodere, nec timendum erat, ne tumidus patris animus fidem dictis derogaret; licebat nutricem in testimonium adhibere; licebat etiam chorum ad partes vocare. Adhibita igitur est dea sedandis animis et consummandis, non extricandis, rebus. Detracto autem involucro hoc docet Diana: Non

caruerunt fructu Hippolyti virtutes; nam et vivus me socia atque fautrice gavisus est, et mortuus perpetuis honoribus fruetur. Sed interitum arcere nulla cuiquam praestantia potest: quin etiam gravioribus expositus est calamitatibus, quo quis magis virtutibus excellit, quemadmodum celsissima quaeque gravissima ruina sternuntur. Neque enim ulla natura mortalis omnibus numeris absoluta est, sed virtutibus finitima sunt vitia, quae in celsissimis quibusque hominibus maxime sunt conspicua, et tanto odiosiora, quo maiore quisque constantia atque pertinacia studium suum persequitur, tantoque citius eadem ad perniciem adducunt.

Quam Euripides indicavit deorum legem, quamque, hunc secutus, etiam Ovidius commemoravit, qua licere negant cuiquam deo alius dei facta irrita facere sive rescindere, eam non accuratissime cum Homericorum deorum consuetudine convenire falso putat Valckenarius. Nunquam illi nisi vel iubente vel permittente Iove manus inter se conserunt, neque unquam singulari certamine de uno homine contendunt: indignum enim esset pro uno viro binos deos vulnera sibi inferre. Ac ne in populorum quidem proeliis temere manus conserunt, sed concursum verecunde vitant. Proprio autem odio et privata ira concitati inter se conflictantur in rhaps. XXI. v. 385., qua ex re miram voluptatem capit Iuppiter.

Apportatur deinde Hippolytus eliso, laniato cruentoque corpore, foedo adspectu, cum flebili clamore. Hunc Diana consolatur neve patri irascatur monet; eadem se et ultionem Veneris suscepturam esse pollicetur, et effecturam, ut perpetuis honoribus Hippolytus a virginibus innuptis colatur *). Postquam dea discessit, filius patrem caedis culpa liberat interposito iuramento, statimque hoc facto in huius amplexibus animam efflat et ab eodem componitur.

Plane singularis ac paene inaudita graecis hominibus est animi lenitas, aequitas et moderatio, qua ignoscit iis, a quibus iniuria contumeliaque affectus et morti miserrimae obiectus est. Solo philosophiae studio eam animi altitu-

---

*) Cf. Welck. p. 745., qui hunc honorem cum corona, qua ornatus Hippolytus primo in scenam prodiit, recte componit.

dinem parari potuisse manifestum est, maximeque omnium disciplinarum hoc proprium erat ei, quae cantu fidibusque, quasi quadam incantatione, animos a perturbatione ad tranquillitatem traducebat et in sedandis animorum motibus studiosissime elaborabat. Recte igitur Pythagoreorum familiae adolescentem noster adscripsit et inter studia eius lyrae tractationem retulit (v. 1126.), cuius cantu etiam feras bestias domuisse Orpheus narratur. Antequam ullo uteretur auctore, ipsius naturae bonitate quasi inscius philosophiae studium Hippolytus induisse fingitur. Testantur hoc verba eius:

ὅςτις διδακτὸν μηδέν, ἀλλ' ἐν τῇ φύσει
τὸ σωφρονεῖν εἴληχεν ἐς τὰ πάνθ' ὁμῶς.

Hoc minus mirandum est, quod Phaedra quoque invita, dum cupidinem animi vincere ac domare studet, in medios philosophorum circulos intravit, quum castitate et magnitudine animi maxime excellat. Hippolyti autem ingenium moresque contemplantes, non possumus non de ipso Euripide adolescente cogitare, et plura insunt in hac tragoedia, quae scribens poeta sui animi inclinationem parum celasse videatur, velut haec:

ἐγὼ δ' ἀγῶνας μὲν κρατεῖν Ἑλληνικοὺς
πρῶτος θέλοιμ' ἄν, ἐν πόλει δὲ δεύτερος
σὺν τοῖς ἀρίστοις εὐτυχεῖν ἀεὶ φίλοις·
πράσσειν τε γὰρ πάρεστι, κίνδυνός τ' ἀπὼν
κρείσσω δίδωσι τῆς τυραννίδος χάριν.

Corporis enim exercitationi studuisse Euripidem tradunt, atque etiam victoriam ex pugilatus pancratiique certamine retulisse. Tum quod austeritatem Hippolyto paedagogus exprobrat (*τὸ σεμνὸν καὶ τὸ μὴ πᾶσιν φίλον*) monetque, ut affabilitate gratiam sibi conciliare studeat, eadem paene omnia in Euripide fuisse grammatici affirmant.

Retractatum argumentum ab Euripide immutatumque priorem Hippolytum ea maxime de caussa esse mihi persuadeo, ut qualis esset voluntas sua qualisque mens, facilius ab auditoribus perspiceretur. Repraesentaverat enim in priore Phaedra et in Stheneboea vim amoris tanta veritate, ut quaedam mulierculae harum exemplum secutae se ipsae interficerent. Quamobrem pravae mentis suae in-

terpretationi occursurus rectius exemplum permutatae Phaedrae proponendum esse censuit et studiose elaboravit, ut utrumque drama comparando, quid sequendum esset, facilius appareret. Nam fere singuli actus singulis alterius dramatis respondent et sic conformati sunt, ut iidem similes inter se diversique sint. Longissime arcendam esse opinionem eorum, qui non παλινῳδίαν, sed διόρθωσιν prioris Hippolyti hoc drama fuisse putent, ex hoc ipso apparet, quod divulgato posteriore dramate prius non est antiquatum, sed paene aequali honore apud posteros fuit: quid? quod Ovidius, elegantissimus poeta, et Seneca illud quam hoc imitari maluerunt. Videtur autem illa opinio ex grammatici verbis, qui argumentum scripsit, originem duxisse: τὸ γὰρ ἀπρεπὲς καὶ κατηγορίας ἄξιον ἐν τούτῳ διώρθωται τῷ δράματι· τὸ δρᾶμα τῶν πρώτων —, quae tamen nostrae sententiae multo magis quam illi favent: indecorum enim illud et reprehensione dignum sine dubio in Phaedrae moribus, non in dramatis compositione, infuit. Esse autem priorem et secundum Hippolytum non pro duplici eiusdem dramatis editione, sed pro duobus dramatibus idem argumentum diverso modo ornantibus habitos verba ἐν τούτῳ τῷ δράματι ostendunt. Quod idem adiecit, τὸ δρᾶμα τῶν πρώτων, id plurimis omnium saeculorum testimoniis confirmatur. Quin etiam ad barbaros, qui graece scirent, nobilitatem eius manasse ex Pausaniae verbis intelligitur I, 22. p. 51: δῆλα δὲ καὶ ὅςτις βαρβάρων γλῶσσαν ἔμαθεν Ἑλλήνων ὅ τε ἔρως τῆς Φαίδρας καὶ τῆς τροφοῦ τὸ ἐς τὴν διακονίαν τόλμημα. Imitati sunt partes quasdam eius Ovidius Met. XV, 497 seqq., Lucianus in tragoedop. et Seneca; singulas sententias reddiderunt idem Ovidius (v. 25. 75. 215. 326. 607. 1319.), Tibullus (v. 215.), Virgilius (v. 1406 seq.), Horatius (v. 443. 478. 936.), Cicero sive Chrysippus (v. 253 seqq.), Claudianus (v. 723.), Heliodorus (v. 439. 1311.), Eumathius (v. 439.), Clemens Alex. (v. 74.). Respexerunt praeterea Plato (v. 101. 352. 607.), Aristoteles (v. 607. 983.), Aelianus (v. 1428.), Xenophon (v. 84.), Galenus (v. 444.), Plutarchus (v. 74. 101. 192 seqq. 217. 253 seqq. 385. 424 seqq. 449. 983.), Diodorus Sic. (IV, 63.), Dionysius Hal. (v. 201.), Themi-

stius (v. 72. 101.), Aristides (v. 352.), Lucianus (v. 417. 513. 614 seqq.), Philostratus (vit. Apoll. Tyan. VI, 111. p. 232.), Athenagoras (v. 1100.), Horatius (Od. IV, 7, 25.), Cicero (N. D. III, 3. Off. I, 10. III, 29.), quibus adde grammaticos cum scholiastis. Aristophanes nullius dramatis quam huius frequentius meminit: Eq. 16. 1290. Vesp. 751. Thesm. 276. 416. 715. Ran. 101. 931. 1471. Anagyro fragm. 7. Menander versus 386. et 387. imitatus est in *παρακαταθήκῃ* (cf. Valck. ad v. 380.). Xenarchus v. 415 seqq. in risum detorsit:

οἳ πῶς ποτ', ὦ δέσποινα ποντία Κύπρις,
βινεῖν δύνανται, τῶν Δρακοντείων νόμων
ὁπόταν ἀναμνησθῶσι προςκυνούμενοι;

Sclerias comicus Tarentinus in Meleagro abusus est versibus 74 seq.:

ἔνθ' οὔτε ποιμὴν ἀξιοῖ νέμειν βοτὰ
οὔτ' ἀσχέδωρος νεμόμενος καπρώζεται.

Grammaticorum huic tragoediae explicandae operam dederunt nobilissimi, velut Aristophanes et Philochorus; cf. schol. ad v. 170. et 70.

C. Antigone.

De argumento ab Aristophane Byz. in iis, quae de Sophocleae Antigonae argumento scripsit, docemur: *κεῖται δὲ ἡ μυθοποιία καὶ παρ' Εὐριπίδῃ ἐν Ἀντιγόνῃ· πλὴν ἐκεῖ φωραθεῖσα μετὰ τοῦ Αἵμονος δίδοται πρὸς γάμου κοινωνίαν καὶ τίκτει τὸν Μαίμονα.* Idem scholion paene iisdem verbis ad finem fabulae scriptum est. Hoc testimonio idem utrique poetae argumentum propositum fuisse, neque rerum, quae in utraque fabula agerentur, naturam, excepto eventu, multum discrepasse satis, puto, aperte et perspicue declaratur. Nihil enim interfuisse (*διαφέρειν*) praeter exitus diversitatem, tum socio et adiuvante Haemone corpus interfecti sive crematum sive humatum a virgine esse, denique Antigonam Haemoni, postquam invictus adolescentis amor ex conspiratione illa cognitus sit, in

matrimonium datam esse (ἐξεδόθη) affirmat scholiastes. Horum autem omnium contraria insunt Hygini (fab. 72.) narrationi, quam sequutus est Welckerus. Et huius quidem coniecturae fragmenta fabulae magis etiam quam testimonium Aristophanis reluctantur. Discrepantiae unum exemplum protulisse sufficiet: corpus interfecti etiamtum contra ius pietatemque inhumatum iacuisse ex fragmento XVII. apparet. Hyginum contra si sequimur, quattuor minimum lustra inter Polynicis mortem et Maemonis agnitionem interposita fuisse statuendum erit. Movit autem Welckerum maxime Matthiaei scrupulus, non habentis, quomodo poenam contumaciae cum nuptiarum felicitate conciliaret. At eam conciliationem deorum numine effectam esse fragmenta XIV. et XVIII. ostendunt. Quod si quaeras, quid ad Bacchum sors Antigonae pertinuerit, rectissime Welckerus ipse vidit ferias Bacchi eo die, quo haec agantur, haberi: quas quo consilio finxerit Euripides, in promtu est intelligere: primum enim Marti contrarius est Bacchus, neque potuit pacis felicitas ex belli calamitate melius, quam illa festa sacraque repraesentando, ostendi *); deinde priusquam festi dies sollemnesque superorum deorum celebrarentur, luctum in universa civitate finiri ac deponi lugubria decuit. Quod Antigone quominus ipsa quoque faceret quum Creontis crudelitate prohiberetur, et dei sacra polluebantur et magis conspicua reddebatur huius miseria, quum sola inter laetos lugeret squaleretque, et augebantur Creontis scelera, festum profanantis ac luctum sacris immiscentis. Sic deo in partes Antigonae vocato, quid mirum, si eiusdem praesentis numinis auxilio virgo servata est? Remotis igitur obstaculis, quae viro eruditissimo offecerunt, diversam interpretandi viam ingrediendam esse censeo.

Prologi agendi munus Antigonae tribuo. Initium autem prooemii Aristophanes Ran. v. 1212. servavit:

ἦν Οἰδίπους τὸ πρῶτον εὐδαίμων ἀνήρ,
εἶτ' ἐγένετ' αὖθις ἀθλιώτατος βροτῶν.

Ex Athenis cummaxime reversam esse virginem putan-

---

*) Conferas carmen in Phoenissis, quo bacchantium laetitia atque insania cum proeliantium furore luctuoso comparatur.

dum est, quum patri ad sedem oraculis destinatam proficiscenti dux comesque fuisset et defunctum ibidem composuisset. Iam alterum videt pietatis officium humandi fratris, qui multos iam dies avibus canibusque propositus sit, sibi iniungi. Desolata, orbata, tyrannorum iniuriis exposita, et suam et suorum sortem deplorat. Ad quam deinde Eurydice, Creontis uxor, prodire potuit, si modo Sophoclem Euripides in huius morte dramati intexenda secutus est. Nam quum reliqua illius vitia feliciter vitarit, tum hoc quoque prudentius ab eo institutum fuisse mihi persuadeo, ut ad res agendas in principio dramatis personam Eurydices adhiberet neque victimae instar ad mortem subito raperet, priorum actionum nullius participem. Eurydicen, quum multis nominibus bene vellet virgini generosae et gnara esset amoris, quo Haemon eam deperibat, et honestum faustumque hoc connubium filio fore speraret, multa admonebant, ut et consolando dolorem eius mitigare et monendo, ut potentiorum imperio cederet neve capitis periculum adire vellet, ad mitiora consilia ineunda permovere studeret. Aut huius igitur aut alius propinqui vel familiaris personae conveniunt verba haecce:

ὅςτις δὲ πρὸς τὸ πῖπτον εὐλόγως φέρει
τὸν δαίμον', οὗτος ἧσσόν ἐστ' ἀνόλβιος.

Antigonam non modo perseverasse in sententia, sed etiam ad exsequenda ea, quae decrevit, se accinxisse necesse est.

His peractis prodire potuit chorus virginum vel mulierum Bacchi sacra celebrantium. Parodi huius fabulae partem fini Phoenissarum ab interpolatoribus agglutinatam esse pridem monui homines surdos. Invitatur autem eo fragmento Antigone ad chorearum laetitiaeque societatem, quam illa, luctui ac moerori dedita, detrectat.

ΧΟΡΟΣ.

πρὸς ἥλικας φάνηθι σάς.

ΑΝΤΙΓΟΝΗ.

ἅλις ὀδυρμάτων ἐμῶν.

ΧΟΡΟΣ.

σὺ δ' ἀμφὶ βωμίους λιτάς.

ΑΝΤΙΓΟΝΗ.

κόρον ἔχουσ' ἐμῶν κακῶν;

ΧΟΡΟΣ.

ἴθ' ἀλλὰ Βρόμιος ἵνα τε ση-
κὸς ἄβατος ὄρεσι Μαινάδων.

ΑΝΤΙΓΟΝΗ.

— — — —

Καδμείαν ᾧ
νεβρίδα στολιδωσαμένα ποτ' ἐγὼ
θίασον Σεμέλας
ἱερὸν ὄρεσιν ἀνεχόρευσα,
χάριν ἀχάριτον εἰς θεοὺς διδοῦσα.

Prodit in scenam Creon; conspecta Antigona, moerorem eius vituperat. Ab hoc deinde virginem gravissima oratione omnibusque precibus contendisse, ut sepeliendi fratris veniam impetraret, haec fragmenta ostendunt:

οὐκ ἔστι Πειθοῦς ἱερὸν ἄλλο πλὴν λόγος,
καὶ βωμὸς αὐτῆς ἔστ' ἐν ἀνθρώπου φύσει.

Indigne fratrem puniri ait, ut qui neque solus neque praecipue domesticae discordiae auctor fuerit:

οἰκεῖος ἀνθρώποισι γίγνεσθαι φιλεῖ
πόλεμος ἐν ἀστοῖς, ἂν διχοστατῇ πόλις.

Sed si vel maxime digne, ultra mortem ulciscendi saevitiam extendi rectum esse negat:

θάνατος γὰρ ἀνθρώποισι νεικέων τέλος
ἔχει· τί γὰρ τοῦδ' ἐστὶ μεῖζον ἐν βροτοῖς;
τίς γὰρ πετραῖον σκόπελον οὐτάζων δορὶ
ὀδύναισι δώσει, τίς δ' ἀτιμάζων νέκυς,
εἰ μηδὲν αἰσθάνοιντο τῶν παθημάτων;

His nihil motus rex luctum eam deponere et ad nuptias ineundas se parare iubet: necesse enim esse eam, cum sit sola ex familia superstes, ne amplius desolata vagetur, matrimonii vinculo alligari. Negat virgo se aut lugubria depondituram aut ullius laetitiae participem fore antea, quam iusta fratri persoluta essent; urgente rege etiam mortem minatur ei, qui cogere vel vim facere conetur. Creontem, ut infestissimum familiae suae hostem, detestatur. Contra rex exprobrare virgini potuit, quod laesa pudicitia sola cum sene coeco peregrinata esset; potuit idem gratulari sibi, quod connubium filii virgo ultro repudiaret. Deinde declarasse videtur se curaturum esse, ne amplius libera

in publico vagaretur neve vicinas terras peragraret: humili enim alicui ignobilique viro in matrimonium collocaturum esse. Respondit Antigone se neque generis nobilitate virorum neque divitiis moveri: in virtute enim sola quaecunque ad bene beateque vivendum pertineant posita esse:

ἀνδρὸς φίλου δὲ χρυσὸς ἀμαθίας μέτα
ἄχρηστος, εἰ μὴ κἀρετὴν ἔχων τύχοι.

Abit Antigone, opportunitatem sepeliendi fratris speculatura. Creon, ne proles ex ea nascatur ea, quae regnum aliquando iure sibi vindicare possit, quam primum eam pauperi alicui ignobilique viro despondendam esse censet. Neque minus filium suum, quem Spartorum generis solum habet superstitem, statim alius mulieris connubio devinciendum esse intelligit:

ἀνδρὸς δ' ὁρῶντος εἰς Κύπριν νεανίου
ἀφύλακτος ἡ τήρησις· ἢν γὰρ φαῦλος ᾖ
τἄλλ', εἰς ἔρωτα πᾶς ἀνὴρ σοφώτερος·
*ἢν δ' αὖ προςάντης Κύπρις *), ἥδιστον λαβεῖν.*

— — — — — —

ζευχθεὶς γάμοισιν οὐκέτ' ἔστ' ἐλεύθερος·
ἀλλ' ἕν γ' ἔχει τι χρηστόν· ἐν κήδει γὰρ ὢν
ἐσθλῷ, δέδοικε μηδὲν ἐξαμαρτάνειν.

His praemitti potuerunt haec, quae declarant adolescentes ab adolescentibus corrumpi et in committendis flagitiis mutuo adiuvari:

νέοι νέοισι συννοσοῦσι τἀφανῆ.

Uxorem igitur duci a filio nuptiasque vult parari, ut ab Antigonae amore adolescens abstrahatur **). Hoc consilium Creon Haemoni continuo aperit. Filio contradicendi in tali rerum conditione vix ulla potestas erat. His transactis Creon ad parandam nuptiarum celebritatem in domum redire potuit, non divinans, in quanta mala ex hac spe

---

*) Vulgo *προσῆται Κύπρις*, quod quid esset, nemo probabiliter explicare potuit.

**) Vide, ne haec quoque verba, quae ponuntur in incertis fragmentis, hinc depromta sint:

οἰκοφθόρον γὰρ ἄνδρα κωλύει γυνὴ
ἐσθλὴ παραζευχθεῖσα καὶ σώζει δόμους.

paullo post praecipitatus foret. Locus igitur factus est chori interponendi, quo memoriam septem ducum, qui Thebas oppugnaverant, repetitam esse hoc fragmentum significat:

ἐπὶ χρυσεόνωτον
ἀσπίδα τὰν Καπανέως.

Addo fragm. inc. 112:

ἀμφίπολος Ἄρεος ἀνιέρου.

Tertius actus Haemonis atque Antigonae colloquio confici potuit. Rediit virgo ex eo loco, quo fratris corpus inhumatum iacebat. Facultatem iusta mortuo persolvendi sibi nullam esse intellexit, militibus adeo strenue diligenterque custodientibus, ut neque fraude ulla decipi neque vi pelli posse viderentur. Huius cum moerore Haemonis dolor coniungitur:

— *ἐπ' ἄκραν ἥκομεν γραμμὴν κακῶν.*

His verbis ad extremam miseriam desperationemque se Creontis crudelitate adactos esse ostendunt, ut minime mirandum sit, quod ad extrema audenda subeundaque se ambo accingant. Facile autem fuit Haemoni, ut qui conspirare cum patre crederetur, custodes vel ficto patris imperio vel alia fraude deceptos paullisper seducere, donec vel humaretur corpus Polynicis vel in rogum forte ardentem ingereretur *). Praestitit igitur Haemon virgini amatae id, quod praeter ipsum praestare Thebanorum nemo potuit, simulque capitis periculum cum ea communiter subeundo firmissimum amoris documentum dedit. Neque enim verbis virginem adiuvit, ut Sophocleus Haemon, sed factis: unde etiam iustiorem cum eadem una moriendi caussam adeptus est. His igitur communi consilio compositis, ad exsequendam voluntatem suam extemplo proficiscuntur.

Secutus est chorus tertius, quo amoris vis exprimi simili carmine, atque fit in Hippolyti vv. 1258 seqq., potuit.

Quo carmine finito illi, ut captivi, a militibus in sce-

---

*) Cf. Philostr. Im. II, 29. p. 825. Paus. Boeot. p. 300, 25: *ὡς γὰρ τὸν τοῦ Πολυνείκους ἄρασθαί οἱ προθυμουμένῃ νεκρὸν οὐδεμία ἐφαίνετο ῥαστώνη, δεύτερα ἐπενόησεν ἕλκειν αὐτόν, ἐς ὃ εἵλκυσέ τε καὶ ἐνέβαλεν ἐπὶ τοῦ Ἐτεοκλέους ἐξημμένην τὴν πυράν.*

nam reducuntur. Rem gestam is, qui custodibus praefectus fuit, exponit. Re perpetrata non fugerat virgo neque eam destituerat adolescens; sponte se illa custodibus intervenientibus obtulerat; hic, quum eripere eam ex militum manibus non potuisset, participem se sociumque culpae esse professus est. Sic ad regem ambo reducuntur. Exstat fragmentum orationis, qua pater filium obiurgavit:

ἡ γὰρ δόκησις πατράσι παῖδας εἰκέναι
τὰ πολλὰ φαύλη γίγνεται τέκνων πέρι
— — — — — —
ὀνόματι μεμπτὸν τὸ νόθον, ἡ φύσις δ' ἴση.

Neque minus defensionis filii particula servata est:

ἤρων· τὸ μαίνεσθαι δ' ἄρ' ἦν ἔρως βροτοῖς.

Audacissima autem oratione Antigone contra tyrannum usa est:

ἄκουσον· οὐ γὰρ οἱ κακῶς πεπραγότες
σὺν ταῖς τύχαισι τοὺς λόγους ἀπώλεσαν
— — — — — —
οὔτ' εἰκὸς ἄρχειν οὔτ' ἐχρῆν εἶναι νόμον
τύραννον εἶναι (μωρία δὲ καὶ θέλειν),
ὃς τῶν ὁμοίων βούλεται κρατεῖν μόνος.

quibus addi potest fragm. inc. 10:

ἡ γὰρ τυραννὶς ἀδικίας μήτηρ ἔφυ
— — — — — —
δεῖ τοῖσι πολλοῖς τὸν τύραννον ἁνδάνειν.

Ex iis, quae contra hanc Creon dixit, haec sunt depromta:

τὸ μωρὸν αὐτῇ τοῦ πατρὸς νόσημ' ἔνι *)·
φιλεῖ γὰρ οὕτως ἐκ κακῶν εἶναι κακούς.

Ad mortem duci Antigonam necesse fuit; Haemonis, qui conscius tantum delicti fuerat neque ipse in curando funere virginem adiuverat, capitis damnandi caussa nulla fuit. Sed iuvenis, quamvis poena esset liberatus, tamen illam, quum ad supplicium duceretur, comitatus est, neque obscuris verbis consilium una moriendi declaravit: quas minas Creon, ut a repentino animi tumore profectas, neglexit.

---

*) Vulgo αὐτῷ pro αὐτῇ. Emendavit Süvern, comparans versum de Sophoclis Antigona 465.

Hoc loco quartum carmen a caterva virginum, quae chori munere fungebatur, cantari potuit.

Quum perventum esset ad subterraneum, in quo Antigone viva includenda erat, virgine in tumulum detrusa, iuvenis eodem subito se demisit, strictoque gladio arcens qui retrahere conabantur, una cum virgine inclusus est.

His a nuntio expositis, in Creontis animo iracundia cum pietate propriique commodi ratione pugnabat; mox eum poenitentia invasit. Felicior ei videtur sors Polynicis quam sua: ad illum enim, quamvis mortuum, omnes se convertere, se autem vivum destitui:

τὸ ζῆν ἀφέντες, τὸ κατὰ γῆν τιμῶσί σου.

Respondet chorus:

κενόν γ᾽· ὅταν γὰρ ζῇ τις, εὐτυχεῖ, Κρέον *).

Dolet enim regis vicem chorus et consolando eum erigere studet:

— — — *μὴ νῦν θέλε*
λυπεῖν σεαυτόν, δέσποτ᾽, εἰδὼς πολλάκις
ὡς καὶ τὸ λυποῦν ὕστερον χαρὰν ἄγει
καὶ τὸ κακὸν ἀγαθοῦ γίγνεται παραίτιον **).

Ex his intelligitur victum iam et mutatum regis animum fuisse, antequam deus interveniret. Bacchi fuit ostendere a se propter festi profanationem, quod rex cadaver non removisset e conspectu, calamitatem, qua frangeretur, invectam esse; tum Antigonam cum Haemone vivos e tumulo reduci nuptiasque parari iussit, et Maimonem ex eorum coniugio natum iri praedixit. Creon dei voluntati se cedere fassus est hisce verbis:

ὦ παῖ Διώνης, ὡς ἔφυς μέγας θεός,
Διόνυσε, θνητοῖς τ᾽ οὐδαμῶς ὑπόστατος.

Ante Sophoclis Antigonam, quae iam Ol. 84, 3. in theatro spectata est, Euripidis opus compositum esse non est verisimile. Et ipsa fabulae structura, quantum ex reliquiis cognosci potest, imitationis vestigia continere vide-

---

*) Matth. fragm. Andromedae n. 29. p. 56. Huic tragoediae illa inserenda esse vidit Fritzschius Thesm. p. 516.

**) Vocabulum *δέσποτ᾽* explendi versus caussa inserui, et *ὡς καὶ* pro *ὅτι* de coniectura reposui.

tur: retinuit enim Euripides quaecunque recta et laude digna a Sophocle efficta erant, mutavit quae minus probabantur. Primum igitur, quum Antigones Sophocleae ingenium a virili natura neque dictis neque factis quidquam differret, ille personam virginis sic effinxit, ut, quum nihil neque constantia neque fortitudine Sophocleae cederet, tamen intra muliebris naturae fines consisteret. Dolet, quod choreis ludisque aequalium, quibus antea gavisa sit, nunc sibi sit carendum; respectum habet sponsi et ad auxilium eius confugit; precibus ante tyrannum mollire studet, quam imperium contemnat; neque est tam temerarii ingenii, ut militum armis sola obviam ire audeat. Haemonis quoque mores multo decentiores ab Euripide quam a Sophocle expressi sunt: non enim oratione inutili seroque interposita, sed re factisque virgini opitulatur, neque sola doloris impatientia ad mortem adigitur, quod turpe est, sed mortis se socium esse, cum socius fuerit facinoris, aequum esse censet. Quod si Sophocleus Haemon fecisset id, quod amantium est, ut familiaris esset sponsae atque aegritudinem eius animadverteret ante, quam facinus audacissimum sola patraret, calamitas potuisset declinari; sed immolare homines innocentissimos poeta, quam naturam sequi ducem, maluit. Nam Eurydice quoque magis lubidine poetae, quam ulla necessitate cogente, de vita decedit. Huius persona aut plane omittenda aut aliquid ei muneris etiam in dissuadenda crudelitate tribuendum fuit. Neque minus a fabula abesse Ismenae persona debuit: cuius officia si in Haemonem translata essent, effectum esset, ut inutilibus personis drama minus abundaret. Pro vate deum Euripides non incommode adhibuit: neque enim hoc adiutore ad solvendum nodum, sed tantum ad dirigenda ea, quae in fortunae arbitrio posita sunt, usus est. Mentis mutatione facta Creon apud utrumque poetam filium e morte eripere studet; hoc differunt, quod Creontem Euripidis dii adiuvant, Sophoclis pessumdant.

Non ignobilem hanc tragoediam fuisse ex scriptorum commemorationibus intelligere licet. Sed quum neque sententiarum gravitate novitateque insignis esset neque infortunii magnitudine animos vehementius moveret, factum est,

ut Sophoclis opere obscuraretur. Maiora enim studia Sophocleae personae defunctis immorientes, quam Euripideae dei beneficio servatae, excitarunt, cuius rei testes sunt Ovidius Trist. II, 402. ibid. 563. et Propertius II, 7, 83. Ceterum iniuriam τραγικωτάτῳ poetae fieri ab iis, qui cum insatiabilem miseriarum fuisse criminentur, non haec sola, sed reliquarum quoque tragoediarum non paucae testantur. Sed horum iudicia omittere quam redarguere praestat: plerique enim descriptione argumenti parum perspecta hoc drama damnarunt, scilicet pro certo exploratoque habentes vitiosa esse oportere quaecunque a Sophoclis ratione discreparent.

D. Cyclops.

Silenus vetulus rastrum tenens, quo cummaxime stabula Cyclopis purgat, in speluncae introitu conspicitur interque opus et de virtutibus suis et de vitae casibus theatrum edocet. Et fortiter quidem factorum illustrissimum est, quod in gigantum proelio Encelado a Minerva interfecto (cf. Ion. v. 209.) arma detraxit, quae spolia ostendendo illum sua manu occisum esse et Baccho et sibi ipsi persuasit. Baccho a latronibus Tyrrhenis capto venditoque, ipse dulcissimum dominum quaesiturus cum liberis suis navem conscendit; tempestate coorta ad Aetnae rupem delatus in servitutem pervenit Polyphemi, qui multum Baccho dispar duros labores pro comissationibus perpetuo omnibus iniungit: satyri enim greges foris pascere iubentur, Silenus autem domi speluncam verrere atque reversuro domino epulas apponere. Interim satyri cum gregibus ad stabulum revertuntur, qui, dum in speluncam greges compellunt, memores pristinarum rerum laetarum, sicinnin saltando cantandoque delectantur. Carmini venustissima inest et stabulorum et pecorum et pastorum conditionis descriptio. Imago exprimitur speluncae rupi subiectae, a ventis tutae, cuius ad introitum gramina vireant, fontes decurrant, alvei potum pecoribus praebeant, ovium,

duce ariete cornuto, pascentium, plena ubera balantibus agnis referentium, custodum denique pellibus caprinis amictorum, inter saltationem ultro citroque cursantium, adhortando minandoque pecora in stabula compellentium. Quo labore finito satyri hunc rerum suarum statum cum priore conferentes desiderium declarant laetissimarum bacchationum, quum modo ad fontes frigidissimos recumbentes vino maderent modo nympharum venerem sectarentur, tympanorum strepitu excitati.

Interim Ulysses ac socii sub ipsis Aetnae radicibus e regione speluncae navem appulerunt, atque sumtis vasis urnisque, quum sint et cibariorum et aquae indigi, ad tecta Cyclopis in hospitalia tendunt. Ibi salutato Sileno cum satyris, quum nomen casusque suos Ulysses minime celasset, cognoscit terram a feris hominibus Cyclopibus habitari, qui speluncis pro domibus utentes pecorum ferarumque carnibus, lacte atque caseo vescantur, ignari et Cereris et Bacchi donorum, expertes legum tantaque improbitate, ut non tantum interficiant hospites, sed etiam carnibus interfectorum vescantur. Quibus cognitis Ulysses, ut, priusquam e venatu Cyclops redierit, quam celerrime peractis iis, quorum caussa venit, navem solvat, Sileno persuadet, ut permutatione facta oves, lac caseosque tradat pro vino, quod a Marone acceptum in utre attulit. Eam conditionem magna cum laetitia accipit Silenus, qui vel odore vini naribus tracto gestit voluptate, gustato vero lascivit et valere iubet domini in stupidissima fronte oculum, quin etiam se venditurum ait omnium Cyclopum pecuaria, dum semel inebriatus penitus vim sentiat vini Venerisque stimulos. Dum ex antro Silenus pecora et cibaria effert, satyri de Helena, belli deterrima caussa, quaerunt, quam aiunt debuisse Troia expugnata ab omnibus alterna vice stuprari.

Subito apparet Cyclops, quem venientem videns Ulysses spelunca se abdere dedignatur. Ille primum Silenum cum satyris, servos suos, increpat et, num pecora curata, num prandium paratum sit, saevo animo vultuque quaerit ex ridicule obtemperantibus; deinde conspicatus hospites et propter eos pecora viminibus constricta, lac et caseum,

ac Sileni os rubore suffusum, callide coniicit, hunc verberibus affectum, pecora autem per vim ex spelunca ablata esse. Id vero cupidissime Silenus confirmat et ultro accusat minatos esse hospites se Cyclopi vincto membrum virile desecturos, tergum verberibus conscissuros esse, tum in navem impositum pro servo pistrinario venditoros. Fidem huic accusationi facit voracitas Cyclopis et carnis humanae, qua dudum caruit, desiderium. Ergo cultros expediri, ignem accendi, lebetem veruque parari iubet. Ulysse crimen deprecante, Sileno autem per quidquid sibi carum sanctumque sit, quin etiam per filiorum suorum salutem adiurante, denique satyris contra ipsum patrem testimonium dicentibus, Cyclops, perseverans in sententia, Silenum a se Rhadamantho ipso iustiorem verioremque cognitum esse affirmat. Iam nil Ulyssi relinquitur, nisi ut ad misericordiam confugiat. Suppliciter igitur orat Cyclopem, quum sit Neptuni filius et Graecorum terrae incola, ne velit eos, per quos et deorum templa et patriae decus a barbarorum iniuria defensa sint, bello marique exhaustos, supplices interficere, sed victu donisque hospitalibus adiutos in patriam ad parentes uxoresque remittere; postremo deorum iram vereri iubet, si gulae voracitati indulgens ventrem carnibus humanis impleat. His auditis Silenus, linguam Ulyssis ut ante omnia mandat, domino suadet; Cyclops vero, Divitiae, inquit, o homuncio, soli dii sunt sapientibus, cetera inanis verborum pompa fucusque. His simulque viribus corporis fretus Iovem contemno; soli mihi et ventri, deorum maximo, pecora, quae terra, sive velit sive nolit, procreat, immolo: nam bibere, edere, voluptatibus frui et valere iubere disciplinam eorum, qui legibus scribendis vitam humanam excoluerunt, sola vera sapientia est. Proinde vos intro abite, ut stantes ad aram numinis, quod haecce stabula colit, ignem, aquam paternam et lebetem dono accipiatis. Minervam et Iovem Hospitalem Ulysses, tam crudeliter tractatus, in auxilium vocat. Interponitur carmen praestantissimum, quo diras Cyclopis epulas chorus persequitur et improbitatem monstri detestabilis exsecratur.

Redit Ulysses et quae intus gesta sunt exponit. Ignem accendit Cyclops tanta ligni copia, quantam vix tria plau-

stra caperent; frondibus humi fusis lectum stravit; craterem, qui denas caperet amphoras, lacte implevit, nec non etiam cyathum promsit amplissimum; lebetem in igne posuit, verua, vasa sanguinaria et securem expedivit. His paratis duos viros, qui pinguissimi essent, corripuit, quorum alterum lebeti immisit, alterum antri cautibus illisit, ac disperso cerebro carnes partim in verubus assavit partim coxit in lebete. Inter haec sociis Ulyssis in petrae recessibus delitescentibus, ipse Cyclopi ministravit; post immanes epulas vinum ei praebuit aliumque super alium scyphum implendo viscera monstri inflammavit. Iam igitur recumbens canit incondita, plorantibus sociis, resonante antro. Interim Ulysses et cum Sileno, quamvis appoto, consilia communicavit et tacite egressus satyros hortatur, ut in ulciscendo scelere ipsum adiuvantes libertatem ex servitute adipiscantur. Esse autem Cyclopem primum avertendum, ne ad fratres se comissatum conferat; deinde, ubi vino victus somnoque intus oppressus fuerit, lumine orbandum stipitem acuminatum atque ardentem in oculum adigendo ac terebrae instar versando. Haec satyri laeti, ut par est, atque gestientes amplectuntur operamque suam alacriter pollicentur. Auditur intus cantus Cyclopis; mox ipse prodit comissatum, navis instar onerariae ad summa ventris tabulata repletus, titubans, stupidum tuens oculis: quem satyri pedes numerosque carminis praeeundo ad cantandum alternatim provocant et festiva verborum ambiguitate rident, cum eum amabilem ab amica sub roscido antro facibus atque coronis capitis admodum iucunde exceptum iri praedicant. Haec excipit scena lepidissima, largam ad ridendum materiam praebente tum Cyclopis temulenti vecordia et Sileni cupidine vini atque furacitate, tum huius affectatione decoris, qua elegantium convivarum mores imitatur, et Cyclopis, dum pocillatoris sui praeceptis ad urbanitatem informatur, importunitate. Inter haec quum adductus esset Cyclops, ut missa comissatione humi recumbens ante speluncam potaret, quum ultimum omnium Ulyssem a se devoratum iri promisisset, quum securus poculum alterum post alterum siccasset dicens: „etsi sim ebrius, tamen me haud quisquam attigerit," quum contemnens Bacchi vim

tam avide hausisset, ut cum vino simul anima eum deficeret, subito coelum videtur cum terra circumferri, simul deorum sedem sibi intueri videtur et Gratias ad ipsum deosculandum descendentes conspicere. Tum ad somnum capiendum intro abit, abrepto Sileno, quem pro Ganymede habeat. Quem paullo post Ulysses sequitur, iterum satyros ad praestandam gnaviter operam hortatus, advocatisque in auxilium Vulcano et Somno, opportunitatem rei gerendae opperiturus. Chorus gravissimo carmine ea, quae ex oculis remota intus parantur, persequitur et quodammodo ob oculos ponit *). Reversus Ulysses somno iam Cyclopem oppressum esse nuntiat et ad communitatem periculi laborisque satyros invitat. Ibi repente his luxati pedes, oculi

---

*) Incomposita iacent pleraque huius dramatis carmina, quae Hermannus quidem magis laceravit quam sanavit. Et hoc quidem sic constituendum esse videtur:

στρ. λήψεται ἐντόνως ὁ καρκίνος
τοῦ ξένων
δαιτυμόνος· πυρὶ γὰρ τάχα
φωςφόρους ὀλεῖ κόρας.
ἀντιστρ. ἤδη δαλὸς ἠνθρακωμένος
κρύπτεται
εἰς σποδιάν, δρυὸς ἄσπετον
ἔρνος· ἀλλ' ἴτω Μάρων,
ἐπῳδ. πρασσέτω μαινόμενος,
ἐξελέτω βλέφαρον κτλ.

Non possum, quamvis nunc hoc non agam, facere, quin parodi quoque partem quandam quomodo putem componendam esse ostendam:

στρ. ψύττ', οὐ τάδ', οὐ σὺ τάδε νεμεῖ
οὐδ' αὖ κλιτὺν δροσεράν,
μηλοβότα στασίωρον
Κύκλωπος ἀγροβότα;
ὠὴ ῥίψω πέτρον τάχα σου,
ὕπαγ' ὦ, ὕπαγ' ὦ κεράστα;
ἀντιστρ. οὐ τάδε Βρόμιος, οὐ τάδε χοροὶ
Βάκχαι τε θυρσοφόροι,
οὐ τυπάνων ἀλαλαγμοὶ
κρήναις παρ' ὑδροχύτοις,
οὐκ οἴνου χλωραί τε σταγόνες,
οὐ Νῦσα τάδε μετὰ Νυμφᾶν.

pulvere repleti, totum corpus debile fractumque esse videtur; tum dorsi sui et scapularum et dentium, si verberibus concutiantur, miseret: valere igitur iubent fortitudinem; sed carmine Orphico se effecturos, ut sponte torris in cranium Cyclopis descendat, pollicentur, neque recusant, quominus in Care, ut aiunt, periculum facientes adhortando Ulyssem sociosque eius adiuvent. Itaque illis intus opus facientibus, hi foris succlamant *). Inter ipsum autem opus hos clamores tolli putandum est: nam si antea audirentur, timendum erat, ne, priusquam torris in cranium descendisset, Cyclops e somno excitaretur, quod ipsum cavens Ulysses paullo ante tacere satyros iussit, atque hi repente muti aerem faucibus deglutierunt. Ceterum haec ad movendum vehementius theatrum institui, ut sibi quisque spectatorum interesse certamini atque una periclitari videatur, planum est.

Prodit Cyclops excoecatus, torvum clamans turpique adspectu. Ante fores speluncae constitutus captat hospites, sed ludente eum choro nil proficit, nisi quod cranium rupibus impingit simulque ridetur, a Nemine (*Οὖτις*) se laesum esse affirmans. Ulysses autem, postquam cum sociis effugit, et verum suum nomen edit et Cyclopem cavillatur frustra frementem et sibi de ultione gratulatur, tum sine mora cum satyris nave conscensa in altum proficiscitur, Cyclope et longos illius errores praedicente et se navem revulso saxo comminuturum esse minitante.

Laocoontis et filiorum signa e marmore exsculpta cum Virgilii eandem rem exponentis versibus comparando Lessingius de fingendi artis et poeseos finibus disseruit utilis-

---

*) *στρ.* *ὦ ἰώ, ὦ ἰώ,*
ἰὼ γενναιότατοι,
ὠθεῖτε, σπεύδετε,
ἐκκαίετ' ὀφρὺν θη-
ρὸς τοῦ ξενοδαίτα.
ἀντιστρ. *τύφετ' ὦ, καίετ' ὦ*
τὸν Αἴτνας μηλονόμον,
τορνεύετ', ἕλκετε,
μηδ' ἐξοδυνηθεὶς
δράσῃ τι μάταιον.

sime. Vellem, aliquis satis acuto atque eleganti iudicio praeditus in naturam carminum, quibus agi finguntur res quibusque gestae narrantur, inquireret sic, ut pro exemplaribus propositis Cyclopis Rhesique fabulis et cum Homeri narratione comparatis, quid utrique generi deceret, ostenderet. Huius enim decoris ignoratione gravissime peccant nostri poetae, quorum si quis Cyclopis fabulam illustrandam sumsisset, non dubito, quin gravissimas partes arieti tribuisset agendas et apparatus scenici novitate quam ipsius carminis virtute theatrum capi tenerique maluisset; idem, quo magis scilicet sui ingenii vis plane singularis appareret, abiecisset quidquid boni Homerus suppeditaret et substituisset frigida, levia, mollia, inepta. Horum contrarium ab Euripide factum esse intelligis. De suo addidit satyros atque eo, quo in rebus inveniendis acumine semper excellit, et priores eorum casus et praesentes actiones cum rebus ab Homero traditis contexuit. Gratam iucundamque graecis hominibus personam satyrorum in fabulis fuisse adeo, ut genus dramatum peculiare nasceretur, quod satyricum appellaretur, vulgo notum est. Quamobrem operae pretium est quaerere, quidnam potissimum sequentes Graeci satyrorum mores atque ingenia ante oculos frequentius poni voluerint. Ostendit illorum persona, quanta sit naturae humanae, si nullo honestatis studio, nulla continentia cohibeatur, turpitudo. Nam quidquid agunt, cogitant, sentiunt ad libidines temere explendas spectat. Esse qui vel communis utilitatis tuendae vel pietatis vel laudis studio pericula adeat, qui vel suum commodum alieno vel praesentem voluptatem futurae saluti postponat, vix videtur iis verisimile. Iidem tamen ab improbitate, a saevitia, a ferocia, a crudelitate, a nefariis ac scelestis facinoribus alieni sunt, satisque amantes iustitiae, cum qua suam utilitatem una interire intelligant. Miseret eos Menelai, probissimi homuncionis, uxore per vim fraudemque privati, et indignam rem esse aiunt adulteria mulierum, quas quidem, nisi rebus venereis servirent, interire omnes cuperent. Quales sunt satyri, tales vulgo plerique essent homines, si nulla disciplina erudirentur neque ad meliorem consuetudinem docendo exercendoque traducerentur. Aut ignorant satyri

aut non curant mala, quae partim a diis immittuntur partim ab ipsis hominibus iniustitiae amantibus inferuntur, quibusque vita mortalium everteretur, nisi essent viri strenui, fortes, magnanimi, benigni, laudis honorisque studiosi, qui nullum laborem detrectent, nullum periculum horreant, dum punitis maleficis, sublatis malis, victis hostibus, salutem securitatemque et sibi et sociis et civibus et universo generi humano restituant. Itaque more eorum, qui legum beneficio tuti in civitatibus vitam desidiosam ventri Venerique dediti transigunt, securi hilaresque Bacchum sequuntur et nympharum Venerem venantur, nudi, protervi, ridentes seria, elevantes gravia, neque Aristophane minus dicaces facetique. Et hi quidem, quoniam vulgaribus hominibus similes sunt, ad chori personam in fabulis agendam apti sunt. Est autem aliud genus scelestorum hominum sive daemonum vel calliditate vel virium magnitudine supra vulgus eminentium et audacia heroas aemulantium, pronorum in scelera, et quanto studio hi mala defendendo salutem miseris restituunt, tanta libidine illi rapinis, fraudibus, caedibus, omnis denique generis iniuriis vexant obvios et infestant terras. Hi scelerati primam in satyricis fabulis personam agunt et fere certamine cum Hercule sive quo alio heroum inito de medio tolluntur. Repraesentatam spectas primam mortalium conditionem, qualis fuit ante leges inventas, iura constituta, conditas civitates, traditam firmatamque disciplinam. Vides ab altera parte satyros, inertia et lascivia insignes, turpia animalia; ab altera latrones, monstra licentia atque improbitate horribilia. Adde Hercules, Theseos aliosque eius generis heroes, qui vi armisque iniurias vindicant et ad puniendos maleficos, tollenda ferarum hominumque monstra, liberandas terroribus terras ac maria orbem peragrant, et verissime rerum humanarum statum, qualis fuit ante constituta iura conditamque disciplinam, qualisque legibus iacentibus aut eversis semper esse solet, sub oculos positum expressumque habebis. Poetarum beneficio silvestres homines a caedibus victuque fero deterriti sunt: nam fuit haec sapientia quondam,

„Publica privatis secernere, sacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno:
Sic honor et nomen divinis vatibus atque
Carminibus venit":

iidem iniquarum legum vinculis constrictos populos in libertatem vindicare solent, ad divinas leges, non scriptas, sed ingeneratas menti uniuscuiusque, a tyrannorum libidine provocare, ad rationem veritatemque ab opinionum erroribus traducere. Inde, quae fuerit satyricorum dramatum vis, aestimari potest *). Divinorum hominum virtus, dum naturae bonitate ad iusta, vera honestaque sequenda impelluntur, legibus facile caret, neque iidem, etiamsi quando vino vel voluptatibus liberius indulgeant, a recta via declinant. Huius generis fuit Bacchus, qui a Sileno educatus satyrisque stipatus orbem terrarum victor peragravit; item Hercules, qui terras et maria intra columnas, quae ab eo nomen traxerunt, sitas monstris atque latronibus purgavit, quotiescunque se remittebat atque a laboribus quiescebat, satyrorum festivorum lusus amabat: unde factum est, ut Hercules inter satyros convivans plerisque fabulis satyricis exhiberetur. In Cyclopis fabula Herculis partes Ulyssi delatae sunt, comissatio autem ab heroe ad latronem translata est.

Haec fere natura est et conditio satyricorum dramatum Euripidis; reliquorum poetarum opera ab huius non multum discrepasse mihi persuadeo. Legem enim natura ipsa scripserat, quam sequens ducem Schacisperius, graecarum fabularum ignarus, dramata illorum fabulis simillima composuit, in quibus Falistaffium cum sodalibus eius haud disparem Sileno satyrisque induxit, Dionysii autem vel Herculis partes Henrico regi detulit et ridiculas res per-

*) Dignum est quod hoc loco commemorem, neglectum a Welckero, drama Pherecratis satyricum misanthropi, qui iniustitiam hominum in civitatibus degentium perosi quum in solitudinem confugissent, in Eurybatum et Phrynondam, feros latrones, inciderunt, Scyllamque Charybdide multo saeviorem nacti civium humanitatem desiderarunt; cf. Plat. Protag. p. 327. D.

sonasque cum gravibus eadem ratione, qua graeci poetae, miscuit. Ceterum his adde quae de eadem re supra p. 230. disseruimus.

Ad Cyclopis fabulam redeo. Sunt satyri agrestes quidem ferique, sed non trivio concepti et educati stercore; sunt nudi, sed non foedi obscoenique, protervi, sed non flagitiosi, ut non sit mirandum, quod dii heroesque interdum eorum delectentur consuetudine. Verbis utuntur illi quidem minus splendidis, sed non plane tenuibus inornatisque. Itaque digni fuerunt, quibus etiam carmina quaedam graviora canenda deferrentur. Omnino autem incolumi gravitate iocum tentavit Euripides, et imprimis magna cum utilitate Cyclops animi sui sensa theatro exponit. Quem non pudeat impie cogitatorum spretorumque deorum, si eadem se atque Polyphemum sentire intelligat?

X.

De canticis Euripidis.

Aetas illa novandarum rerum mutandorumque institutorum priscorum studiosissima ne musicis quidem modis numerisque abstinuit. Exstitit enim quasi Anaxagoras quidam melicorum Timotheus, qui suum novandi studium his verbis praedicavit:

οὐκ ἀείδω τὰ παλαιά·
καινὰ γὰρ ἅμα κρείσσω.
νέος ὁ Ζεὺς βασιλεύει,
τὸ παλαιὸν δ' ἦν Κρόνος ἄρχων·
ἀπίτω μοῦσα παλαιά *).

Audiamus de hac re Plutarchum in libro, quem de musica scripsit exponentem. C. 6: „Omnino citharae cantus Ter-

*) Cf. Suidas: *τὴν δεκάτην καὶ ἑνδεκάτην χορδὴν προςέθηκε καὶ τὴν ἀρχαίαν μουσικὴν ἐπὶ τὸ μαλακώτερον μετήγαγεν· ἦν δὲ ἐπὶ τῶν Εὐριπίδου χρόνων τοῦ τραγικοῦ, καθ' οὓς καὶ Φίλιππος ὁ Μακεδὼν ἐβασίλευε κτλ.*

pandri ad Phrynidis usque aetatem tenuis simplexque fuit: neque enim olim pro sua cuique libidine, ut nunc, fidibus canere licebat, neque harmonias et numeros immutare, siquidem in modis (*νόμοις*) suam cuique retinebant intensionem, unde etiam nomen invenerunt, ut *νόμοι* dicerentur quasi leges, quod cuiusque intensionis receptam formam violare nefas erat." C. 18: „Antiqui non ideo, quod rudes essent reliquorum concentuum, usi sunt paucis, neque ignorantia iis caussa fuit angustiae chordarumque paucitatis, neque per inscitiam Olympus et Terpander et qui eos secuti sunt fidium frequentia varietateque caruerunt. Testantur enim poemata ipsorum, quae licet trium sint chordarum ac simplicia, tamen antecellunt variis istis multarumque chordarum poematis, ut Olympi genus canendi imitari nemo queat, et inferiores sint quicunque in frequentibus fidibus variisque figuris versantur." His adde Athen. XIV. p. 631. E. seq.: „Prioribus quidem saeculis in musicis quod esset decorum et honestum servabant, ornatus suus quibusque carminibus proprius tribuebatur. Quamobrem singulis concentibus (*ἁρμονίαις*) tibiae peculiares erant itemque singulis tibicinibus tibiae singulis concentibus aptae in ludis publicis. Nunc autem temere ac sine ratione musicam tractant. Et olim populari turbae probari signum erat corruptae artis, unde etiam Asopodorus Phliasius tibicine quodam magno applausu laudato, commorans ipse etiamtum in hyposcenio, „Quidnam hoc est?" inquit: „manifesto magnum malum accidit; nam alioquin non probaretur multitudini." Alii hoc ab Antigenide dictum esse tradunt. Contra nostris temporibus theatrorum favorem plaususque signum esse putant summae artis perfectionis." Rursus Plutarchus c. 15: „Veneranda," inquit, „est musica, quum sit deorum inventum, et reverenter usi sunt ea, sicut etiam reliquis studiis, antiqui. Nostri autem temporis homines, repudiata eius gravitate, pro virili illa et admiranda et diis grata enervem et garrulam in theatra inducunt: unde Plato in huiusmodi musicam stomachatur etc." c. 30. „Timotheus lyram, quae septem fides habuerat, in plures chordas disiecit. Sed et tibiae cantus, qui simplicior antea fuerat, in maiorem modorum varieta-

tem transiit. Quondam enim usque ad Melanippidem, dithyramborum poetam, solebant mercedem a poetis accipere tibicines, obtinente tunc priores partes poesi, ut essent eorum, qui fabulas docerent, tibicines ministri. Qui mos postea depravatus est *). Hinc Pherecrates comicus Musicam inducit muliebri cultu et corpore toto misere foedato, quae Iustitiae, caussam vexationis quaerenti, haec responderet: In primis mihi malorum auctor Melanippides fuit, qui me acceptam fecit remissiorem laxioremque chordarum usu duodecim. Cinesias vero scelestus incongruos (*ἐξαρμονίους*) anfractus efficiendo in strophis perdidit me ita, ut dithyramborum poeseos, quemadmodum in clypeis, sinistra iam videantur dextra esse. Tum Phrynis rotatione quadam soni propria iniecta, vertendo torquendoque me pessumdedit: in quinque enim chordis duodecim expressit harmonias. Tamen hic, quum emendaret peccata, quodammodo tolerabilis fuit. Timotheus vero, o carissima, totam obruit laceravitque turpissime. „Quis est iste Timotheus?" Pyrrhias quidam Milesius contumeliose me tractavit. Hic omnes, quos commemoravi, priores superavit invehendo monstrosam quandam vibrationem, tanquam formicarum scatebram **), et ubicunque mihi obviam fit soli ambulanti, solvit dissipatque duodecim chordis."

Fuerunt qui novatione Timothei indignarentur: qui quum in Carneorum festis apud Lacedaemonios caneret, accusatus est, quod multarum chordarum citharam invehendo veterem musicam corrumperet, atque unus ex ephoris, sumto cultello, paratus erat ad praecidendas fides supervacaneas, quum ille ostendendo Apollinis quandam imaginem in publico stantem, in cuius lyra par deprehenderetur fidium ordo numerusque, periculum effugit; cf. Athen. XIV. p. 636. E.

---

*) Iam Pratinas poeta apud Athenaeum XIV. p. 617. C. conquestus est, quod non tibicines, ut erat patrius mos, choris, sed chori tibicinibus accinerent (*τοὺς αὐλητὰς μὴ συναυλεῖν τοῖς χοροῖς, ἀλλὰ τοὺς χοροὺς συνᾴδειν τοῖς αὐληταῖς*).

**) Cf. Aristoph. Thesm. v. 100: *μύρμηκος ἀτραπούς, ἢ τί διαμινύρεται;*

Plutarch. Lacon. apophth. p. 142. Eundem, quum ab Atheniensium theatro exploderetur, confirmatum esse ab Euripide aiunt, ostendente brevi tempore se in theatris regnaturum (Plutarch. an seni sit ger. resp. p. 385. ed. Bas.). Ab hoc igitur viro, artis musicae sive perfectore sive corruptore, quum nostro per totum tempus, quo in theatris floruit, familiariter usus esse videatur eundemque in Macedoniam decedentem secutus sit, fabularum illius vel omnium vel certe plurimarum modos factos esse suspicari licet. Huius igitur tibiae, quas barba prolixa praeditus inflare solebat (Athen. XIII. p. 565. A.), „non simplices tenuesque foramine pauco adspirabant choris, sed orichalco iunctae, tubarumque aemulae, flatu sedilia nimis spissa complebant."

Novum autem illud musicae genus, cuius auctores fuerunt Philoxenus atque Timotheus, regnare in theatris nunquam desiit; antiquius illud, quo erant Pindarus et Simonides usi, solis templis aptum esse videbatur, et rarissime inventus est musicus, qui in eo vellet elaborare (Plut. c. 27. et 31.).

Mutato nomine de omnibus omnium eruditiorum gentium musicis haec fabula narrari videtur. Natura enim ipsa duce hanc viam Philoxenus ac Timotheus ingressi sunt, ut, quum superiores in variandis numeris maxime elaborassent, ipsi ad modorum varietatem augendam perpoliendamque se converterent. Hoc enim inter veterem et recentiorem artem intererat, quod illa numeros et pulsandi proprietates variaverat, haec modis harmoniisque variandis operam dabat *). Quamobrem nos quidem omittamus Platonem cum republica imaginaria et quicunque huius somnia impensius, quam veritatem et Atheniensium populi sincerissimum iudicium, admirati sunt; ignoscamus querelis eorum, qui, utilitatem magis quam delectationem in musica

*) Plut. c. 21: *τῇ γὰρ περὶ τὰς ῥυθμοποιίας ποικιλίᾳ οὔσῃ ποικιλωτέρᾳ ἐχρήσαντο οἱ παλαιοί· ἐτίμων γοῦν τὴν ῥυθμικὴν ποικιλίαν καὶ τὰ περὶ τὰς κρουματικὰς δὲ διαλέκτους τότε ποικιλώτερα ἦν· οἱ μὲν γὰρ νῦν φιλομαθεῖς, οἱ δὲ τότε φιλόῤῥυθμοι.*

arte quaerentes, veterem magis, quam recentiorem, idoneam disciplinae fuisse iudicaverunt, neve comicorum poetarum criminationes pluris, quam ipsi voluerunt, faciamus: et revera artem a Timotheo correctam, perfectam absolutamque esse intelligamus; amplectamur cum Euripide genus modorum venustius, quod morosiores quidem enerve, fractum garrulumque appellaverunt, sed qui libero iudicio aestimarunt, vim eius experti, contrariae naturae fuisse testantur. Cf. Suidam s. v. Timotheus: „Tradunt Alexandrum musicis audiendis delectatum esse: Timotheo enim tibicine aliquando Minervae *τὸν ὄρθιον νόμον* cantante adeo illum permotum esse, ut inter audiendum ad arma concitaretur diceretque, regium esse oportere talem tibiarum cantum. Hic igitur Timotheus, studiose accitus, in Persiam ad illum profectus est."

Iam quaerendum est, ad quodnam maxime carminum genus, quibus utebatur tragoedia, illae novationes pertinuerint. Non ad choros, sed ad cantica sive monodias eas pertinuisse ex problematum, quae Aristotelis esse feruntur, sect. XIX. §. 15. intelligitur: „Cur genus cantilenae, quod *νόμος* vocatur, non utebatur antistrophis, cum tamen reliqua carmina, quae chorica sunt, iis uterentur? An quod *νόμοι* certatorum sive agonistarum erant, qui quum iam imitari et contendere possent, carmen fiebat prolixum et varium, itemque ut verba ita etiam moduli imitationi obsecundabant, alii atque alii facti? Nam magis etiam modulis necesse est, quam verbis, imitari. Quamobrem etiam dithyrambi, ex quo tempore imitationi studere coeperunt, non utuntur amplius antistrophis, cum usi sint antea. Caussa est, quod olim ingenui homines ipsi choros agebant. Atqui catervam hominum certatorie canere difficile erat: unde factum est, ut modulos enarmonios cantarent. Mutationibus enim crebro uti (*μεταβάλλειν πολλὰς μεταβολὰς*) singulis facilius est, quam multis, itemque agonistae facilius, quam ei, qui mores conservat. Quamobrem simpliciores illis conficiebantur modi, antistrophus autem simplex est, quippe qui numerus sit atque unitate mensuretur. Haec eadem caussa est, cur scenica cantica non utuntur an-

tistrophis, chorica autem utuntur. Histrio enim simul certator est atque imitator, chorus autem minus imitatur"*). Verborum Aristotelis sensus quo facilius perspiciatur, explicandum esse puto, quinam nomi et qui dithyrambi dicti sint. Et nominis *νόμος* sensus duplex erat: altero latiore modum sive *ἁρμονίαν* (Weise, Melodie) significabat: nam *νόμος*, ex *νέμω* natum, vi primitiva quidquid certo ordine descriptum est designat, unde factum est, ut pro norma, more, lege poneretur. Et antiquioris musicae modi omnes stati definitique erant, ut *νόμοι* iustissime appellarentur**). Angustiore sensu certum quoddam carminum genus significabat, cuius auctor Apollo fuisse perhibebatur, sicut dithyramborum Bacchus. Testis est Proclus in Photii Bibl. c. CCXXXIX. p. 985: „Nomus quidem in Apollinem conscriptus est, a quo nomen accepit: Nomius enim Apollo appellatus est, quod, veteribus choros constituentibus et ad tibiam vel lyram nomon canentibus, Chrysothemis Cretensis primus stola usus insigni et accepta cithara, Apollinem imitatus, solus cecinit nomon: qui cum eo genere vehementer probatus esset, permansit hic mos certaminis." His confirmatur quod Aristoteles dicit, nomos certaminibus singulorum destinatos

*) Ibid. §. 30: „Cur neque subdorium neque subphrygium genus in choris tragoediae usurpatur? An quoniam antistropho carent, utpote quae scenica sint atque imitationi accommodata." Ibid. §. 6: „Cur declinatio (*παρακαταλογή*) in cantibus tragica est? An propter inaequalitatem? Movendo enim aptum (*παθητικόν*) est quod inaequale est et magnitudini calamitatis luctusque aptum. Aequalia autem minus flebilia sunt."

**) Plat. Legg. III. p. 700. A.: „Olim in species quasdam formasque descripta erat musica, eratque species cantus precatio deorum, quae hymnus vocabatur, cui contraria erat altera species, quos threnos recte dixeris, tertia paeanes, quarta Bacchi partus, ut opinor, qui dithyrambus appellabatur. Hanc ipsam autem descriptionem *νόμους* appellabant quasi leges, quod nomen esset altera cantus (*ᾠδῆς*) significatio. His statis definitisque formis itemque aliis similibus, non licebat alia ad aliam carminis speciem abuti."

fuisse. Pergit Proclus de nomo exponere sic: „Creditur autem Terpander primus nomon perfecisse heroico metro utendo*), deinde Arion Methymnaeus non parum auxisse, quum esset idem poeta et citharoedus. Phrynis autem Mitylenaeus novam rationem induxit: hexametrum enim cum soluto metro (*λελυμένῳ*) coniunxit et plus septem chordis usus est. Timotheus denique eum qui nunc est ordinem (*τάξιν*) induxit." His continuo Proclus de dithyrambo subiunxit haecce: „Dithyrambus incitatus multumque furoris cum saltatione ostendens, ad vehementiores affectus comparatus est, qui numini (Bacchi) maxime conveniunt. Et vehemens concitatusque est numeris et simpliciori utitur dictione. Nomos contra propter mores composito gradu ac magnifico incedens remissioribus est numeris et duplici utitur dictione (*διπλασίαις ταῖς λέξεσι κέχρηται*). Atque etiam harmoniis suis utrumque genus peculiaribus utitur: dithyrambus enim Phrygiam sibi et Hypophrygiam vindicat, nomos autem citharoedorum systemate, Lydio, temperatur. Videtur autem dithyrambus in rusticorum lusu et hilaritate inter pocula repertus esse, nomos autem a paeane fluxisse. Ille enim communior est, ad mala averruncanda conscriptus, hic proprie ad Apollinem pertinet. Unde nomos furibundi nihil habet, sicut dithyrambus. Ibi enim temulentia est et lusus, in nomo supplicationes et multus decor (*τάξις*): namque ipse quod attinet ad sonum (*κρουσμὸν*) ordine et composita ratione (*συστήματι κατεσταλμένῳ*) incedit." Ex his facile intelligitur nomon epicae poesi, dithyrambum dramaticae finitimum fuisse**). Traditur autem Xeno-

*) Plutarch. Mus. c. 5: *τὸν Τέρπανδρον, κιθαρῳδικῶν ποιητὴν ὄντα νόμων, κατὰ νόμον ἕκαστον τοῖς ἔπεσι τοῖς ἑαυτοῦ καὶ τοῖς Ὁμήρου μέλη προςτιθέντα ᾄδειν ἐν τοῖς ἀγῶσιν. Ἀποφῆναι δὲ τοῦτον ὀνόματα πρῶτον τοῖς κιθαρῳδικοῖς νόμοις. Ὁμοίως δὲ Τερπάνδρῳ Κλονᾶν τὸν πρῶτον συστησάμενον τοὺς αὐλῳδικοὺς νόμους καὶ τὰ προςόδια ἐλεγείων τε καὶ ἐπῶν ποιητὴν γεγονέναι.* Quater Pythia vicisse Terpander ferebatur, ibid. c. 4.

**) Plutarch. Mus. c, 4: *ὅτι δὲ οἱ κιθαρῳδικοὶ νόμοι οἱ πάλαι ἐξ ἐπῶν συνίσταντο, Τιμόθεος ἐδήλωσε κτλ.* Lyra autem

critus argumenta gestorum heroicorum tractasse, eaque argumenta dithyrambi appellati esse. Eiusdem generis est, quod Aristoteles l. l. narrativos (διηγηματικούς) prius quam imitativos dithyrambos fuisse innuit. Et tragoediam quoque, quam ex dithyrambo natam esse constat, a narrando aiunt ad imitandum processisse. Unde docere dithyrambum eodem modo, quo docere tragoediam dicebatur, et διθυραμβοποιοὶ iidem τραγῳδοδιδάσκαλοι appellabantur (schol. Aristoph. Plut. 290.).

Sed ut eo revertamur, unde profecti sumus: tria genera carminum, quae a singulis cantarentur, dicere et Aristoteles et reliqui videntur, nomos, dithyrambos et cantica sive monodias scenicas*), quae patientissima erant mutationum omnisque licentiae, qua in novanda musica usi sunt recentiores. Novatores autem illi dithyrambici poetae proprie appellabantur, et mixtum quoddam genus modulorum, quod vehementiorem ostenderet affectuum commotionem, dithyrambi recentiores fuisse videntur; cf. Dionys. Hal. Compos. c. 19. p. 131: „Dithyramborum auctores etiam concentus mutabant, quum Dorios, Phrygios et Lydios in eodem carmine efficerent, et melodias variabant, modo enarmonias efficiendo modo chromaticas modo diatonas, et in rhythmis quoque summa cum licentia versabantur. Philoxenum dico et Timotheum et Telestem et horum similes: nam apud antiquos quidem stata erat dithyrambi natura." Plat. Legg. III. p. 700. A.: „Miscent threnos hymnis et paeanas dithyrambis et tibiarum cantus fidium cantibus imitantur et cuncta in cuncta congerunt."

Huiusmodi dithyrambis maxime similia cantica scenica propter eandem animorum concitationem fuisse manifestum est. Tum threnorum numero monodias habitas esse ait Suidas (s. v. ἐπιεικῶς γὰρ πᾶσαι αἱ ἀπὸ σκηνῆς ᾠδαὶ ἐν τῇ τραγῳδίᾳ θρῆνοί εἰσιν) et commoñ quoque threnon appellatum esse tradit Tzetzes in Crameri Anecd. IV,

---

propria fuerat nomis, tibiae dithyrambis, antequam miscerentur.

*) Cantica cum choris iuncta habuisse dithyrambus non minus quam tragoedia videtur.

343*). Et apud Romanos quidem ternis hominibus cantica agebantur, a tibicine, qui tibiis, a puero, qui voce caneret, et ab histrione, qui gestum tacitus perageret **). Apud Graecos tibicen una cum actore sive histrione in pulpita prodire solebat, ut illi ad manum cantaret, teste Horatio Art. poet. 214:

„*Sic priscae motumque et luxuriem addidit arti*
Tibicen, traxitque vagus per pulpita vestem."

Idque Antigenidis exemplo confirmatur, de quo hoc scriptum reliquit Suidas: „Antigenides, Satyri filius, Thebanus musicus, tibicen Philoxeni. Hic calceis milesiis primus usus est, et in Comessatore (dramate sine dubio satyrico) crocotum pallium induit."

In choricis carminibus nunquam illam tibicinum licentiam probatam esse Aristoteles in poet. c. 26. §. 1. testatur: *δῆλον ὅτι ἡ ἅπαντα μιμουμένη (μίμησις) φορτική. Ὡς γὰρ οὐκ αἰσθανομένων, ἂν μὴ αὐτὸς προσθῇ, πολλὴν κίνησιν κινοῦνται, οἷον οἱ φαῦλοι αὐληταὶ, κυλιόμενοι, ἂν δίσκον δέῃ μιμεῖσθαι, καὶ ἕλκοντες τὸν κορυφαῖον, ἂν Σκύλλαν αὐλῶσιν.* Neque eadem, id quod in problematis scriptum est, locum dabant mutationibus variationibusque et imitationibus.

Ad cantica igitur sive monodias illas musicorum novationes maxime pertinuisse planum est. Et gloriatur Euripides apud Aristophanem (Ran. 945.) novum canticorum genus a se inductum esse, quum Cephisophonti, agonistae suo, morigeraretur:

εἶτ' ἀνέτρεφον (sc. *τὴν τραγῳδίαν*) *μονῳδίαις, Κηφισοφῶντα μιγνύς.*

Idem ei v. 849. ab Aeschylo exprobratur:

ὦ Κρητικὰς μὲν συλλέγων μονῳδίας,
γάμους δ' ἀνοσίους εἰςφέρων εἰς τὴν τέχνην.

Canticorum modos saepe mutari solitos esse ostendit

*) Olympi *θρηνητικοὺς νόμους*, quos Suidas s. v. *ξυναυλία* commemorat, cave cum nomis, qui proprie dicuntur, confundas.

**) Cf. G. A. B. Wolfium in progr., quod de canticis in Rom. fab. scen. scripsit, p. 10.

Donatus ad Eunuchum: „Cantica saepe mutatis modis exhibita sunt," itemque ad Adelph.: „Saepe mutatis per scenam modis cantica mutavit." Iisdem magnum apud multitudinem favorem fuisse in Donati libello de com. et trag. scriptum est: „Huiusmodi adeo carmina ad tibias fiebant, ut, his auditis, multi ex populo ante discerent, quam fabulam acturi scenici essent, quam omnino spectatoribus ipsis antecedens titulus pronuntiaretur." Cf. Cic. Academ. pr. 7, 20. Tibias, non fides, canticis apud Graecos quoque succinere solitas esse scriptum est in Aristot. Problem. XIX, 43. et 9.

Huius igitur generis cantica cum prologis, ut peculiaria Euripidis inventa, acerrime perstringit Aristophanes. Et proponit exemplum cantici sive threni Euripidei, quum faciat mulierculam pauperem, quae lanam nendo victum quaerat vitamque sustentet, de gallo suo gallinaceo, quem surripi viderit in somnis, admodum flebiliter lamentantem atque ingentem tragoediam excitantem: quod canticum et variatione numerorum et vocum iteratione, quae modorum gratia fiebat, insigne est.

Haec praemisi de Ionis fabula expositurus, quae tribus canticis praestantissimis distincta est, quorum canticorum unum, cui parodus adiunctus est, quoniam tranquilliorem animi statum declarat, stropharum normae adstrictum est, reliqua autem aequabili numerorum iteratione carent. Quo tempore hoc drama actum sit, ex satis manifestis indiciis coniicere licet, quae quidem statim explicaturus sum, ubi falsa, quae quidam suspicati sunt, antea refutavero.

Hoc enim Euripidem Ionem scribendo egisse putat G. Hermannus, ut Athenienses nunquam peregrinorum regum imperio paruisse, nunquam ab alienigenis victos esse defenderet. Nam quod O. Müllerus monuerit, eximia arte ita esse fabulam a poeta comparatam, ut Ion non peregrinus, sed genuinus Erechthida videretur, id adeo apertum esse, ut mirum sit non omnibus statim, qui eam tragoediam legerent, in mentem venisse. Nam non solum inventionem fabulae totam ad eum finem spectare, sed etiam aliquot locis tam cupide gloriam Erechthidarum extolli vel odium prodi advenarum, ut suspicari liceat sopitam Ioni-

cae invasionis famam eo tempore, quo scripta sit haec tragoedia, denuo excitatam fuisse, exortis qui victos ab alienigenis Athenienses peregrinorum regum dominationem subisse iactarent. Scilicet otiosi semper per illa tempora erant Athenienses, nihil magnarum rerum curabant, nullis malis laborabant. Itaque, ut fit, ad alienissimas, vilissimas, remotissimas res animos advertentes de stirpis suae incorrupta integritate quaerebant. Quam quaestionem explicari quum summi momenti esse duceret Euripides, commentus est rationem sane artificiosam, qua probata cives meros se autochthones esse crederent confidentius. Ea vero cura digna tanto fuit populo tantoque poeta! Accedit, ut fructus ex ea inquisitione nasci potuerint amplissimi: nam certissime Sicilienses, si veros sincerosque Iones Athenienses esse demonstratum esset, quum eiusdem stirpis partem civitatum Sicilicarum esse meminissent, vehementi studio amicitiam illorum amplecti necesse erat. Quantum igitur in Euripide fuit, Sicilia potiri potuerunt Athenienses.

Sed serio rem agamus. Quo pertineant illa de genuinis spuriisque filiis dicta, cognitis iis, quae de spuriorum damnatione per Periclem facta deque eorundem restitutione Plutarchus in illius vita c. 37. scripsit, intelliges. Simillima fuit spurii Periclis filii atque Ionis conditio, atque omnino omnium spuriorum caussam cum Ionis caussa suscepisse Euripides videtur. Et reipublicae Atheniensium status, quem ostendit Plutarchus, ipse exprimitur his Euripidis verbis:

πενομένα γὰρ ἂν πόλις ἔχοι σκῆψιν
ξενικὸν εἰςβολάν

v. 721., quibus adde 591 seqq. 836 seqq. 1058 seqq. Haec cum legimus, nonne Athenienses ipsos disputantes de iure civitatis audire nobis videmur, quum gentis suae nobilitate superbientes spurios respuant? Eiusdem generis est, quod Ion, quo loco primum sermonem cum femina Atheniensi nobili conserit, nihil, quod ex ea quaerat, prius habet, quam originem gentis Atticae:

ἐκ γῆς πατρός σου πρόγονος ἔβλαστεν πατήρ; κτλ.
(v. 270.)

Et primo statim adspectu ex facie vultuque feminae generositatem cognoscit:

γενναιότης σοι, καὶ τρόπων τεκμήριον
τὸ σχῆμ' ἔχεις τόδ', ἥτις εἶ ποτ', ὦ γύναι (v. 240.),

eosdemque eius mores paedagogus praedicat (v. 735.), denique tribus Atheniensium veteres a Minerva ipsa nominatim laudantur; civitas autem *καθαρὰ πόλις* (v. 675.) appellatur, eademque ob invidiam eorum, qui minus honesto loco nati ad honores enitantur, plena timoris (*φόβου πλέα*, v. 603.). His cum turbae dissidiaque, quibus respublica exercebatur, significentur, tum familiarum perturbatio atque uxorum irae, quae aegre ferrent maritorum filios ex servis natos sibi obtrudi, vv. 1069 seqq. et 816 seqq. declarantur.

Inde, quo tempore haec fabula acta sit, non est difficile intellectu. Insunt autem alia non minus certa luculentaque signa, quibus tempus definiatur. Versibus 59—62. bellum cum Euboeae incolis feliciter gestum commemoratur:

ἦν ταῖς Ἀθήναις τοῖς τε Χαλκωδοντίδαις,
οἳ γῆν ἔχουσ' Εὐβοΐδα, πολέμιος κλύδων,

quo in bello quum operam utilissimam praebuisset Xuthus, Creusam pro praemio in matrimonium accepisse fingitur. Hoc quoque Periclis memoriae tributum est *). Et iam Boeckhius (de gr. trag. princ. p. 191.) non multo post Ol. 87, 4. (quo anno Pericles de vita decessit) hanc fabulam actam esse ex aliis quibusdam vestigiis cognovit. Cuius verba haec sunt: „Agi haec (parodum sc.) in porticu Delphica manifestum est e v. 184., ubi sunt *εὐκίονες αὐλαί*, et vidit hoc iam Tyrwhittus. Musgravius autem per prolepsin designatam hic putat eam stoam esse, quam devictis ad Rhium Lacedaemoniis a Phormione Ol. 87, 4.

---

*) Thuc. I, 114. et Plutarch. c. 22. 23: *Εὐθὺς οὖν ἐπὶ τοὺς ἀφεστῶτας τραπόμενος καὶ διαβὰς εἰς Εὔβοιαν πεντήκοντα ναυσὶ καὶ πεντακισχιλίοις ὁπλίταις κατεστρέψατο τὰς πόλεις. Καὶ Χαλκιδέων μὲν τοὺς ἱπποβότας λεγομένους πλούτῳ καὶ δόξῃ διαφέροντας ἐξέβαλεν, Ἑστιαεῖς δὲ πάντας ἀναστήσας ἐκ τῆς χώρας Ἀθηναίους μόνους κατῴκισε, τούτοις ἀπαραιτήτως χρησάμενος, ὅτι ναῦν Ἀττικὴν αἰχμάλωτον λαβόντες ἀπέκτειναν τοὺς ἄνδρας.*

(Thuc. II, 84. Diod. Sic. XII, 48.) Delphis Athenienses aedificarant ex praeda atque ornaverant (Paus. X, 11, 5.). Utrum Rhium sit, nihil interest; Molycricum intelligit Dodwellus Annal. Thucyd. p. 657. Quod si verum est, Ion acta erit non multum post Ol. 87, 4., et hoc non dissimile veri, praesertim quum v. 1592. praeter necessitatem promontorium Rhium commemoratum sit, quippe ut fausto gratoque nomine Athenienses delectarentur. Praeterea imagines sunt totae Atticae Atticoque donario maxime conveniunt, sive eas in tabula descriptas sive aulaeis intextas putes, quod potissimum placet Boettigero de fur. person. p. 14., nec mihi aliter." Accedit tertia temporis significatio ex versu dramatis 1584., quo Iones, qui Asiam incolunt, ex Ione oriundi et sanguinis propinquitate cum Atheniensibus iuncti, civitatis horum robur et incrementum esse praedicantur:

— — ὃ σθένος τῇ 'μῇ χθονὶ
δίδωσιν· ἀντίπορθμα δ' ἠπείροιν δυοῖν
πεδία κατοικήσουσιν, Ἀσιάδος τε γῆς
Εὐρωπίας τε.

Atqui Olympiade 88, 1. gravissimum periculum erat, ne Lesbii, qui ab Atheniensibus ad Peloponnesios desciverant, defectionem Ionum et Graecorum, qui Asiam incolebant, omnium traherent. Simul igitur hos necessitudinis, qua cum Atticis coniuncti essent, admonere voluit poeta simulque cives ad occupandos strenue hostes adhortari. Quamobrem hanc fabulam circa Ol. 88, 2. actam esse mediamque inter Hippolytum alterum (Ol. 87, 4.) et Hecubam (Ol. 88, 4.) fuisse coniicio. Nam etiam ad perficienda opera, quibus porticus decorata est, annuo minimum spatio opus fuit.

Eidem tetralogiae ut Inonem adscribam, et ratio temporum et natura argumenti movet. Ridetur enim Ino in Aristophanis Acharnensibus, quam fabulam Ol. 88, 3. doctam esse constat; nec multo ante hanc illa in theatro agi potuisse videtur. Nam quo tempore Medea Euripidis docta est (Ol. 87, 1.), nondum Inonem ab eodem compositam fuisse hi versus ostendunt, plane diversam ab huius dramatis argumento naturam fabulae respicientes:

μίαν δὴ κλύω, μίαν τῶν πάρος
γυναῖκ' ἐν φίλοις χέρα βαλεῖν τέκνοις,
Ἰνὼ μανεῖσαν ἐκ θεῶν, ὅθ' ἡ Διὸς
δάμαρ νιν ἐξέπεμψε δωμάτων ἄλη·
πιτνεῖ δ' ἁ τάλαιν' ἐς ἅλμαν φόνῳ
τέκνων δυςσεβεῖ,
ἀκτῆς ὑπερτείνασα ποντίας πόδα,
δυοῖν τε παίδοιν ξυνθανοῦσ' ἀπόλλυται.

Non alienos, sed proprios liberos ab Inone per insaniam interfectos esse dicit poeta, deinde corporibus mortuorum in manus sublatis miseram una cum ambobus in mare se praecipitasse, quemadmodum recte interpretatur scholiastes.

In Inone sine dubio de Athamantis genere, fratribus cognatisque expositum erat, quod in Ione negligi mirum esset, nisi priore tragoedia theatrum edoctum fuisse credere liceret.

Erechtheum una cum Ione in scenam delatum esse, id quod Musgravius suspicatus est, ex pluribus indiciis coniicio. Primum enim quaecunque de Erechtheo liberisque eius in Ione commemorantur, cum argumento illius dramatis congruunt, quod est fere certissimum societatis dramatum documentum *). Cf. v. 277 seqq. Deinde indigenas esse Atticos, non alienis ex terris variarum gentium quasi colluvie temere collectos, non minus cupide in hac tragoedia quam in Ione praedicatur:

ᾗ πρῶτα μὲν λεὼς οὐκ ἐπακτὸς ἄλλοθεν,
αὐτόχθονες δ' ἔφυμεν κτλ.

Insitivos filios specie quidem proprios esse, sed nunquam sensu amoris pietatisque iis, quos quisque ipse procreaverit, pares esse:

θετῶν δὲ παίδων ποῦ κράτος; τὰ φύντα γὰρ
κρείσσω νομίζειν τῶν δοκημάτων χρεών.

Vicissim in Ione ad Erechtheum Euripides respexisse videtur. Nam quo loco Ion Apollinem stupri a Creusa accusatum reprehendit, tanquam eiusdem criminis convictos Iovem et Neptunum vituperat:

σὺ καὶ Ποσειδῶν Ζεύς θ', ὃς οὐρανοῦ κρατεῖ,

*) Cf. Welck. p. 722.

quae notatio in Iove quidem, cuius plurima innotuerant stupra, minime miranda est, Neptunum autem non videtur poeta nominaturus fuisse, nisi paullo ante stuprum commemorasset, id quod in Erechthei prologo factum esse apparet. Ante ipsam pacem, quae Niciae appellabatur, Erechthei fabulam doctam esse ex iis, quae in huius vita Plutarchus (p. 529. c. 9.) narrat, coniicio: *ἐπόθουν τὸν ἀμίαντον καὶ ἀπόλεμον βίον, ἡδέως μὲν ᾀδόντων τὰ τοιαῦτα χορῶν ἀκούοντες·*

κείσθω δόρυ μοι μίτον ἀμφιπλέκειν
ἀράχναις κτλ.

Argumentum autem fabulae ipsum ea tempora significare videtur, quibus quotannis Peloponnesii in fines Atticae incursionem faciebant. In discrimine versari rempublicam; virtute, probitate, moderatione ad eam servandam opus esse; singulis, quod quisque habeat carissimum atque pretiosissimum, patriae condonandum esse; liberorum mortes forti animo et tranquillo ferendas, neque animos iuvenum, quum in bellum proficiscantur, lacrimis matrum molliendos esse, haec eiusque generis alia paene omnibus locis praecipiuntur. Euripidem ipsum sub persona latentem haec docere putes, et Periclem laudatione funebri eos, qui pro patria mortem occubuerint, prosequentem animosque lugentium confirmantem audire nobis videmur Praxitheae atque Erechthei orationes legentes. Licebat autem illo tempore sperare, bellum brevi tempore compositum iri, rediturum otium, fore, ut pacis artes musarumque studia interpellata in victrice civitate laetius uberiusque florerent:

δέλτων τ' ἀναπτύσσοιμι γῆρυν,
ἂν σοφοὶ κλέονται.

Neque ea spes frustrata esset Athenienses, si Periclis similes viri post obitum eius exstitissent, qui quae ille magno animo et patriae amantissimo inchoaverat, pari virtute ad exitum adducerent.

A. Ino.

Argumentum addito nomine fabulae Hyginus retulit c. 4.; idem hoc drama alio loco (c. 1.) sequutus est. Imitatus Euripidem Livius esse in cognomine fabula videtur.

Rerum statum, qui fuisse fingebatur ineunte dramate, his verbis exponit Hyginus. „Athamas (Aeoli filius), in Thessalia rex, cum Inonem uxorem (Cadmi filiam, Bacchi nutricem), ex qua duos filios [susceperat], perisse putaret, duxit nymphae (et Hypsaei) filiam Themistonem uxorem, ex qua geminos filios procreavit. Postea resciit Inonem in Parnasso esse bacchationisque caussa eo pervenisse. Misit qui eam adducerent; quam adductam celavit."

Prologum ab Inone actum esse coniicio. Pridem enim ex montibus ac solitudine, in qua multos annos, spelunca pro tecto utens, aetatem degerat, reducta et in domum Athamantis restituta erat, sed dissimulato vero nomine, ignota omnibus, matrimonio ab aliena femina occupato, quum ipsa famulorum numero haberetur, penatibus quidem communibus cum marito utebatur, ceterum neque tori genialis iure fruebatur, ad pellicis locum a matronae dignitate detrusa, neque liberorum suorum amorem curamque palam ostendere ei licebat, et servire aemulae cogebatur, quam intimo pectore oderat ac perdere haud iniuria cupiebat. Hic dolor praeteritorum malorum recordatione augebatur: sanitate enim mentis ab Iunone privata retentaque fuerat in locis incultis horridisque, feram vitam inter feras toleraverat, tempestatum iniuriis exposita, carens tum hominum consortio tum bonis omnibus, quae hominibus ab hominibus parantur. Haec tantorum malorum perpessio ipsa specie Inonis declarabatur: pallida enim conspiciebatur,

„*Refugere oculi; corpus macie extabuit,*
Lacrimae peredere humore exsangues genas."

Testatur Aristophanes et in Acharn. v. 434. *μεταξὺ τῶν Ἰνοῦς ῥακῶν* et in Vespis v. 1413: „*γυναικὶ θαψίνῃ, Ἰνοῖ κρεμαμένῃ πρὸς ποδῶν Εὐριπίδου.*" Ad quae scholiastae haec annotaverunt: *θαψίνῃ, ὠχρᾷ· τοιαύτη γὰρ ἡ θάψος, ὅπερ παρ' ἡμῖν χρυσόξυλον λέγεται. — παρὰ δὲ Εὐριπίδῃ γέγραπται ἡ Ἰνὼ κρεμαμένη καὶ ὠχρὰ ὑπὸ τῆς κακοπαθείας — εἰςήγαγε δὲ Εὐριπίδης τὴν Ἰνὼ ὠχρὰν ὑπὸ τῆς κακοπαθείας.* Male interpretati sunt verba *κρεμαμένῃ πρὸς ποδῶν Εὐριπίδου*, quibus Aristophanes fidem rei totius ab Euripidis auctoritate pendere (neque enim priorum poetarum quisquam talia de Inone

tradiderat) significat. Eorum, quae de vita fera et solitaria referebat, hoc exstat luculentissimum fragmentum:

κοίλοις ἐν ἄντροις ἄλυχνος, ὥςτε θὴρ μόνος.

Finito prooemio Athamantem ad Inonem prodisse ac de conditione eius deque lege, sub qua in domum restituta erat, cum ea collocutum esse ex fragmentis colligo. Coniugio Inonis priore magis quam praesenti Themistonis rex delectatus esse videtur: queritur enim, quod non liceat plures simul uxores ducere et capto morum experimento, si qua minus probetur, hanc dimittere:

νόμοι γυναικῶν οὐ καλῶς κεῖνται πέρι·
χρῆν γὰρ τὸν εὐτυχοῦνθ' ὅτι πλείστας ἔχειν
γυναῖκας, εἴπερ ἂν τροφὴ δόμοις παρῆν,
ὡς τὴν κακὴν μὲν ἐξέβαλλε δωμάτων,
τὴν δ' οὖσαν ἐσθλὴν ἡδέως ἐσώζετο.
νῦν δ' εἰς μίαν βλέπουσι, κίνδυνον μέγαν
ῥίπτοντες· οὐ γὰρ τῶν τρόπων πειρώμενοι
νύμφας ἐς οἴκους ἑρματίζονται βροτοί.

Dicit idem mirandum non esse, quod poenitentia coniugii multos subeat: genus enim a plerisque magis quam venustatem in ducendis uxoribus respici:

τὴν εὐγένειαν, κἂν ἄμορφος ᾖ γάμος,
τιμῶσι πολλοὶ πρὸς τέκνων χάριν λαβεῖν,
τό τ' ἀξίωμα μᾶλλον ἢ τὰ χρήματα.

Sic sentiens rectum esse aequumque ducit recepta priore uxore retinere alteram; timens autem, ne Themisto tori iura cum aemula communicari aegre ferat, de illius coniugio hanc celavit iterumque Inonem enixe rogat, ut contenta sit iis, quae impetraverit, neve pacem domus et concordiam turbare velit, id quod lubens Ino promittit:

ἐγὼ παρέξω λέκτρα σοι καλῶς ἔχειν,

probatque Athamas promissum:

δίκαιόν ἐστιν, οἷσι συγγηράσομαι *).

Iam rumor de inventa Inone civitatem pervaserat perque compita manabat: quo excitatae feminae, quae chori munere fungerentur **), ad regiam venisse videntur et

---

*) Fragm. inc. n. 52.

**) Hyginus: „quam captivam esse credebat."

cognoscendi cupidae ex Inone ipsa, numquid comperisset, sciscitatae esse. Pro fugitiva enim Athamas eam pridem adduxerat *), ut in illam minime omnium suspicio conveniret, ipsaque tam deformata erat luctu, ut a nemine agnosceretur. Inventam autem eam ab Athamante eadem esse ratione puto, qua narratur apud Germanos Genoveva. Venationi enim rex studebat, cui studio operam dans quum saepe diutius a domo abesset, alebat augebatque Themistonis suspicionem esse ei consuetudinem cum aemula, quam in Parnasso loco aliquo tuto servari rumor serpebat.

Post parodum rex cum uxore prodit; Inonem, ut miseram afflictamque, pietati Themistonis commendat. Miratur regina, quod perpetuo moerore Ino conficiatur; generosa eam stirpe ortam esse ex corporis forma, quamvis sit luctu situque corrupta, cognoscit; ingenuitatem vituperat: neque enim convenire libertatem orationis cum servitute et pannis vestium, sed esse mores fortunae accommodandos. Contra haec rex utilem ait dominis ingenuitatem magis quam adulationem ac dissimulationem esse servorum, neque egenos, si sint probi atque ingenui, respuendos esse: fidelem enim esse neminem posse, nisi qui quae sentiat libere fateatur:

τοιάνδε χρὴ γυναικὶ προςπολεῖν ἐᾶν,
ἥτις τὸ μὲν δίκαιον οὐ σιγήσεται,
τὰ δ' αἰσχρὰ μισεῖ καὶ κατ' ὀφθαλμοὺς ἐρεῖ **)
— — — — — —
ἐμοὶ γὰρ εἴη πτωχός, εἰ δὲ βούλεται,
πτωχοῦ κακίων, ὅςτις ὢν εὔνους ἐμοὶ
φόβον παρελθὼν τἀπὸ καρδίας ἐρεῖ.

Quamobrem ne sit maligna afflictae, sed ex copia largiter egenti impertiat, monet:

— — μὴ σκυθρωπὸς ἴσθ' ἄγαν
πρὸς τοὺς κακῶς πράσσοντας, ἄνθρωπος γεγῶσ'·
ἀμουσία τοι μηδ' ἐπ' οἰκτροῖσιν δάκρυ
στάζειν, κακὸν δὲ, χρημάτων ὄντων ἅλις,
φειδοῖ πονηρᾷ μηδέν' εὖ ποιεῖν βροτῶν ***).

*) Cf. fragm. 17.

**) Bergkii emendationes recepi.

***) Fragm. 14. et 15. in unum coniunxi et emendationem Welckeri (γεγῶσ' pro γεγώς) admisi.

His transactis venatum rex cum comitibus abit; Themisto autem statim fide et consilio captivae uti ad perficiendam rem gravem atrocemque constituit. Et primum quidem de iniuria viri conqueritur, quippe quem cum Inone, nuper inventa, clam consuetudinem habere audierit. Quamobrem ut et spem reditus aemulae et caussam fovendae eius marito eripiat, liberos eius de medio tollere constituit. De qua dramatis parte haec refert Hyginus: „Resciit Themisto eam inventam esse, sed quae esset nesciebat. Coepit velle filios eius necare. Rei consciam, quam captivam esse credebat, ipsam Inonem sumsit et dixit ei, ut filios suos candidis vestimentis operiret, Inonis filios nigris." Idemque altero loco: „Themisto, quod se Ino coniugio privasset, filios eius interficere voluit. Itaque in regia latuit clam, et occasionem nacta, cum putaret se inimicae natos interfecisse, suos imprudens occidit, a nutrice decepta, quod eis vestem perperam iniecerat." Locus dabatur colloquio eius generis, in quo maxime Euripidis ingenium vigebat, cum atrocitas rei, quae parabatur, horrorem iniiceret, ambiguitas autem dictorum atque ignoratio hominum, quorum res ageretur, misericordiam moveret, denique exspectatio, quorsum res evaderet, animos spectatorum suspensos teneret. De violato coniugio deque sua ulciscendi cupidine loquens haec dixit Themisto:

φειδώμεθ' ἀνδρῶν εὐγενῶν, φειδώμεθα,
κακοὺς δ' ἀποπτύωμεν, ὥςπερ ἄξιοι.

Nutricis munus officiumque mandatum Inoni ab Athamante erat eo consilio, ut et liberius et minore cum suspicione suos liberos curare et amorem ei significare liceret, quae res fraudi opportuna fuit. Necessario enim consilia Themisto cum nutrice communicabat auxiliumque servae expetebat. Stultam se fore dixit, si vellet aemulae liberos educare:

ἄφρων ἂν εἴην, εἰ τρέφοιν τὰ τῶν πέλας *).

---

*) Fragm. inc. 214. ex Etym. M. petitum, ubi annotata sunt haecce: *τρέφοιν*, ὡς *Εὐριπίδης — γίνεται οὕτως· ἔστι τρέφοιμι, τρέφοι, πλεονασμῷ τοῦ η ἀττικῶς τρεφοίης, τρε-*

Multoque id minus ferendum esse ideo, quod regni successio penes alienos prius, quam suos liberos, futura esset:

— — — τὸ δ' εὐγενὲς
πολλὴν δίδωσιν ἐλπίδ', ὡς ἄρξουσι γῆς.

Dissuadet Ino argumentis gravissimis verissimisque:

οὔ σοι παραινῶ, μηχανωμένη κακὰ
ἐχθροῖσι, σαυτῇ προςβαλεῖν ἀλάστορα *)
— — — — — —
κέκτησο δ' ὀρθῶς ἂν ἔχῃς ἄνευ ψόγου,
καὶ σμικρὰ σώζου τῇ δίκῃ ξυνοῦσ' ἀεί,
μηδ' ὡς κακὸς ναύκληρος, εὖ πράξας ποτέ,
ζητῶν τὰ πλείον', εἶτα πάντ' ἀπώλεσεν.
— — — — — —
ὁρᾷς, τυράννους διὰ μακρῶν ηὐξημένους
ὡς μικρὰ τὰ σφάλλοντα, καὶ μί' ἡμέρα
τὸν μὲν καθεῖλεν ὑψόθεν, τὸν δ' ἦρ' ἄνω·
ὑπόπτερος δ' ὁ πλοῦτος· οἷς γὰρ ἦν ποτε,
ἐξ ἐλπίδων πίπτοντας ὑπτίους ὁρῶ.

Optime haec monere Inoni conveniebat, ut quae eadem omnia in vita sua experta esset. Eadem quum monendo nihil profecisset, ad struendam fraudem se convertit, ut a suis ad Themistonis liberos caedem transferret. Simulans igitur se reginam in perpetrando facinore adiuvare, eam iussit in cubiculo liberorum, dum somnum caperent, delitescere. Qua in re quo facilius oculos omnium, qui essent in aedibus, fugeret, obstructis fenestris lucem arcendam esse censuit. Ne autem in tenebris erraret, se pullis quidem vestibus Inonis liberos, candidis autem Themistonis tecturam esse promisit. Probat consilium Themisto, et silentio fidelissimo rem ut perpetuo tegant non solum nutricem sed chorum quoque obsecrat:

ἴστω δὲ μηδεὶς ταῦθ', ἃ σιγᾶσθαι χρεών·
μικροῦ γὰρ ἐκ λαμπτῆρος Ἰδαῖον λέπας
πρήσειεν ἄν τις, καὶ πρὸς ἄνδρ' εἰπὼν ἕνα,
πύθοιντ' ἂν ἀστοὶ πάντες ὧν κρύπτειν χρεών.

φοίην, καὶ συγκοπῇ τοῦ ῆ. Videndum tamen, ne scribendum sit εἰ τρέφοιμι τῶν πέλας.

*) Fragm. inc. n. 250.

Quibus auditis Ino de moribus ingenioque suo verba facit sic, ut omnem dubitationem aemulae demat:

ἐπίσταμαι δὲ πάνθ' ὅσ' εὐγενῆ χρεών,
σιγᾶν θ' ὅπου χρὴ καὶ λέγειν ἵν' ἀσφαλές,
ὁρᾶν θ' ἃ δεῖ με κοὐχ ὁρᾶν ἃ μὴ πρέπει,
γαστρὸς κρατεῖν δέ· καὶ γὰρ ἐν κακοῖσιν οὖσ'
ἐλευθέροισιν ἐμπεπαίδευμαι τρόποις *).

Quae ambigue omnia dicta esse apparet. Cum deinde Themisto intro abisset, Ino haud obscuris verbis consilium suum aperuit. Tanquam iam parta victoria sibi gratulata est nunc demum in pristinum fortunae statum se restitui, nunc felicitatem, diu sopitam, quasi e somno suscitari:

εὕδουσα δ' Ἰνοῦς συμφορὰ πολὺν χρόνον
νῦν ὄμμ' ἐγείρει **).

Quibus dictis ad rem perficiendam in aedes se contulit.

Chorus opem deorum, ex quorum stirpe prognati sunt liberi, auxiliumque implorat, ut succurrant caedemque nefariam arceant.

Redit in scenam Ino, suos liberos vivos manu ducens, Themistonis autem interfectos in conspectu ponens simulque rem, quomodo gesta sit, exponens. Adfuit illa Themistoni caedem patranti; re peracta, hanc iussit continuo e cubiculo abire et curare, ut in famularum aliquam crimen cum spe fallendi conferretur. Tum celerrime suos liberos e cubiculo deduxit, ut, priusquam error cognosceretur, ultioni aemulae subtraheret. Quorum maiorem natu, Learchum, ad patrem se conferre et comitibus eius se adiungere iubet, neque prius domum redire, quam finita venatione pater revertatur. Alterum, Melicertem, tuto loco in vicinia abscondendum curat.

Interpositus est chorus, quo nefarii facinoris horror exprimeretur, quo clamore excitata Themisto accurrensque in corpora liberorum sua manu interfectorum incidit. Multum fuisse Euripidem in dolore matris ostendendo et

---

*) Cf. Schneidew. Conii. critt. p. 62. Quarto versu οὖσ' pro ὤν reposui; ceterum vide Valck. Diatr. p. 175.

**) Vulgo ἰδοῦσα pro εὕδουσα. Correxit Welckerus.

sponte intelligitur et ex epigrammate Anthol. Lat. ed. H. Meyer. n. 671. patet:

„Pallia nota fovet lacrimis decepta Themisto,
Pyramus, heu, lacrimis pallia nota fovet."

Quam chorus consolatus est hisce verbis:

ἄνασσα, πολλοῖς ἔστιν ἀνθρώποις κακά,
τοῖς δ' ἄρτι λήγει, τοῖς δὲ κίνδυνος μολεῖν·
κύκλος γὰρ αὑτὸς καρπίμοις τε γῆς φυτοῖς
θνητῶν τε γέννᾳ· τοῖς μὲν αὔξεται βίος,
τῶν δὲ φθίνει τε καὶ θερίζεται πάλιν.

— — — — — —

γίγνωσκε τἀνθρώπεια, μηδ' ὑπερμέτρως
ἄλγει· κακοῖς γὰρ οὐ σὺ πρόςκεισαι μόνη·
μήτ' εὐτυχοῦσα πᾶσαν ἡνίαν χάλα
κακῶς τε πράσσουσ' ἐλπίδος κεδνῆς ἔχου)*

— — — — — —

ἐν ἐλπίσιν χρὴ τοὺς σοφοὺς ἔχειν βίον.

His nihil movetur infelix, sed in domum reversa vitam laqueo abrumpit; mox corpus interfectae inter liberorum corpora a famulis componitur, choro interim lugente et singula, quae geruntur, verbis persequente. Haec dum mala deplorat chorus, felices praedicare potuit qui modestiam moderationemque colentes placida vita et tranquillo animo uterentur:

ἐγὼ δ' οὐδὲν πρεσβύτερον
νομίζω τᾶς σωφροσύνας,
*ἐπεὶ τοῖς ἀγαθοῖς ἀεὶ ξύνεστιν**).*

Deinde venandi studium regis praedicasse videtur, si modo Euripidem Livius imitatus est, de quo haec retulit Terentianus Maurus 1931:

Livius ille vetus Graio cognomine suae
Inserit Inoni versus, puto, tale docimen:
Praemisso heroo subiungit namque miuron,
Hymnum quando chorus festo canit ore Triviae.
„Sed iam purpureo suras include cothurno,
Balteus et revocet volucres in pectora sinus,

---

*) Fragm. 20. et 21. coniunxi.
**) Fragm. inc. 13.

Pressaque iam gravida crepitent tibi terga pharetra,
Dirige odorisequos ad certa cubilia canes."

Etiamsi enim tantae elegantiae versus in Livium minime cadunt, tamen de re ipsa non est quod dubitemus*). Efficacissimum enim erat ad misericordiam movendam venandi studium eo ipso tempore ab ignaris praedicari, quo illud liberis regis perniciosum fuit. Statim enim post hunc cantum corpus Learchi interfecti cum moestis lamentis ad aedes regias relatum simulque rem, quomodo evenisset, ab uno ex comitibus expositam, paullo post regem ipsum secutum esse necesse est. De quo eventu haec dicit Hyginus: „Athamas autem in venatione per insaniam Learchum, maiorem filium suum, interfecit." Obviam igitur currente filio, Athamas per insaniam ab Iunone immissam, cervum eum esse ratus, telo transfixit**). Vitulantem Athamantem atque exsultantem laetitia, cum insania etiamtunc teneretur, simili modo atque Agaven in scenam redisse ex Cicerone discimus haec in libro de harusp. resp. c. 18. referente: „Non sunt illi eiulatus et gemitus Philoctetae tam miseri, quamquam sunt acerbi, quam illa exsultatio Athamantis et quam somnium matricidarum." Corpora mortuorum conspiciens, haec ipsa quoque sine dubio pro feris in venatu interfectis habuit et filii, quem cervum esse putabat, funus reliquis apponi iussit. Postremo in domum a satellitibus lugentibus deductus est, inde mox ad immensam calamitatem intuendam, sana mente recepta, rediturus.

Haec videntem Inonem ingens invasit dolor et factorum poenitentia:

φίλαι γυναῖκες, πῶς ἂν ἐξ ἀρχῆς δόμους
'Αθάμαντος οἰκήσαιμι, τῶν πεπραγμένων
δράσασα μηδέν· — — —
— — — — — —

*) Cf. Welck. p. 625.

**) Plutarch. δεισιδ. p. 167: ὁ Τειρεσίας ἐχρῆτο δυστυχίᾳ μὴ βλέπων τὰ τέκνα μηδὲ τοὺς συνήθεις, ὁ δὲ 'Αθάμας μείζονι καὶ ἡ 'Αγαύη, βλέποντες ὡς λέοντας καὶ ἐλάφους· καὶ τῷ 'Ηρακλεῖ δήπου μανέντι τοὺς υἱεῖς ἐλυσιτέλει μήτε ἰδεῖν μήτε αἰσθέσθαι παρόντας κτλ.

ὦ θνητὰ πράγματ', ὦ γυναικεῖαι φρένες,
ὅσον νόσημα τὴν Κύπριν κεκτήμεθα.
φεῦ,
ὅσῳ τὸ θῆλυ δυστυχέστερον γένος
πέφυκεν ἀνδρῶν· ἔν τε τοῖσι γὰρ καλοῖς
πολλῷ λέλειπται, κἀπὶ τοῖς αἰσχροῖς πλέον·
— — — — — —
τίς ἆρα μήτηρ ἢ πατὴρ κακὸν μέγα
βροτοῖς ἔφυσε τὸν δυςώνυμον φθόνον;
ποῦ καί ποτ' οἰκεῖ σώματος λαχὼν μέρος;
ἐν χερσὶν ἢ σπλάγχνοισιν ἢ παρ' ὄμματα
ἔσθ' ἧμιν; ὡς ἦν μόχθος ἰατροῖς μέγας,
τομαῖς ἀφαιρεῖν ἢ ποτοῖς ἢ φαρμάκοις
πασῶν μεγίστην τῶν ἐν ἀνθρώποις νόσων.

Negat se tam obfirmato animo tamque audaci esse, ut tanto facinore commisso adspectum viri tolerare et simulatione innocentiae scelus tegere possit:

πολλοί γε θνητῶν τῷ θράσει τὰς συμφορὰς
ζητοῦσ' ἀμαυροῦν κἀποκρύπτεσθαι κακά.

Optat, ut aut in terrae altissimis speluncis aut in profundo mari se abscondere possit; postremo furore divinitus immisso bacchatur et sublato in manus filio ad maris littora se proripit, in undas corpus ex rupe quadam demissura *). Reversus in scenam Athamas atrocia mala sua manu effecta, atrociora uxorum aemulatione perpetrata cognoscit et deletam prolem totamque domum funditus eversam esse intelligit **). Simul enim interfectorum corporibus conspectis de mutuis uxorum insidiis a choro docetur, simulque nuntius a promontorio veniens de Inonis morte eum certiorem facit:

---

*) Schol. Aristoph. Vesp. 1413: *Ἰνὼ δὲ κατὰ χόλον Ἥρας μανεῖσα ἔῤῥιψεν αὐτὴν εἰς θάλασσαν ἅμα τῷ υἱῷ αὐτῆς, Μελικέρτῃ. Ἐμίσει γὰρ πάντας τοὺς Θηβαίους ἡ Ἥρα, διότι παρ' αὐτοῖς ἐτέχθη ὁ Διόνυσος.*

**) Grammaticus quidam in biblioth. litterarum antiquarum studiorumque classic. 7. p. 5: *τινὲς οἶκοι ἀνάστατοι διὰ γυναῖκας ἐγένοντο — — ὁ Ἀθάμας διὰ τὴν Θεμιστοῦς τῆς Ὑψέως ἐπιγαμίαν.*

„*Seque in alta maria praecipem dedit*
Impos, aegra sanitatis herois."

Recens animi tumor lyricis modis exprimendus fuit, una lugente et lamentante choro. Inde ad trimetros transitum est, quorum hoc exstat fragmentum:

βίᾳ νῦν ἕλκετ', ὦ κακοί, τιμάς, βροτοί,
καὶ κτᾶσθε πλοῦτον, πάντοθεν θηρώμενοι,
σύμμικτα, μὴ δίκαια καὶ δίκαι' ὁμοῦ·
ἔπειτ' ἀμᾶσθε τῶνδε δύστηνον θέρος*).

Sic ubique, postquam vehementia doloris paullulum sedari coepit, sententiosa utuntur oratione personae Euripidis. Finem autem luctui imposuit Bacchus. Et primum quidem Inonem cum Melicerte in deos mutatos esse aperuit, teste Hygino („at Ino cum minore filio Melicerte in mare se deiecit et dea est facta" **)), cuius verba fragmentis confirmantur:

πόντου πλάνητες Λευκοθέαν ἐπώνυμον
— — — — — —
σεμνὸς Παλαίμων ναυτίλοις κεκλήσεται.

Deinde Athamantem, ut parricidio maculatum, exsulare iussit, praedicens eum conditorem fore Athamantiae***) et per reliquam vitam felicitate usurum.

Uni actori duas personas Athamantis Inonisque agendas fuisse docet Lucianus de salt. c. 67: τὸ γοῦν παραδοξότατον, τῆς αὐτῆς ἡμέρας ἄρτι μὲν Ἀθάμας μεμηνώς, ἄρτι δὲ Ἰνὼ φοβουμένη δείκνυται κτλ. καὶ πάντα ταῦτα εἷς ἄνθρωπός ἐστι. Id in hoc dramate fieri potuit, si ab aliis actoribus saltationes, ab aliis colloquia exhibita sunt.

Praestantissimarum numero tragoediarum hanc fabulam habitam esse omnia testantur, neque eam indignam tanto honore fuisse vel hodie ex reliquiis aestimare licet. Nil

---

*) τῶνδε non est *horum facinorum*, sed *harum mulierum*.

**) Conferendus etiam finis secundi capitis: „Athamas postea ab Iove insania obiecta Learchum filium interfecit. At Ino cum Melicerte, filio suo, in mare se praecipitavit. Quam *Liber* Leucotheam voluit appellari etc. Huic quinto quoque anno ludi gymnici fiunt, qui appellantur Ἴσθμια."

***) Schol. ad Apoll. Rhod. II, 516. Schol. ad Plat. Min. p. 212.

unquam vilium rerum vel obsoletarum, sed nitidissimas quasque et splendidissimas Aristophanem rosisse vel ex hoc exemplo intelligas. Horatius mores Inonis his verbis declaravit A. P. 123: „Sit flebilis Ino." Respexerunt praeter eos, quos supra nominavimus, ad hanc fabulam Aelianus Hist. an. III, 17., Plutarchus saepissime, Gellius XIII, 18., Philostratus Vit. Apoll. VII. 4., Philo et Io. Lydus (fragm. 22.), Athenagoras Leg. p. Christ. c. 26. Ex quibus testimoniis non tantum eruditis hoc drama familiare, sed etiam multitudini semper gratissimum fuisse patet.

Si idem argumentum Aeschylus et Sophocles tractaverunt (quamquam de hoc dubito: spoliato enim Euripide, huius supellectile illum instruxit Welckerus), plane diversa fuit illorum atque huius ratio, id quod ex ipsis fabularum nominibus intelligitur. Athamantis enim nomen illi tragoediis inscripserunt, in huius persona summum rerum momentum poni significantes. Proprium Euripidis fuit, quod Ino multos annos in obscura spelunca instar ferae vitam degisse fingebatur, proprium, quod duarum uxorum aemulatione domus evertebatur. Eam fabulae commutationem cave temere ab Euripide effectam esse credas: potuit enim haec quoque vulgo tradita accipere, neque quidquam impedit, quo minus Graecis idem de Inone, quod Germanis de Genoveva persuasum fuisse credamus.

Pestium, quibus familiarum salus evertatur, fingi nulla potest, quam non Euripides tragoediis illustraverit, unde factum est, ut mulierum osor et calumniator esse putaretur, quarum ex moribus salus familiarum potissimum pendet. Idem igitur, qui in Meleagri fabula mulierem exhibuit muliebria contemnentem et virorum opera tractantem ob eamque rem connubiorum iuga fastidientem (cuius generis nostra aetas plurimas protulit), in Inonis fabula virum unum duarum uxorum coniugium expetentem induxit et utramque rem in perniciem familiarum vertere ostendit. Sic poeta, quo nemo dramata delectandis movendisque animis aptiora temperavit, idem docendis hominibus maxime omnium idoneus fuit.

B. Erechtheus.

Huius dramatis argumentum tres auctores servarunt, Lycurgus in orat. Leocr. c. 24. p. 202 seq., Apollodorus III, 15, 4. et Hyginus c. 46. atque 238., quibus accedunt Demaratus ap. Stob. XXXIX, 33. et Pseudo-Plutarchus Parall. p. 310. D. Imitatus erat Ennius. Fragmenta exstant praeter duo ampliora complura alia satis luculenta.

Prologi materiam accuratissime exponit Apollodorus: „Chione cum Neptuno concumbit: quae cum clam patre Eumolpum peperisset, ne res palam fieret, in mare abiicit infantulum. Sed Neptunus exceptum in Aethiopiam transfert et Benthesicymae, filiae suae, educandum commendat atque Amphitritae. Quum adolevisset, Benthesicymes coniux alteram ei filiarum uxorem dedit. Qui sorori quoque uxoris vim inferre conatus est. Quamobrem exsilio mulctatus, cum Ismaro filio ad Tegyrium, Thraciae regem, se contulit, qui filiam ei suam in matrimonium collocavit. Postea quum Tegyrio insidias struens deprehensus esset, ad Eleusinios confugit et cum iis iunxit amicitiam. Rursus autem Ismaro filio mortuo revocatus a Tegyrio in Thraciam rediit atque soluta inter eos discordia regnum accepit. Mox conflato inter Athenienses atque Eleusinios bello, accitus ab Eleusiniis magno cum Thracum exercitu auxilio venit." Haec omnia fuse lateque exposita fuisse fragmenta ostendunt:

Αἰθιοπίαν νιν ἐξέσωσ' ἐπὶ χθόνα *).

Gentes barbaras, quae Atticam inundaturae essent, recensens Erechtheus boreales, remotissimas a mari, terras animo lustrabat:

τοὐνθένδ' ἀπίχθυς βαρβάρους οἰκεῖν δοκῶ.

Simul de ira, quam Neptunus concepisset victus certamine, quum de possessione terrae cum Minerva contenderet, deque exercitus magnitudine **), quo Atticam filius

*) Vulgo vitiatis numeris *ἐξέσωσας*; cf. Bergk. ap. Welck. p. 1598.

**) Non levius illud bellum Persico fuisse ait Isocrates Paneg. §. 19. p. 54.

eius recuperare conaretur *), edocuit. Nuper rex ex oraculo redierat, quum ad deum consulendum ipse Delphos profectus esset, teste Lycurgo: *μεγάλου δὲ στρατοπέδου μέλλοντος αὐτοῖς εἰςβάλλειν εἰς τὴν χώραν, εἰς Δελφοὺς ἰὼν ἠρώτα τὸν θεὸν, τί ποιῶν ἂν νίκην λάβοι παρὰ τῶν πολεμίων. Χρήσαντος δὲ αὐτῷ τοῦ θεοῦ, τὴν θυγατέρα εἰ θύσειε πρὸ τοῦ συμβαλεῖν τὼ στρατοπέδω, κρατήσειν τῶν πολεμίων, ὁ δὲ τῷ θεῷ πειθόμενος τοῦτ' ἔπραξε καὶ τοὺς ἐπιστρατευομένους ἐκ τῆς χώρας ἐξέβαλε.* Non solum Delphos, sed Dodonam quoque adierat, id quod cognoscitur ex fragm. 1., quo illius oraculi sacerdotes describuntur:

— — — *ἐν ἀστρώτῳ πέδῳ*
εὕδουσι, πηγαῖς δ' οὐχ ὑδραίνουσιν πόδας.

Eodemque fragm. 2. pertinet *δρυὸς μίασμα*, quo ad Thebanorum quoddam impie factum Euripides respexisse putatur: sacerdotem enim templi accusatam stupri in lebetem fervida aqua repletum coniecerant. Ceterum de genere suo et maioribus non minus plene, quam de Eumolpi vita, exposuit. Documento sunt quae Eratosth. Cataster. 13. refert: *λέγει δὲ καὶ Εὐριπίδης περὶ τῆς γενέσεως αὐτοῦ (Ἐριχθονίου) τὸν τρόπον τοῦτον· Ἥφαιστον ἐρασθέντα Ἀθηνᾶς βούλεσθαι αὐτῇ μιγῆναι· τῆς δὲ ἀποστρεφομένης καὶ τὴν παρθενίαν μᾶλλον αἱρουμένης, ἔν τινι τόπῳ τῆς Ἀττικῆς κρύπτεσθαι, ὃν λέγουσι καὶ ἀπ' ἐκείνου προςαγορευθῆναι Ἡφαιστεῖον· οὗ* (vulgo *ὃς*) *δόξας αὐτῆς κρατήσειν καὶ ἐπιθέμενος, πληγεὶς ὑπ' αὐτῆς τῷ δόρατι, ἀφῆκε τὴν ἐπιθυμίαν, φερομένης εἰς τὴν γῆν τῆς σπορᾶς.* Exposito oraculi responso simul voluntatem immolandae filiae declaravit:

φιλῶ τέκν', ἀλλὰ πατρίδ' ἐμὴν μᾶλλον φιλῶ.

His explanatis rex ad inspiciendas copias obeundaque imperatoris officia, appropinquantibus hostibus, in castra aut ad portas et moenia se confert. Prodit chorus senum

---

*) Hygin. c. 46: „quod patris sui terram Atticam fuisse diceret." Lycurgus: *τῆς χώρας ταύτης ἀμφισβητοῦντα.*

supra aetatem militarem provectorum, quorum carmine hostium vis et ferocia describitur:

„*Arma rigent, horrescunt tela.*"

Redit in scenam Erechtheus, quem paullo post praeco ab hostibus missus convenit. Cuius audita oratione, rex primum quidem improbitatis Eleusinios accusat: impie enim facere quicunque Graeci contra Graecos, sacrorum communitate iuncti, arma ferant: quem locum in Lysistratae fabulam Aristophanes transtulit (v. 1131.):

— — — οἳ μιᾶς γε χέρνιβος
βωμοὺς περιῤῥαίνοντες, ὥςπερ ξυγγενεῖς,
Ὀλυμπίασιν, ἐν Πύλαις, Πυθοῖ (πόσους*)
εἴποιμ' ἂν ἄλλους, εἴ με μηκύνειν δέοι;),
ἐχθρῶν παρόντων βαρβάρων στρατεύμασιν,
Ἕλληνας ἄνδρας καὶ πόλεις ἀπόλλυτε.
εἷς μὲν λόγος μοι δεῦρ' ἀεὶ περαίνεται**).

Deinde iniustam quoque hostium caussam esse ostendit et propter eam iniustitiam illos inferiores fore sperat:

τὰς οὐσίας γὰρ μᾶλλον ἢ τὰς ἁρπαγὰς
τιμᾶν δίκαιον· οὔτε γὰρ πλοῦτός ποτε
βέβαιος ἄδικος — — —
κοὐδεὶς στρατεύσας ἄδικα σῶς ἦλθεν πάλιν***).
σὺν τοῖς θεοῖσι τοὺς σοφοὺς κινεῖν δόρυ
στρατηλάτας χρή, τῶν θεῶν δὲ μὴ βίᾳ.

Altercationis, quae subiungi contentionibus solebat, hoc exstat fragmentum:

ΕΡΕΧΘΕΥΣ.

ὀλίγους ἐπαινῶ μᾶλλον ἢ πολλοὺς κακούς.

ΚΗΡΥΞ.

ναῦς δ' ἡ μεγίστη κρεῖσσον ἢ σμικρὸν σκάφος.

Clausulam huius colloquii pono sententiam, qua Erechtheus, dulce et decorum esse pro patria occumbere, effatus sit:

---

*) Schol.: ὅλος ὁ ἴαμβος λέλεκται ἐξ Ἐρεχθέως; cf. Welck. p. 1598.

**) Hunc quoque versum ex Euripidis fabula decerptum esse gramm. quidam in Bachmanni Anecd. I. p. 191, 27. testatur.

***) *Κοὐδείς* pro *οὐδείς* reposui. Ceterum cum his componas quae Horatius dixit Od. III, 4, 65.

— ἐγὼ δὲ τοὺς καλῶς τεθνηκότας
ζῆν φημι μᾶλλον τοῦ βλέπειν τοὺς μὴ καλῶς.
„*Vivam an moriar, nulla in me est metus**)."

His dictis ad milites ipse se confert, adhortando, blande alloquendo, diligenter obeundo, fideliter administrando et animos confirmaturus et conatus hostium occupaturus:

μισῶ δ', ὅταν τις καὶ χθονὸς στρατηλάτης
μὴ πᾶσι πάντων προςφέρῃ μειλίγματα.

Locus fit alteri chori carmini, quo desiderium pacis pulsis hostibus senes declarant:

κείσθω δόρυ μοι μίτον ἀμφιπλέκειν
ἀράχναις, μετὰ δ' ἡσυχίας πολιῷ
γήρᾳ συνοικοίην·
ἀείδοιμι δὲ στεφάνοις κάρα
πολιὸν στεφανώσας,
Θρῄκιον πέλταν πρὸς Ἀθανᾶς
περικίοσιν ἀγκρεμάσας θαλάμοις,
δέλτων τ' ἀναπτύσσοιμι γῆρυν,
ἂν σοφοὶ κλέονται
— — — —
Ἀσιάδος κιθάρας κρούματα**).

Disposito in moenibus et ad portas exercitu, quum, priusquam pugna committeretur***), victima ea, quam iusserat oraculum, caedenda esset, rex ad aedes reversus filiam sub ficto quodam praetextu arcessit et reliqua, quibus ad sacra facienda opus est, ignara coniuge per famulos apparat. Miratur virgo se in castra, in medium virorum armatorum coetum, in militum turbam inconditam proficisci iuberi. Sciscitanti ambigua respondet pater sic, ut sensus pietatis cum patriae amore pugnans declaretur. Virgo autem generoso obsequio, quod vera rectaque esse quaecunque pater iubeat sibi persuasit, sacris ante

---

*) Ennii fragm. inc. 45.

**) Etym. M.: Ἀσιάδος κρούματα τῆς κιθάρας· οὕτως Ἀριστοφάνης εἶπε, παρῳδῶν τὸ ἐξ Ἐρεχθέως Εὐριπίδου· ἡ τρίχορδος κιθάρα οὕτω καλεῖται.

***) Cf. Lycurgi verba, quae supra posuimus, tum Apollodorum et Pseudoplutarchum locis laudatis.

proelium faciendis interesse patrisque dicto obediens esse non recusat. Verecundiam virginis his verbis pater improbavit:

αἰδοῦς δὲ καὐτὸς δυςκρίτως ἔχω πέρι·
καὶ δεῖ γὰρ αὐτῆς κἄστιν οὗ κακὸν μέγα.

Singularis fuit Euripidis vis in componendis talibus colloquiis, quae ambiguitate dictorum animos ferirent; praeterea haec caussa ad movendam miserationem admirationemque aptissima erat, ut interisse hanc dramatis partem magnopere dolendum sit.

Profecta sub praesidio filia, quum reliquus sacrificiorum apparatus ex aedibus efferretur, mater ad rem novam animum advertit, et secreti aliquid agi suspicata, maritum adiens quaerit, quo consilio filias abducendas et placentas plurimas e domo efferendas curaverit, et quidnam genus sacrificii sine victima adornet:

καί μοι, πολὺν γὰρ πέλανον ἐκπέμπεις δόμων,
φράσον σελήνας τάςδε πυρίμου χλόης *).

Ingenue Erechtheus confessus esse videtur quae celari non poterant **), velle se sua aerumna civibus suis salutem parare, sua miseria ab illis servitutem depellere:

„*Quibus nunc aerumna mea libertatem paro,*
Quibus servitutem mea miseria deprecor."

Praxitheae orationem Lycurgus, ut exemplum generositatis civitate Atheniensium et filia Cephisi dignissimae, totam servavit:

τὰς χάριτας ὅςτις εὐγενῶς χαρίζεται,
ἥδιον ἐν βροτοῖσιν· οἳ δὲ δρῶσι μέν,
χρόνῳ δὲ δρῶσι, δρῶσι δυςγενέστερον.
ἐγὼ δὲ δώσω τὴν ἐμὴν παῖδα κτανεῖν.
λογίζομαι δὲ πολλά· πρῶτα μὲν πόλιν

---

*) Suidas: *αἱ δὲ σελῆναι πέμματά εἰσι πλατέα κυκλοτερῆ.* Vide eundem s. voc. *βοῦς ἕβδομος.*

**) Pseudoplutarchus l. l.: *Ἐρεχθεὺς πρὸς Εὔμολπον πολεμῶν ἔμαθε νικῆσαι, ἐὰν τὴν θυγατέρα προθύσῃ· καὶ συγκοινωνήσας τῇ γυναικὶ Πραξιθέᾳ προέθυσε τὴν παῖδα. Μέμνηται Εὐριπίδης ἐν Ἐρεχθεῖ.* Adde Demaratum ap. Stob. XXXIX, 33. Cf. Welck. p. 718. not. 3.

οὐκ ἂν τιν' ἄλλην τῆςδε βελτίω λάβοιμ' *),
ἧ πρῶτα μὲν λεὼς οὐκ ἐπακτὸς ἄλλοθεν,
αὐτόχθονες δ' ἔφυμεν· αἱ δ' ἄλλαι πόλεις,
πεσσῶν ὁμοίως διαφορηθεῖσαι βολαῖς,
ἄλλαι παρ' ἄλλων εἰσὶν εἰςαγώγιμοι.
ὅςτις δ' ἀπ' ἄλλης πόλεος οἰκίζει πόλιν,
ἁρμὸς πονηρὸς ὥςπερ ἐν ξύλῳ παγείς,
λόγῳ πολίτης ἐστί, τοῖς δ' ἔργοισιν οὔ.
ἔπειτα τέκνα τοῦδ' ἕκατι τίκτομεν,
ὡς θεῶν τε βωμοὺς πατρίδα τε ῥυώμεθα·
πόλεως δ' ἁπάσης τοὔνομ' ἕν, πολλοὶ δέ νιν
ναίουσι· τούτους πῶς διαφθεῖραί με χρή,
ἐξὸν πρὸ πάντων μίαν ὑπερδοῦναι θανεῖν;
εἴπερ γὰρ ἀριθμὸν οἶδα καὶ τοὐλάσσονος
τὸ μεῖζον, οὑμὸς οἶκος οὐ πλεῖον σθένει
πταίσας ἁπάσης πόλεος, οὐδ' ἴσον φέρει.
εἰ δ' ἦν ἐν οἴκοις ἀντὶ θηλέων στάχυς
ἄρσην, πόλιν δὲ πολεμία κατεῖχε φλόξ,
οὐκ ἄν νιν ἐξέπεμπον εἰς μάχην δορός,
θάνατον προταρβοῦσ'; ἀλλ' ἔμοιγ' εἴη τέκνα,
ἃ καὶ μάχοιτο καὶ μετ' ἀνδράσιν πρέποι,
μὴ σχήματ' ἄλλως ἐν πόλει πεφυκότα.
τὰ μητέρων δὲ δάκρυ', ὅταν πέμπῃ τέκνα,
πολλοὺς ἐθήλυν' εἰς μάχην ὁρμωμένους.
μισῶ γυναῖκας, αἵτινες πρὸ τοῦ καλοῦ
ζῆν παῖδας εἷλον καὶ παρῄνεσαν κακά.
καὶ μὴν θανόντες γ' ἐν μάχῃ πολλῶν μέτα
τύμβον τε κοινὸν ἔλαχον εὔκλειάν τ' ἴσην·
τῇ 'μῇ δὲ παιδὶ στέφανος εἷς μιᾷ μόνῃ
πόλεως θανούσῃ τῆςδ' ὕπερ δοθήσεται,
καὶ τὴν τεκοῦσαν καὶ σὲ δύο θ' ὁμοσπόρω
σώσει· τί τούτων οὐχὶ δέξασθαι καλόν;
τὴν οὐκ ἐμήν, πλὴν ἢ φύσει, δώσω κόρην **)
θῦσαι πρὸ γαίας· εἰ γὰρ αἱρεθήσεται
πόλις, τί παίδων τῶν ἐμῶν μέτεστί μοι;
οὔκουν ἅπαντα τοὐν ἐμοὶ σωθήσεται,

---

*) Vulgo λαβεῖν.
**) Vulgo τὴν οὐκ ἐμήν γε πλὴν φύσει.

ἄρξουσι δ' ἀλλ' οἷς τήνδ' ἐγὼ σώσω πόλιν);*
ἐκεῖνο δ' οὔ μοι πλεῖστον ἐν κοινῷ μέρος;
οὐκ ἔσθ', ἑκούσης τῆς ἐμῆς ψυχῆς, ἀνὴρ
προγόνων παλαιὰ θέσμι' ὅστις ἐκβαλεῖ,
οὐδ' ἀντ' ἐλάας χρυσέας τε Γοργόνος
τρίαιναν ὀρθὴν στᾶσαν ἐν πόλεως βάθροις
*Εὔμολπος οὔτε Θρᾷξ ἀναστέψει λεὼς**)*
στεφάνοισι, Παλλὰς δ' οὐδαμοῦ τιμήσεται.
χρῆσθ', ὦ πολῖται, τοῖς ἐμοῖς λοχεύμασιν,
σώζεσθε, νικᾶτ'. ἀντὶ γὰρ ψυχῆς μιᾶς
οὐκ ἔσθ' ὅπως οὐ τήνδ' ἐγὼ σώσω πόλιν.
ὦ πατρίς, εἴθε πάντες, οἳ ναίουσί σε,
οὕτω φιλοῖεν ὡς ἐγώ, καὶ ῥᾳδίως
οἰκοῖεν ἄν σε, κοὐδὲν ἂν πάσχοις κακόν.

Haec non solum probat rex, sed etiam in eandem sententiam plura disputat:

εἰ δὴ πάρεργον χρή τι κομπάσαι, γύναι,
οὐρανὸν ὑπὲρ γῆς ἔχομεν εὖ κεκραμένον,
ἵν' οὔτ' ἄγαν πῦρ οὔτε χεῖμα συμπίτνει·
ἃ δ' Ἑλλὰς Ἀσία τ' ἐκτρέφει κάλλιστ' ἀεί,
*χθονὸς δέλεαρ ἔχοντες οὐ θηρεύομεν***).*

In aciem profecto rege, dum victimae immolantur, chorus tertius cantatur, cuius materiam quum colloquio, quod antecessit, similem fuisse putem, haec incerta fragmenta (n. 88. et 215.) huc referenda esse censeo:

θάρσει μὲν οὐδεὶς οὐδέπω, πόνῳ δὲ καὶ
γενναιότητι κἀπιεικείᾳ
ἀρετὴν ἐπεκτήσατο
— — — — —
σὺν Ἀθηνᾷ καὶ χεῖρα κινεῖ.

Statim post hunc cantum nuntium redire oportuit, qui de immolatione Chthoniae et voluntaria sororum eius morte

---

*) Vulgo *ἄρξουσι δ' ἄλλοι τήνδ' κτλ.* Hoc dicit Praxithea: „Etiam si neque nos neque liberi nostri fructum percipiamus, certe regnum et principatum inter Graecos retinebunt ii, quibus illud virtute nostra paraverimus."

**) Vulgo *οὐδέ.*

***) Vulgo *τῆς γε δέλεαρ* pro *χθονὸς δέλεαρ.*

exponeret. De qua re haec refert Hyginus: „Erichtheus, Pandionis filius, habuit filias quattuor *), quae inter se coniurarunt, si una earum mortem obisset, ceterae se interficerent. In eo tempore Eumolpus, Neptuni filius, Athenas venit oppugnaturus, quod patris sui terram Atticam fuisse diceret. Is victus cum exercitu cum esset ab Atheniensibus interfectus, Neptunus, ne filii sui morte Erichtheus laetaretur, expostulavit, ut eius filia Neptuno immolaretur. Itaque Chthonia filia cum esset immolata, ceterae fide data se ipsae interfecerunt." Idem c. 238: „Erichtheus, Pandionis filius, Chthoniam ex sortibus pro Atheniensibus (immolavit); reliquae ipsius sorores ipsae se praecipitaverunt." Apollodorus: *καὶ σφάξαντος αὐτοῦ τὴν νεωτάτην* **), *καὶ αἱ λοιπαὶ ἑαυτὰς κατέσφαξαν· ἐπεποίηντο γάρ, ὥς ἔφασάν τινες, συνωμοσίαν ἀλλήλαις συναπολέσθαι. Γενομένης δὲ μετὰ σφαγὴν τῆς μάχης, Ἐρεχθεὺς μὲν ἀνεῖλεν Εὔμολπον κτλ.* Accuratius haec, quam quae retulit Hyginus, cum Euripidis dramate congruere, ceterorum testimonia, quae supra posuimus, ostendunt. Neque illud verum est, quod Neptuno victimam ille oblatam esse dicit, sed rectius Proserpinae caesam esse Demaratus apud Clementem Alex. p. 12, 38. testatur, id quod etiam nomen virginis, quae immolata est, significare videtur: *Ἐρεχθεὺς δὲ ὁ Ἀττικὸς καὶ Μάριος ὁ Ῥωμαῖος τὰς αὐτῶν ἐθυσάτην θυγατέρας, ὧν ὁ μὲν τῇ Φερεφάττῃ, ὡς Δημάρατος ἐν πρώτῃ τραγῳδουμένων, ὁ δὲ τοῖς ἀποτροπαίοις.* Chthoniam repente imprudentem, obscuris quibusdam verbis ante immolationem ipsam dictis, quum quasi ministra sacrorum ad aram constitisset, arreptam a patre et pro victima occisam esse et ex verbis eorum, qui de argumento fabulae retulerunt, et ex antiqui cuiusdam monumenti lapidei simulacris recte Welckerus (quem vide p. 721. de hac re disserentem) collegisse videtur. Immolationem continuo pugna atque fuga hostium secuta est. Cedentibus hostibus interfectoque Eumolpo, necdum finito proelio, nuntius rediit, reginam de

---

*) Rectius dixisset tres; cf. Welck. p. 722 seq.

**) Demaratus l. l. *τὴν πρεσβυτάτην*.

successu certiorem facturus. Deinde duas Chthoniae sorores, cognita illius immolatione, necessitatem moriendi sibi impositam ostendisse suspicor. Hoc utrum ignara matre an edocta ultimumque salutata ab illis factum esse statuendum sit, dubito. Fratres quidem, quorum maximus natu Cecrops erat, necdum tamen armis ferendis aptus, salutatos ab illis admonitosque esse, ut matrem pie fideque colendo amissos liberos ei compensare studerent, fragmenta ostendere videntur:

οὐκ ἔστι μητρὸς οὐδὲν ἥδιον τέκνοις·
ἐρᾶτε μητρός, παῖδες· ὡς οὐκ ἔστ' ἔρως
τοιοῦτος ἄλλος, οἷος ἡδίων ἐρᾶν.

— — — — —

θετῶν δὲ παίδων ποῦ κράτος; τὰ φύντα γὰρ
κρείσσω νομίζειν τῶν δοκημάτων χρεών.
— — — *τὸν τῇ φύσει*
οἰκεῖον οὐδεὶς καιρὸς ἀλλοῖον ποιεῖ *).

Possunt tamen haec etiam ab Erechtheo dicta et pars fuisse praeceptorum, quibus rex, priusquam e vita discederet, filios ad se vocatos instruxit saluberrimis, quum et familiarem et publicam rem curae eorum commendaret. Ceterum huc pertinere puto fragm. Ennii inc. 25:

„*Parentem et patriam, dii, servate sospitem.*"

In moenia seu turrim moenibus impositam virgines ascendisse videntur, similique ratione, qua in Phoenissis Macareus se interficit, in eum ipsum locum, in quo hostiae inferis diis obferri solebant, corpora demisisse, unde sublata una cum Chthonia componi potuerunt. Lamentorum sive chori sive Praxitheae, quibus trium virginum mortem prosequebantur, hoc exiguum fragmentum relictum esse videtur:

— — *ζεῦγος τριπάρθενον,*

quo loco abusus est Aristoph. in Horis; cf. Bergk. fragm. Arist. p. 286. Redire deinde nuntium necesse fuit ac de morte virginum, de parta victoria, de Erechtheo Neptuni

---

*) Fragm. inc. 245. *ἀλλοῖον* pro *ἀλλότριον* postulantibus numeris reposui.

fulmine percusso exponere; statim deinde rex ipse moribundus in scenam reportatus regnum ac domum filio commendavit. Ex hac dramatis parte haec refert Apollodorus: *Ποσειδῶνος δὲ καὶ τὸν Ἐρεχθέα καὶ τὴν οἰκίαν αὐτοῦ καταλύσαντος, Κέκροψ ὁ πρεσβύτατος τῶν Ἐρεχθέως παίδων ἐβασίλευσεν.* Neque aliter Hyginus: „Ipse Erichtheus ab Iove, Neptuni rogatu, fulmine est ictus." Testatur Euripides ipse in Ione:

πληγαὶ τριαίνης ποντίου σφ' ἀπώλεσαν.

Clausula narrationis haec esse potuit:

ἐκ τῶν πόνων τοι τἀγάθ' αὔξεται βροτοῖς,
ὁ δ' ἡδὺς αἰὼν ἡ κακή τ' ἀτολμία
οὔτ' οἶκον οὔτε γαῖαν ὀρθώσειαν ἄν *).

Erechtheus autem filium regno destinatum, adstantem morienti et moerentem ultroque rogantem, ut de officiis pater, priusquam exstinguatur, se edoceat, praestantissimis praeceptis instruit:

ὀρθῶς μ' ἐπήρου, βούλομαι δέ σοι, τέκνον,
— φρονεῖς γὰρ ἤδη κἀποσώσαι' ἂν πατρὸς
γνώμας φράσαντος, ἢν θάνω, — παραινέσαι
κειμήλι' ἐσθλὰ καὶ νέοισι χρήσιμα,
βραχεῖ δὲ μύθῳ πολλὰ συλλαβὼν ἐρῶ.
πρῶτον φρένας μὲν ἠπίους ἔχειν χρεών **)·
τῷ πλουσίῳ τε μὴ διδοὺς μεῖζον μέρος
ἴσον σεαυτὸν εὐσεβεῖν πᾶσιν δίδου.
δυοῖν παρόντοιν πραγμάτοιν, πρὸς θάτερον
γνώμην προςάπτων, τὴν ἐναντίαν στύγει.
ἀδίκως δὲ μὴ κτῶ κτήματ', ἢν βούλῃ πολὺν
χρόνον μελάθροις ἐμμένειν· τὰ γὰρ κακῶς
οἴκους ἐςελθόντ' οὐκ ἔχει σωτηρίαν.
ἔχειν δὲ πειρῶ· τοῦτο γάρ τό τ' εὐγενὲς
καὶ τοὺς γάμους δίδωσι τοὺς πρώτους ἔχειν·
ἐν τῷ πένεσθαι δ' ἐστὶν ἥ τ' ἀδοξία,

---

*) Cf. Schneidew. Coni. critt. p. 51. et 85. *ὀρθώσειαν* pro *ὀρθώσειεν* scripsi.

**) Ennius:

„*Lapideo sunt corde multi, quos non miseret neminis.*"

κἂν ᾖ σοφός τις, ἥ τ' ἀτιμία βίου.
φίλους δὲ τοὺς μὲν μὴ χαλῶντας ἐν λόγοις
κέκτησο, τοὺς δὲ πρὸς χάριν σὺν ἡδονῇ
τῇ σῇ πονηροὺς κλῇθρον εἰργέτω στέγης.
ὁμιλίας τε τὰς γεραιτέρας φίλει,
ἀκόλαστα δ' ἤθη, λαμπρὰ συγγελᾶν μόνον,
μίσει· βραχεῖα τέρψις ἡδονῆς κακῆς.
ἐξουσίᾳ δὲ μήποτ' ἐντυχών, τέκνον,
αἰσχροὺς ἔρωτας δημοτῶν διωκαθεῖν,
ὃ καὶ σίδηρον ἀγχόνας τ' ἐφέλκεται,
χρηστῶν πενήτων ἤν τις αἰσχύνῃ τέκνα.
καὶ τοὺς πονηροὺς μή ποτ' αὔξειν ἐν πόλει·
κακοὶ γάρ, ἐμπλησθέντες ἢ νομίσματος,
ἢ πόλεος ἐμπεσόντες εἰς ἀρχήν τινα,
σκιρτῶσιν, ἀδόκητ' εὐτυχησάντων δόμων.
ἀλλ' ὦ τέκνον μοι δὸς χέρ', ὡς θίγῃ πατήρ,
καὶ χαῖρ'· ὑπ' αἰδοῦς δ' οὐ λίαν ἀσπάζομαι·
γυναικόφρων γὰρ θυμὸς ἀνδρὸς οὐ σοφοῦ.

Fini dramatis Minerva intervenit et consolata Erechtheum est iubendo divinos honores et ipsius et filiarum institui; cf. schol. ad Arati v. 169: *Εὐριπίδης μὲν οὖν ἐν Ἐρεχθεῖ τὰς Ἐρεχθέως θυγατέρας Ὑάδας φησὶ γενέσθαι, τρεῖς οὔσας.* Adde Cic. N. D. III, 19, 49., ubi Erechtheum et delubrum et cultum Athenis habuisse scriptum est, et Demosth. orat. funebr. p. 1397 *). Claram Erechthei mortem pro patria occumbentis nec minus etiam filias eius cupide mortem pro vita civium expetentes Cicero Tusc. I, 48, 116. et pro Sestio 21, 48. laudat. In faucibus quibusdam terrae Erechtheus sepultus esse in Ione (v. 294.) commemoratur:

πατέρα δ' ἀληθῶς χάσμα σὸν κρύπτει χθονός;

Ibidem delubrum aedificatum fuisse necesse est.

Utilia magis, quam dulcia, Euripidem in hac componenda tragoedia secutum esse et docendis, monendis, ad-

*) *Ἤιδεσαν ἅπαντες Ἐρεχθεῖδαι τὸν ἐπώνυμον αὐτῶν Ἐρεχθέα ἕνεκα τοῦ σῶσαι τὴν χώραν τὰς αὐτοῦ παῖδας, ἃς Ὑακινθίδας καλοῦσιν, εἰς προῦπτον θάνατον δόντα ἀναλῶσαι.* Cf. Welck. p. 724. not. 14.

hortandis magis, quam delectandis, civibus operam dedisse, tribuisse personis eas orationes, quae magis Atheniensibus cognitu salutares, quam personarum caussis accommodatae essent, quilibet videt. Neque non grato animo haec ab Atheniensibus accepta, neque frustratum esse Euripidem fructu studii honestissimi aut destitutum laude, quae et patriae eius amori plane singulari et carminis praestantiae deberetur, ex Lycurgi verbis intelligitur: *διὸ καὶ δικαίως ἄν τις Εὐριπίδην ἐπαινέσειεν, ὅτι τά τε ἄλλα ὢν ἀγαθὸς ποιητὴς καὶ τοῦτον τὸν μῦθον προείλετο ποιῆσαι, ἡγούμενος κάλλιστον ἂν γενέσθαι τοῖς πολίταις παράδειγμα τὰς ἐκείνων πράξεις, πρὸς ἃς ἀποβλέποντας καὶ θεωροῦντας συνεθίζεσθαι ταῖς ψυχαῖς τὸ τὴν πατρίδα φιλεῖν.* Et testatur Plutarchus in vita Niciae (c. 9. p. 529.) carmina haec iucunda Atheniensibus fuisse atque in ore omnium versata esse; testantur idem artifices, res, quae Euripidis dramate continebantur, simulacris repraesentantes. Nihilominus Aristophanes contraria eorum, quae non hac tantum, sed omnibus fere fabulis Euripides fecit, ei crimini dedit, vitiis et sceleribus repraesentandis unice eum studuisse affirmans, a virtute autem et honestate ostendenda abstinuisse. Qui nisi calumniari, quam arguere, maluisset, hanc fabulam omnium maxime exagitare debuit. Profecto enim qui, oblitus personae poetae, tanta cum ambitione praeceptoris monitorisque partes egit, ut et viros et feminas et virgines alios post alios induceret tanquam oratores pro rostris dicentes, quasi aut in bellum profecturos cives hortarentur aut in acie interfectos laudarent, ab eiusmodi igitur poeta si quis abiectam esse summam tragicae artis (*τὰ μέγιστα παραλιπεῖν τῆς τραγῳδικῆς τέχνης*, Arist. Nub. 1494.) accuset, eum iure meritoque accusare confitendum erit. Quorum nihil fecit calumniator; quin etiam in suum usum convertendo orationes illas comprobavit.

C. Ion.

Fabula ex genere earum est, quas intricatas (πεπλεγμένας) appellavit Aristoteles. Etenim non gravitate rerum, non atrocitate malorum, non magnanimitate vel insolentia hominum, non novitate facinorum, non morum exemplis, sed erroribus turbulentis et agnitione inopinata tenet spectatores. In quo genere quum nostri poetae fere omnes quam diligentissime cavere soleant, ne quid de eventu ante ipsam difficultatum solutionem indicetur, omnemque delectationem in eo positam esse iudicent, ut par sit eorum, qui spectant, atque eorum, quorum sors agatur, ignorantia, Euripides contra deo arcessito erroribus omnibus spectatorum occurrere et de eventu rerum eosdem planissime docere maluit. Nimirum non praestigiatoris, sed poetae personam sibi agendam esse duxit, et consecutus est id, ut ad actionum contentionem et sermonum ambiguitatem animum liberiorem attenderemus, neque cognoscendi rerum decursum studium minuit, sed auxit, ut falsas opiniones cum veritate comparantes vehementius commoveremur. Atqui neque imperitiam neque ignaviam poetae caussam fuisse prooemii praemittendi in hac quidem fabula quilibet intelligit. Nam etiam demto illo nihil dramati deesse videbitur: neque enim pars actionum est, sed oratio in concione theatri habita ante initium actionum. Et poterat eadem verba histrio, non alienam personam, sed suam agens facere, si dignitas tragoediae hoc pateretur.

Delphis in limine templi Apollinis res aguntur, et prodit Mercurius, qui quondam Athenis Ionem ex Creusa, Erechthei filia, natum et in antro rupium, quae L o n g a e appellabantur (in septentrionali Acropolios regione supra ipsum theatrum sito, quo eodem loco Creusa ab Apolline compressa erat) expositum sustulit Apollinis rogatu ac Delphos pertulit, ubi in gradibus templi cum arcula et fasciis iacens inventus a sacerdote susceptusque est. His expositis addit puerum, cuius parentes ignorarentur, apud aras dei victum invenisse, eundem, cum adultus esset, thesaurorum custodem a Delphis constitutum esse et in delubro dei

vitam adhuc sanctam agere, Creusam interim Xutho, Aeoli filio Iovisque nepoti, Achaeo, nupsisse, qui id connubium pro praemio auxilii contra Euboeenses lati acceperit. Hoc ipso autem tempore Xuthum cum uxore Delphos venisse, ut de liberorum procreatione deum consuleret. Item eventum rerum et futuram adolescentis gloriam praedicit; tum, prodeunte cummaxime Ione, in lucum delubri deus recedit.

Cum prima luce sancto die, quo Pythia tripodi insidet, Ion cum reliquis ministris sive προφήταις (cf. v. 413.) in vestibulum prodit, quorum hi puro fonte corpora abluturi sunt, ut faventes linguis bona omina consulentibus offerant, Ion autem, id quod facere a puero adsuevit, sertis et coronis ipse insignis (v. 522.), aquae adspergine et lauri ramis vestibula purgaturus est simulque volucres, quae delubrum conspurcant, arcu et sagittis fugaturus. Inter hoc opus carmen canit, quo et ministeria sua vitaeque institutum praedicat et deo, cuius in honorem his muneribus fungitur, tanquam patri ac nutritori gratias agit. Quem enim locum nostri poetae soliloquiis assignant, eum apud veteres cantica tenent. Animus adolescentis hoc carmine declaratur conveniens iis locis et rebus, in quibus versatur, neque minus castus sanctusque est, quam solis lumen, quo cummaxime cacumina Parnasi collustrantur. Etenim procul a certaminibus forensibus et proeliorum furore, liber ab ambitione, ab avaritia, a libidine eorum, qui vel negotiantur vel res publicas administrant, piis perpetuo ministeriis sacrisque operatus, in avibus fugandis tela exercens, vitam adhuc tranquillam atque innocentem egit, neque aut honoris aut lucri dulcedinem cum sapientiae studio permutare cupit. Oratio autem rebus accommodata est: modico enim ornatu illustratur cogitatorum verecundia. Ceterum rursus mendicum, qui neque patriam neque parentes neque victum neque lectum certum haberet (cf. v. 315. et 323.) et in hac egestate felicissimus esset, in scenam inductum esse videmus.

Adhuc nihil gestum est rerum, quae habeant graviorem animorum commotionem. Vacuis igitur otiosisque animis, prudenter poeta in oculorum auriumque delectatione spectatores detinet. Quae qualis sit priusquam exponatur,

de scena antea pauca dicenda sunt. Parnasus mons cum templo Apollinis repraesentatur, quorum situm his verbis declaravit Iustinus XXIV, 6: „Templum Apollinis Delphis positum est in monte Parnaso in rupe undique impendente. Media saxi rupes in formam theatri recessit *). In hoc rupis anfractu, media ferme montis altitudine, planities exigua est, atque in ea profundum terrae foramen, quod in oracula patet." Universa Delphorum urbs in devexo montis margine condita erat **). Quae in media rupe erat planities sive anfractus, ea tota oraculo occupabatur; aedificia autem fani cum porticibus et gradibus per declivam montis partem continuabantur; cf. Paus. X, 8. p. 818: „Delphis urbs quavis parte in clivum resupinatur. Eodem autem, quo oppidum, situ Apollinis est septum sive delubrum ***), et peramplum spatio in suprema urbis parte eminet. Sunt autem etiam exitus per illud immissi perpetui (*τέτμηνται δὲ καὶ ἔξοδοι δι᾽ αὐτοῦ συνεχεῖς*)." Non continua in planitie aedificia exstructa fuisse docet, eaque, quum pluribus ex partibus constarent, secta fuisse itineribus. Et duas porticus (*δίδυμα πρόςωπα*) scena exhibitas esse chorus significat, unde duos quoque introitus cum singulis aris forensibus †) fuisse coniicere licet.

---

*) Strabo p. 288, 17. lib. IX: *τὸ δὲ νότιον (πλευρὸν κατέχουσι) Δελφοί, πετρῶδες χωρίον, θεατροειδές, κατὰ κορυφὴν ἔχον τὸ μαντεῖον καὶ τὴν πόλιν, σταδίων ἑκκαίδεκα κύκλον πληροῦσαν. Ὑπέρκειται δὲ αὐτῆς ἡ Λυκώρεια, ἐφ᾽ οὗ τόπου πρότερον ἵδρυντο οἱ Δελφοὶ ὑπὲρ τοῦ ἱεροῦ· νῦν δὲ ἐπ᾽ αὐτῷ οἰκοῦσι περὶ τὴν κρήνην τὴν Κασταλίαν.*

**) Liv. XLII, 15. Pausan. X, 8. p. 818.

***) Cf. v. 739. *αἰπεινά τοι μαντεῖα.*

†) Pollux IV, 19. p. 203. Seb.: *ἐπὶ δὲ τῆς σκηνῆς καὶ ἀγυιεὺς ἔκειτο βωμὸς πρὸ τῶν θυρῶν.* Hac ara nulla domus neque sacra neque profana caruisse videtur; cf. Hesych.: *ἀγυιεύς, ὁ πρὸ τῶν θυρῶν ἑστὼς βωμὸς ἐν σχήματι κίονος.* Schol. Aristoph. Vesp. 875: *ὁ πρὸ τῶν αὐλείων θυρῶν κωνοειδὴς κίων, ἱερὸς Ἀπόλλωνος καὶ αὐτὸς θεός.* Macrob. Sat. I, 9: „Apud Graecos Apollo colitur, qui *θυραῖος* vocatur, eiusque aras ante fores suas celebrant, ipsum exitus et introitus demonstrantes potentem. Idem Apollo apud il-

Pronaum Minervae adversum ascendentibus fuisse ex Herod. VIII, 37. 39. intelligitur; huic alterum pronaum a latere iunctum fuisse suspicor. Palladis autem sacra cum Apollinis sacris per totum drama coniuncta repraesentantur, nec minus illius, quam huius, numine res diriguntur et ad felicem exitum perducuntur. Ad illius igitur porticum Creusa cum ancillis, quae chori munere funguntur, accedit. Porticum enim scena repraesentat; spatium, quod ante porticum relictum erat, proscenium efficiebat; ante hoc in orchestra consistit chorus *), ibique, motus magnificentia vestibuli et pulcritudine imaginum, quibus porticus ornata est, parodum agit. Solebant autem qui deum consulturi Delphos veniebant, antequam hostiis caesis sacrisque rite factis in penetralia admitterentur **), spectandis donariis oculos pascere (cf. Eurip. Androm. 1086 seq.). Haec igitur consuetudo parodi materiam praebuit Euripidi, ut porticum, quam circa initium belli Peloponnesiaci, de-

---

los et *ἀγυιεὺς* nuncupatur, quasi viis praepositus urbanis." Adde nostri Phoen. 631. et 274. et hunc ipsum locum (*ἀγυιάτιδες θεραπεῖαι*), quem Eustath. p. 166, 23. (126, 2.) explicavit. Apollinem Ianum Graecorum fuisse ex hac ipsa re apparet.

*) Orchestram scena multo inferiorem fuisse vulgo perperam statuunt qui illam tabulamentis constratam fuisse non reputant. Et spatio illam scenae continuari et superficie paene aequari solitam esse haec Suidae verba declarant: *μετὰ τὴν σκηνὴν εὐθὺς καὶ τὰ παρασκήνια ἡ ὀρχήστρα· αὕτη δὲ ἔστιν ὁ τόπος ὁ ἐκ σανίδων ἔχων τὸ ἔδαφος, ἀφ' οὗ θεατρίζουσιν οἱ μῖμοι. ἔστι μετὰ τὴν ὀρχήστραν βωμὸς τοῦ Διονύσου, ὃς καλεῖται θυμέλη παρὰ τὸ θύειν. μετὰ δὲ τὴν θυμέλην ἡ κονίστρα, τουτέστι τὸ κάτω ἔδαφος τοῦ θεάτρου.* Orchestram non minus, quam scenam ipsam, actionibus histrionum destinatam fuisse fabulae ipsae poetarum ostendunt. Post orchestram demum, non in ipsa orchestra, locum fuisse arae, quae *θυμέλη* vocabatur, docet Suidas. Per scalas igitur ad orchestram non minus, quam ad scenam, adscendendum fuit.

**) *στέμμασιν ἐνδυτόν, ἀμφὶ δὲ Γοργόνες* de umbilico terrae dictum confirmatur verbis Strabonis p. 289, 22: *δείκνυται δὲ καὶ ὀμφαλός τις ἐν τῷ ναῷ τεταινιωμένος, καὶ ἐπ' αὐτῷ αἱ δύο εἰκόνες τοῦ μύθου.*

victis a Phormione Lacedaemoniis, Athenienses dedicaverant, per prolepsin a choro spectari et imagines, quibus distincta erat, demonstrari faceret *). Quae res quo magis plana sit omnibus, mulieres easdem imagines in peplo Panathenaico a se depingi solere significant (ἐμαῖσι μυθεύεται παρὰ πήναις) **). Figuras scalpendo in lapide expressas ac deinde coloribus distinctas fuisse cum G. Hermanno statuo (ἐν τύκαισι λαΐνοισι). Ceterum noli hoc carmen in duodecim vel quindecim hominum voces discindere: diverbium enim duarum chori partium esse planum est. Non pro inani ornamento hanc templi descriptionem aut hanc mulierum voluptatem dramati intexuit noster. Apparet enim hoc ideo institutum esse, quo Creusae dolor atque indignatio magis insigniretur: lacrimas enim fundit aedem dei magnificentissimam pulcerrimamque conspiciens, cuius adspectu alii gaudio affici solent. Generosam mulieris speciem admiratus iuvenis simulque animi quadam propensione ductus, qua sanguinis propinquitatem divinare videtur, de patria, de genere, de maioribus, de marito, de caussa veniendi quaerit. Gratam Atheniensibus fuisse arbitror religionum fabularumque patriarum explicationem. Ceterum Creusae animus multis modis laeditur Ione inscio singula attingente, quae iniuriae malorumque memoriam revocent, et praecipue de longis rupibus sciscitante, quarum in antro fulgura Apollinis pythaistae observare solebant ***). Miro autem modo etiam Creusa invicem adolescentis adspectu afficitur, cuius dum natalia atque educationem sciscitatur, quasi sua atque filii sui fata percipere sibi videtur. Quamobrem quum hanc ipsam ob caussam venerit, ut absente marito (Trophonii enim oraculum Xuthus, priusquam Delphos proficisceretur, adiisse fingitur) filii expositi fortunam ex Phoebo sciscitaretur, consilium cum Ione communicat, neque tamen se ipsam, sed sodalium aliquam, ab Apolline stupratam esse dicit, cuius caussam a se susceptam esse fingit. Cui Ion ab hoc consilio

---

*) Vide Musgravii notam ad h. l.

**) De hoc peplo vide Boeckh. Gr. trag. princ. p. 191 seqq.

***) Cf. Musgr. ad v. 285.

desistendum esse ostendit: neque enim deum passurum esse se in sua domo probri argui, neque salutaria diis invitis extorqueri. Fert iniuriam aegro animo Creusa; ceterum rogat adolescentem, ne eorum, quae collocuti sint, quicquam marito, hoc ipso tempore advenienti, indicet. Xuthus, ad Apollinem a Trophonio cum spe quadam successus relegatus, postquam hostiis ab advenis communiter caesis litatum est, sine mora ad oracula petenda in penetralia intrat, Creusa autem ad aras abit, ubi sumtis lauri foliis diis, ut oracula fausta eveniant, supplicatura est; Ion denique ad munera sua obeunda in templum redit, vehementer antea, ut philosophus, facinora deorum persona indigna miratus. Et haec quidem disputatio ex numero earum est, quas ab argumentis fabularum abhorrere significarunt Aristoteles atque Dionysius (vide quae supra p. 382. commemoravimus), quibusque Euripides se duplicem personam, poetae atque philosophi, agere demonstravit. Poesis enim in illis commentis sedem ac domicilium collocaverat, quae philosophia damnabat spernebatque. Quarum quum deserere noster neutram vellet, non potuit non interdum alteri detrimentum afferre. Omnino autem nunquam infirmitate ingenii peccavit, sed ubicunque vituperandus est, ex copia atque abundantia nata sunt vitia. Reliquum diverbium praestantissimum est atque ad movendos animos mire aptum, quod fit beneficio prooemii: hoc enim demto, nil nisi suspicio quaedam atque exspectatio animis spectatorum iniiceretur; iidem gnari rerum moventur iis, quae a personis ignaris invitisque vera enuntiantur, et vehementer cupiunt matrem filio, filium matri, demtis feliciter erroribus, restitui, et acriter dolent, quod veniam dei interrogandi ac facultatem veritatis exquirendae matri miserae eripi vident neque praeter patientiam malorum et contumeliae quicquam relinqui. Carmine, quo actus distinguuntur, chorus Minervam et Dianam, duas virgines Phoebi sorores, sed praecipue illam, in summis Iovis sive coeli cacuminibus adiuvante Titane Prometheo natam, invocat, ut de faustis responsis et propagatione Erechthei generis apud Apollinem intercedat: in liberorum enim stirpe et voluptatem et praesidium et spem

vitae posita esse affirmat. Tum Agrauli virgines, quae circum longas rupes choreas agant, et Panem in illo antro fistula canentem pro Apollinis filio ibi exposito implorat. Ceterum negat vel in picturis vel in carminibus ullum deorum filium rebus secundis utentem ostendi. Quippe non ex deorum stupris, sed ex victrice hominum virtute stirpis divinae honorem manare manifestum est. Hoc carmen tum rebus grave tum verbis egregie ornatum est et ad explicandam rerum conditionem commemoratione periculi, in quo Erechtheidarum stirps versatur, plurimum confert.

Redit in scenam Ion. Paullo post Xuthus ex penetralibus revertitur atque illum obvium pro filio salutat mirantem et novitate rei obstupefactum. Itaque adolescens eum, quasi furentem, a corpore arcet atque etiam telis, quo minus manus sibi iniiciat aut vim inferat, prohibere conatur. Tum de oraculo edoctus et congruere illud videns cum tempore et loco, quo Xuthus cum Delphicis puellis Bacchi festum celebrans, vino et voluptate victus, unam earum stupraverit, Iovis se nepotem ex servo factum esse gaudet, sed matrem etiamnunc ignorari dolet. Huius inventionem tempori committendam esse censet Xuthus; iam filium hortatur, ut regni et divitiarum paternarum haeres futurus Athenas secum proficiscatur. Tum repente Ioni consideranti rerum conditionem scrupuli iniiciuntur. Primum enim se peregrino patre spurium natum, si ad principale in republica fastigium enitatur, invidia civium ambitiosorum praeter ceteros vexatum iri intelligit. Deinde in domo ipsa paterna insidias novercae prole carentis et sibi et patri timendas esse arbitratur. Tum ne tyrannidem quidem, splendidam miseriam, tanti facit, ut ei otium et tranquillitatem et iustitiae studium postponere velit. Haec exponuntur oratione et subtili et gravi, tum sententiis argutis distincta atque moribus Ionis optime convenienti. Nam quum sit philosophus, fortunae bona inferiora ducit virtute et spernere divitias atque honores didicit. In eandem fere sententiam in Phoenissis Iocaste plura disputat, cuius orationem cum hac, si operae est, compares. Xuthus, his auditis, ne dolorem uxori af-

ferat neve Ionem in discrimen adducat, pro hospite hunc Athenis habiturus est, postmodum data opportunitate uxori persuasurus, ut regnum ei permittat. Iam filium ad natales celebrandos epulasque abducit hospitibus publice instituendas. Famulis Creusae silentium commendat et supplicium minatur, si rem uxori indicent. Iam voti compotem esse Xuthum videmus, sed periculis et certaminibus Ionem expositum, qui adhuc malis curisque vacabat, Creusae vero miseriam novo malo addito haud leviter auctam. Hae nubes tempestatem minantur, quam praesagiens adolescens non vehementissime gaudet invento patre: nam nisi matre Attica cive natus sit, nunquam se integra felicitate usurum esse intelligit. Neque famulae dominam celaturae sunt: etenim neque fidem habent oraculis et oderunt Xuthum, ut advenam atque infidum. Hanc animorum voluntatem magna cum ira atque indignatione feminae declarant atque advenas omnes exsecrantur.

Redit Creusa secum ducens senem grandaevum, patris sui paedagogum, quem patris loco ipsa colit et qui dominae casibus omnibus tanquam propriis movetur. Itineribus, quibus et in orchestram et in scenam personae, quae foris veniebant *), ascendebant, partem montis declivis repraesentatam esse planum est: per hanc enim ambulans senex decrepitus, sustentante gressus Creusa, de difficultate itineris multum conqueritur, antequam ad eum locum perveniat, in quo constitit chorus: unde illud iter satis longum amplumque fuisse et commode ab omnibus theatri partibus conspici potuisse apparet **). Ceterum miror, quid in mentem venerit quibusdam, ut misericordiae movendae caussa has senis querelas proponi putarent. Senem inducere corpore quidem infirmum, sed animo strenuum rebusque agendis aptum voluit poeta ***); senectutis autem

*) Ea itinera pars conistrae fuerunt; cf. notam p. 480.

**) V. 743. *βάκτρῳ δ' ἐρείδου περιφερῆ στίβον ποδός* pro *χθονός* cum Iacobsio scribo. Ceterum etiam relicta vulgata non poteris haec aliter quam de viae flexuosae difficultatibus dicta accipere.

***) Comparandus hic est cum sene qui est in Iphig. Aul. (*μάλα γὰρ γῆρας τοὐμὸν ἄϋπνον καὶ ἐπ' ὀφθαλμοῖς ὀξὺ πάρεστιν*).

decrepitae signum manifestissimum est laborare aliquem, si per ardua loca et confragosa enitatur. Et iam Erechtheum ab eo educatum esse finxit ideo, ne miraremur hunc servum, quasi monumentum familiae antiquissimum, qui patris ac proavi personam sibi agere ipse videretur, acerrima iracundia inflammari, simulatque de contumelia dominae ab advenis illata cognovisset.

Reversae igitur Creusae ea, quae acta sunt, a famulis ea ratione indicantur, quae ad excitandum dolorem aptissima esset. Impatienti doloris faces insuper a paedagogo admoventur, qui nihil horum temere vel fortuito accidisse, sed omnia astute ab advenis, ut bona aliena occuparent, structa et in perniciem gentis Erechthei composita esse persuadet. Filium furtivo concubitu ex serva susceptum et clam educatum esse; eum iam adultum a deo ipso traditum fingi, eiusque rei caussa falso praetextu Creusam ad oraculum ductam esse, quo commodius ad servae filium regnum transferatur; insidias strui, ubi ingenuitate utendum fuerit. Quin etiam salutem Creusae in discrimen adduci: duobus enim hostibus sub uno tecto degentibus, alterutrum perire necesse esse. Ergo praevertendos esse hostes, neque se, dum gratum se praestet dominis, ullum periculum recusaturum. Item famulae se ad quidvis pro domina patiendum paratas esse ostendunt. Tum vero Creusa, quum diu vocem dolor praeclusisset, in lamenta erumpit, victoque pudore iniuriam longe gravissimam, qua a deo ipso affecta est, flens et deorum fidem implorans aperit, cantico utens, id quod animi eius ardori egregie convenit. Haec audiens senex prae admiratione in vultu mulieris oculos defigit; tum rem omnem accuratius exquirit, quo loco singulis versibus interrogata responsaque explicantur, quae colloquii forma cupiditatem animorum et vehementiorem impetum declarat *), eodemque diverbii

*) Insigne huic stichomythiae inest exemplum, ex quo colligatur, quanta religione illam diverbiorum formam semel coeptam servare poetae soliti sint. Nam Creusae dictis hisce verbis: „o si vidisses infantem manus ad me tendentem," statim pergendum fuit eo, quo tendebat: „quasi significantem se redire cupere eo, ubi antea

tenore atque animorum tumore ulciscendi consilium initur. Iubet senex templum Apollinis comburi, iubet Xuthum interfici: quorum quum illud metus, hoc pietas dissuadeat, in Ionis caede Creusa acquiescit. Habet haereditate ab Erichthonio traditas geminas guttas sanguinis Gorgonis, quarum altera letifera, altera salutaris est, easque vasculis aureis inclusas in manus carpo gestat. Harum igitur eam, quae ex viro Gorgonum stillavit, paedagogo tradit poculo adolescentis immiscendam: placet enim illum interfici antea, quam Athenas venerit aut Xuthus Creusam de consilio suo edoctam esse cognoverit. His compositis, senex ad perficiendam rem se epulantibus immiscet, Creusa ad proxenum redit, cuius utitur hospitio.

Hic actus omnibus suis numeris et partibus praestantissimus est, et illud imprimis laude dignum, quod tam gravibus caussis ad scelus committendum femina impellitur, ut quilibet se, si eodem loco esset, idem ausurum esse intelligat. Miseret enim puellae simplicis, dum flores legit, in antrum tractae ac per vim stupratae; miseret matris, quae sola in antro partum eniti et infantem vagientem manusque tendentem feris laniandum relinquere coacta sit; miseret uxoris, quae propter sterilitatem spernatur ac domo paterna ab advenis servisque exuatur; miseret inopis, quae opibus et honore florentem videat eum, cuius contumelia pessumdata sit cuiusque perfidia hostes augeantur, ipsa destituatur. Adde, quod eadem femina virtute, generis nobilitate, maiorum gloria, consortio deorum superbit, quod a famulis vehementissimis ferocissimisque atque iis, qui suam rem agere sibi videantur, quum dominam defendant, incitatur; adde, quod ulcisci et occupare hostes

---

commorans tutus ab iniuriis fuerat." Quae quum uno versu comprehendi non possent, dissecta sunt senis praeoccupantis interpellatione: „mammas, puto, aut ulnas tuas appetentem?" Laudem meruisset G. Hermannus, si haec recte interpretari, quam vituperare, maluisset. Atque emendanda quoque fuerunt. Scripserat enim, ut opinor, Euripides sic:

μαστὸν διώκειν γ' ἢ πρὸς ἀγκάλαις πεσεῖν; —

licitum esse putabatur, et tanto magis necessario, quanto generosior sit mulier, scelus patrari intelliges.

Triviam invocat chorus, ut laetum coeptis Creusae successum det *): etenim hanc laqueo prius vitam abrupturam esse, quam passuram, ut peregrinus regnum domumque paternam occupet, et indignaturum esse etiam Bacchum, si sacris suis nocturnis **), quibus et stellae et luna et nymphae laetentur, interesse videat servum vagum regis muneribus fungentem. Iniuria autem mulieres libidinis accusari, cum Xuthi iniuria nullius mulieris improbitate levior sit.

Quartus actus narrationem habet convivii, in quo senex Ionem interficere conatus sit. A quo convivio Xuthus abfuisse fingitur ideo, quod, si interfuisset, non potuisset non maximum rerum momentum facere et Ionis personae officere. Diis igitur genitoribus in summo montis cacumine sacrificat, dum in radicibus filius cives convivio excipit. Tabernaculum hic collocavit tanti spatii, quanti solebant esse theatra, eoque situ, qui et meridianum et occiduum solem defenderet; pro tecto usus est aulaeis sacris donariorum. Et culmen quidem convestivit peplo, quem Hercules ex Amazonibus retulerat, in quo coelum cum stellis depictum erat: solis enim et lunae et noctis et aurorae personae cum siderum signis ostendebantur. In parietibus autem expressa erat Graecorum et barbarorum pugna navalis et monstra ferarum debellata (sine dubio Centauri, equi Diomedis, cerva aeripes, leo Nemeaeus). Herculis igitur certamina cum pugna Salaminia coniuncta erant. Et haec omnia Amazonum arte expressa fuisse finxit poeta, unde Atheniensium virtutes non minus, quam Herculis gloriam, per totum orbem divulgatas fuisse colligeretur. Denique his Amazonum operibus ex adverso positum erat Atheniensis cuiusdam donarium, in quo Cecrops, partim

*) Itineribus et rerum initiis non minus Diana, quae Trivia atque Ἐνοδία dicebatur, quam Apollo, quem pro Iano Graecis fuisse diximus, praefecta erat. Sed hic diurnis atque apertis, illa nocturnis atque clandestinis inceptis auspicabatur.

**) ὄψεται ἔννυχος ἄϋπνος ὤν de Baccho dictum est, non de Ione, id quod plerique suspicati sunt.

homo partim serpens, cum filiabus depictus erat. Delphis omnibus ad epulas vocatis, paedagogus ad pocula ministranda se obtulit et phialam longe amplissimam, quasi honoris caussa, ante Ionem, immisso veneno, plenam collocavit. Sed adolescens, cum libare vellet, verbo quodam servi male ominato monitus, in terram extemplo libamina omnia effundi iussit. Repente turba columbarum, quae in delubris Apollinis habitabant, ad hauriendum vinum profusum convolavit. Ibi quum reliquis innoxia fuisset libatio, ea, quae Ionis potum gustavit, statim palpitante corpore missisque vocibus diris exspiravit. In facto deprehensus senex ab adolescente confiteri scelus coactus est. Inde sine mora ille cum convivis ad magistratus Delphorum se proripuit, qui consentienti iudicio Creusam, quod antistitem templi intra sacraria dei interficere conata esset, de rupe praecipitari iusserunt et miserunt, qui inventam ad supplicium raperent.

Sapientissimum erat veteris tragoediae institutum, quo epicae poeseos virtus cum dramaticae consociaretur et rhapsodi personam histrio opportune susciperet, quod institutum manaverat ex eadem iudicii sinceritate, qua reliquarum artium generumque poeseos confusionem veteres vitabant. Sunt enim quae neque apparatu scenico digne repraesentari neque agendo commode explicari queant; et si vel maxime posset turba epulantium et apparatus convivii et aulaeorum pictura et consessus principum populi cum iudiciorum sollemnibus digne apteque exhiberi, noluerunt animos variis et multiplicibus spectaculis distineri et a summa rerum abstrahi. Neque enim sensuum delectationi scenam destinatam esse, neque corporis voluptatibus serviendum, sed actionum momentis homines movendos esse iudicabant, quarum vim augeri revocando ad simplicitatem atque perspicuitatem res quamvis amplas lateque patentes planum est. In hac autem narratione componenda quamvis multum noster voluptati studiisque civium dederit, tamen nihil immiscuit alieni atque otiosi. Donariis sacris tentorium convestiri finxit, quo gravius esset scelus inter ipsa dei sacra commissum; coelum cum stellis universis, quasi deorum concilium, inspicere illas res eadem

de caussa voluit; tum pertinentes ad gloriam Atheniensium, ad maiorum res gestas (nam Amazonas invasione in Atticam facta proelio superatas esse constabat), ad divinitatem originis picturae cum universo dramatis argumento mirum in modum conspirant. Omitto dicere, quam scite eae imagines inventae, descriptae ac dispositae sint. Convivium vero ipsum, ministratio senis, ingenium adolescentis quam veris quamque vividis coloribus depicta sunt! tota narratio quam apta ad delectandos, tenendos, movendos spectatores! Iam ad summum quasi culmen discriminis res evectae sunt, unde aut pernicies aut salus brevissimo tempore eventura est. Trepidante choro nec habente, quo evadat ex capitis periculo, Creusa, quum paene ex mediis hostium telis se eripuisset, ad aram confugit, insequente Ione cum militibus. Sequitur diverbium vehemens atque incitatum, urgente, minante atque insidias exprobrante Ione, Creusa autem dei auxilio se tutante et merito se hosti, qui domum et bona sua direptum ierit, mortem molitam esse defendente, quo loco multa ab utroque inscio vera dicuntur, quibus minus moverentur spectatores, si minus rerum gnari essent. Cum iam eo deventum esset, ut ab ipsa ara dei, qui, quod destituit mulierem quondam amatam, malorum omnium errorumque auctor est, matrem filius ad supplicium raperet, Pythia intervenit, quae quondam expositum sustulit quamque ille matris loco colere consuevit. Quae Creusae quidem caedem defendit, Ioni autem cistam cum fasciis, in quibus expositus fuit, pro pignore tradit. His dictis adolescentem, quasi emancipatum, valere et veram matrem per totum terrarum orbem investigare iubet. Hoc quasi matris haeredium dum Ion, et suam et matris acerbam sortem deplorans, infulis nudat, repente Creusa, cognita arca, in qua infantem exposuit, illum ut filium salutat, ipsum cum pignore pro ara amplectens neque curans amplius strictos militum gladios *). Tum symbola et cre-

*) Male Hermannus verba *σφάζοντες οὐ λήγοιτ' ἂν* mutavit, quibus se mortem non amplius curare mulier declarat: tutius enim asylum ea, quae nunc amplectatur, quam aram dei, se nactam esse arbitratur. Idem v. 1411. recte quidem emendavit, sed minus recte interpretatus est. T a c e t u,

pundia singula, antequam ex arcula promantur, praedicendo describendoque Creusa certissimis argumentis se Ionis matrem esse comprobat. Tum vero ruente in matris amplexum filio, qui modo hostis hostem interficere voluit, illa laetitiam, quod omnibus malis subito liberata et nacta sit bonum, quod nunquam se adepturam esse sperasset, cantico declarat, una gaudente et cum amplexibus osculisque gratulante filio. Haec omnia et recte eleganterque inventa et stricte, argute, ornate graviterque exposita sunt et, quamvis sint inopinata, tamen sic procedunt, ut aliter fieri potuisse vix credas: id quod fit beneficio prudentis callidaeque compositionis, qua ad difficultates erroresque subito tollendos omnia diligenter praeparata sunt. Una restat dubitatio, quod oraculum Apollinis, quo Ion filius Xuthi esse declaratus est, cum iis, quorum sibi conscia Creusa est, non consentit. Quae quamvis levissima sit difficultas et facile potuerit removeri interpretando Ionem a deo, vero patre, emancipari alieno, cuius bonorum regnique exsisteret haeres, tamen poeta sine numinis alicuius interventu scrupulum Ioni eximi noluit. Hoc autem institutum perpetuo servavit et in plerisque fabulis declaravit noster, ut aliquid impedimenti utique relinqueret, quae numinum adhibendorum et epilogum, tanquam fastigium, operi addendi caussa esset: consummari enim fabulas sine futurarum et remotiorum rerum praedictione negabat. Et quis ignorat animos in praesenti eventu nunquam acquiescere, sed reliquos quoque vitae casus hominum, quos vel adamarint vel oderint, summatim cognoscere studere? Praedicuntur futura in Iliade, in Odyssea, in omnibus fere carminibus epicis: quidni tragoediae idem convenire statuamus? Euripidis certe fabulis epilogi huiusmodi plane necessarii esse videntur, ut sit quod prooemiis atque narrationi rerum priorum quasi ex adverso positum respondeat.

---

inquit, nam n i m i s m u l t a m i h i (in perniciem meam) i a m a n t e a c u r a b a s. Haec eo referuntur, quod cistam sibi notam esse significavit Creusa, et ambigue dicta sunt sic, ut verum inscius enuntiet adolescens.

Ipsum canticum, quod diximus, a laetitia ad dolorem deflectitur. Iniecta enim patris mentione, cum Xuthum laetitiae participem fieri iubeat adolescens, Creusa ad fatenda ea, quae filium celari studuit, adducitur: qua in confessione cum pudore dolor miscetur, quum recordetur tum durae necessitatis, qua coacta infantem in deserto specu abiecerit, tum atrocis fortunae, qua mater et filius se invicem interficere conati sint. Non dissimulat adolescens metum, ne mater furtiva Venere vitiata effugiendi dedecoris caussa dei vim potentiamque stupro praetexat. Illa et iureiurando sanctissimo dicta confirmat et dei responsum minime illis repugnare docet. Nihilominus adolescens, id quod minime mirandum est, dei ipsius testimonio rem confirmari cupit: ad quem consulendum quum in penetralia intrare vellet, in fastigio aedium Minervam conspicit, curru per aerem vectam, ut vice Apollinis obscura aperiat, deorum consilia explicet, futura praedicat. Adiicit dea quae ad sui populi gloriam pertinent, ambarum continentium terrarum sibi obversarum, Asiae Europaeque, littora cum insulis interiacentibus ab Ionis posteris habitatum iri, ex Xutho autem et Creusa orituros eos, qui Doriensibus atque Achaeis stirpis auctores sint. His expositis bene res et salutariter a diis administratas esse omnes intelligunt, et laeti, agentes diis gratias, cum bona spe, ducente dea, Athenas revertuntur.

Multum operae frustra insumsit G. Hermannus, quum studeret Creusae personam, non Ionis, primariam esse efficere. Non curasse hoc poetam et consulto ambiguum fecisse arbitror; eademque personarum ratio tum in Iphigenia Taurica tum in plerisque fabulis apparet. Ceterum primo actori partes Creusae, secundo Ionis delatas fuisse facile intelligitur; tertius Mercurii, Xuthi, paedagogi, nuntii, Pythiae et Minervae partes complectebatur. Xuthum, cum in fastigio montis commoraretur in sacris operatus, effugere potuisse ea, quae ante templum et in urbe agerentur quorumque universus Delphorum populus particeps esset, et potuisse de celandis iis, quae Minerva palam pronuntiaret, cogitari, cum veritate pugnare videtur. Sed eius generis incommoda a nullo fere dramate absunt neque propter

temporis locique angustiam, qua actiones includendae erant, a poetis quamvis callidis sollertibusque satis vitari potuerunt. Licuit igitur poetis in effingendis fabulis theatrum callide fallere, temporum locorumque spatia modo contrahere modo amplificare, personas, prout usus esset, vel intervenire rebus, fama nuntiisque excitas, vel celari fingere, et imaginaria sic sequi, ut subtilissimo iudicio explorata cum veris non optime congruerent. Recte igitur noster personam Xuthi, in qua nullum rerum momentum esset, iussit a reliquis actionibus abesse.

Digna sunt, quae transcribamus, verba Demetrii Phal. (cf. Rhet. gr. ed. Walz. T. VIII. p. 584.) ad actionem cantici primi pertinentia: *ἔστι δὲ καὶ ἄλλα θεωρήματα ὑποκριτικά, οἷον ὁ παρὰ τῷ Εὐριπίδῃ Ἴων, ὁ τόξα ἁρπάζων καὶ τῷ κύκνῳ ἀπειλῶν τῷ ὄρνιθι* [*καὶ*] *ἀποπατοῦντι κατὰ τῶν ἀγαλμάτων. Καὶ γὰρ κινήσεις πολλὰς παρέχει τῷ ὑποκριτῇ ὁ ἐπὶ τὰ τόξα δρόμος καὶ ἡ πρὸς τὸν ἀέρα ἀνάβλεψις τοῦ προσώπου, διαλεγομένου τῷ κύκνῳ, καὶ ἡ λοιπὴ πᾶσα διαμόρφωσις πρὸς τὸν ὑποκριτὴν πεποιημένη.* Ex his celebratam in theatris hanc fabulam fuisse apparet. Et artifices quoque illam imitati sunt. Nam amphorae cuiusdam, quae Pesti inventa est, imaginibus Ion matrem ab ara abstrahens repraesentari videtur *). Scriptorum ad hoc drama respexerunt Strabo (VIII. p. 356.), Iustinus Mart., Clemens Alex., Virgilius (Aen. III, 490.), Apollodorus, Eustathius, Stobaeus, Hesychius et scholiastae grammaticique complures. Magnam haec fabula gratiam vel apud vituperatores Euripidis propter rerum elegantem implicationem iniit, quorum A. Gu. Schlegelius etiam imitatus est, sed perversissima ratione; vide Herderum in opp. ad artes ingenuas pertin. T. XVIII. p. 147.

---

*) Cf. illustrazioni di due vasi fittili etc. trovato in Pesto, Roma 1809. De Helena Aegyptia editor dubitanter cogitat.

D. Sciron.

Scironis, fabulae satyricae, argumentum abbreviatum refert Hyginus c. 38: „Scironem, qui ad mare loco quodam praerupto sedebat, et qui iter gradiebatur cogebat eum sibi pedes lavare, et ita in mare praecipitabat. Hunc Theseus pari leto in mare deiecit, ex quo Scironis petrae sunt dictae.” Cum quibus congruunt quae Pausanias I, 44, 12., Plutarchus vit. Thes. c. 10., Diodor. IV, 59. et scholiasta Hippol. v. 979. referunt, adduntque testudinem in mari fuisse, quae deiectos hospites devoraret. Saxa autem Scironia Megarae urbi adiacebant, et ferebatur ex iisdem Ino se in mare praecipitasse; cf. Solin. c. 13: „Cui urbi saxa Scironia propinqua sunt, porrecta sex millibus passuum, ob honorem ultoris Thesei et memoriam nobilis pugnae sic nominata. Ex istis rupibus Ino se cum Palaemone filio in profunda praecipitem iaculata auxit maris numina.”

Non potuit quisquam per viam, quae ab isthmo Megaram atque in Atticam angusta et praerupta ducebat, incedens latronem, a quo obsessa tenebatur, vitare; cf. Strab. IX. p. 270: *ὑπέρκεινται τῆς Ἀττικῆς αἱ Σκειρωνίδες πέτραι, πάροδον οὐκ ἀπολιποῦσαι πρὸς θαλάττῃ· ὑπὲρ αὐτῶν δ' ἐστὶν ἡ ὁδὸς ἡ ἐπὶ Μεγάρων καὶ τῆς Ἀττικῆς ἀπὸ τοῦ ἰσθμοῦ· οὕτω δὲ σφόδρα πλησιάζει ταῖς πέτραις ἡ ὁδός, ὥςτε πολλαχοῦ καὶ παράκρημνός ἐστι διὰ τὸ ὑπερκείμενον ὄρος δύςβατόν τε καὶ ὑψηλόν.* Ergo in potestatem Scironis necessario deveniendum fuit Theseo. Sed is non statim interitum viatoribus parabat, neque simpliciter ac sine ludibrio interficiebat; potius antea hospitio ac convivio exceptos laute habebat *). A comissatione satyros non abfuisse consentaneum est. Huius actus fragmenta quaedam satis illustria exstant. De meretricibus Corinthiis facete disputat latro libidinosus, dicens alias copiam facere

*) Mela II, 3, 100: „Scironia saxa, saevo quondam Scironis hospitio etiam nunc infamia.” Plutarchus l. l.: *ὕβρει καὶ τρυφῇ προτείνοντα τὼ πόδε τοῖς ξένοις.*

corporis, si unus numus Corinthius solvatur, alias, si duo, alias quattuor numis conduci, alias multis numis Atticis:

καὶ τὰς μὲν ἄξῃ, πῶλον ἂν διδῷς ἕνα,
τὰς δὲ ξυνωρίδ', αἳ δὲ κἀπὶ τεσσάρων
φοιτῶσιν ἵππων ἀργυρῶν· φιλοῦσι δὲ
τὰς ἐξ Ἀθηνῶν παρθένους ὅταν φέρῃς
πολλάς *). — — — —

Ad epulas autem proprie refertur fragm. 3: *μνημονεύει δὲ τῶν ἐρινῶν σύκων Εὐριπίδης ἐν Σκίρωνι·*

— — *ἢ προςπηγνύναι*
κράδαις ἐρινᾶς.

Addo fragm. inc. 251:

ταὐτὸν ποιεῖς τό τ' ἀττικὸν τῷ ζηλὰ συγκεραννύς **),

itemque fragm. 4., quo hinnuleorum pernae commemorantur

— — *οὐδὲ κωλῆνες νεβρῶν.*

Adsunt igitur carnes, fructus, vina; abundat latro rebus omnibus: quibus dum gaudet bonis, valere iubet pudorem, pietatem iustitiamque. Quanto quisque corporis viribus plus valeat, quanto plus latrociniis acquirere possit earum rerum, quibus voluptates emantur, tanto eum feliciorem esse iudicat. Haec atque alia eius generis multa inter epulas disputata esse consentaneum est. Ceterum humi iacentes in stratis, subditis corpori culcitis, epulati sunt, id quod ex fragm. 1. intelligitur, quo pusillum Thesei iacentis corpus latro cavillari videtur:

σχεδὸν χαμεύνῃ σύμμετρος Κορινθίας
παιδός· κναφάλλου δ' οὐχ ὑπερτείνεις πόδας.

---

*) Pollux IX, 75: *τὰς μὲν οὖν παρθένους λέγοι ἂν τὰς κόρας, αἷς ἐνεκεχάρακτο Ἀθηνᾶς πρόςωπον κτλ., πῶλον δὲ τὸ νόμισμα τὸ Κορίνθιον, ὅτι Πήγασον εἶχεν ἐντετυπωμένον.*

**) Bekk. An. p. 1187: *ἔστι γὰρ ὁ ζελᾶς τοῦ ζελᾶ τῷ ζελᾷ· οὕτω δὲ λέγεται κατὰ Θρᾷκας ὁ οἶνος. Καὶ τούτου ἡ δοτικὴ εὑρίσκεται παρ' Εὐριπίδῃ χωρὶς τοῦ ῖ. Συστεῖλαι γὰρ βουλόμενος τὸ ᾱ οὐ προςέγραψε τὸ ῖ, οἷον·*

„*ταὐτὸν ποιεῖ τό τ' ἀττικὸν τῷ ζελὰ· σὺν γὰρ κεραννοῖς.*“

Finitis epulis ad servilia officia hospitem latro adigere conabatur et imprimis pedes suos ut lavaret postulabat. Corpore reclinato illum, cum haec iuberet, sedisse putandum est, et paratum fuisse ad detrudendum hospitem in mare. Detrectante munera Theseo, ab altercatione ad pugnam res devenit *); quo in certamine latro in mare praecipitatus est, gratulante sibi Theseo:

ἔστι τοι καλὸν κολάζειν τοὺς κακούς —

Inde quae consecuta sint, Ovidius Met. VII, 445 seqq. refert:

„Terra negat sedem, sedem negat ossibus unda,
Quae iactata diu fertur durasse vetustas
In scopulos; scopulis nomen Scironis inhaeret."

Haec mutatio commode a Theseo ipso animadverti atque narrari theatro potuit.

XI.

De Euripide maxime poetarum tragico.

Omnem et epicorum et tragicorum carminum et quicquid est severae Musae operum materiam Iuppiter apud Homerum effatus est hisce verbis:

οὐ μὲν γάρ τί πού ἐστιν ὀϊζυρώτερον ἀνδρὸς
πάντων, ὅσσα τε γαῖαν ἔπι πνείει τε καὶ ἕρπει.

Mala propriane culpa homines sibi contraxerint, an ex maiorum sceleribus propagata acceperint, an a diis invecta sustineant, nil refert. Philosophorum enim est quaerere, utrum malignitate deorum, cum nolint mortales ipsis felicitate aequari **), an benignitate eorundem, cum spatium

---

*) Cf. Solin. l. l.

**) Nota est deorum invidia — aber dafs er nicht gar die Hand ausstrecke, und breche vom Baum des Lebens, und werde unsterblich! — da stiefs ihn der Herr aus dem Paradiese —, notae daemonum malignorum sollicitationes, nota *Ἄτη*,

dari virtuti et gloria viros fortes celebrari velint, homines partim in labores ac pericula insontes deveniant partim libidinum stimulis impulsi aut mentis errore occoecati scelera suscipiant, quae magnis doloribus magnisque suppliciis expianda sint. Ad quos malorum fontes licet poetae passim respiciant, tamen neque eo consilio carmina componunt, ut ad solvendas dubitationes gravissimas quicquam conferant, neque ad ipsorum carminum virtutes aestimandas, utrum vacui culpa an onusti laborent ii, quorum sors in discrimine versatur, multum refert. Dixit quidem Aristoteles foedum esse (*μιαρόν*), si insontes plectantur; sed hoc verum esse nego. Verius est contrarium: tanto magis esse quod misereamur, quanto minus esse sontes videantur qui laborent, et si fieri possit, ut maximis malis afficiatur qui ab omnibus vitiis liberrimus sit, hanc rem omnium longe miserrimam fore. Et consentiunt mecum omnes poetae atque universae antiquitatis iudicium.

Nam quinam, quaeso, et quales sunt ii, qui immani malorum mole per totam vitam vehementissime crucientur? Nempe deorum filii, mortalium omnium praestantissimi, a vitiis liberiores quam reliqui, iidemque summi generis humani benefactores:

οὔτ' ἐπὶ κερκίσιν οὔτε λόγοις
φάτιν ἄϊον εὐτυχίας μετέχειν
θεόθεν τέκνα θνατοῖς (Ion. 506.).

Quidnam Oedipus commisit, qui summa cura, summa abstinentia, carissimorum bonorum iactura scelera fato destinata vitare studuit, cuius facta omnia

πεπονθότ' ἐστὶ μᾶλλον ἢ δεδρακότα?

Nempe mortalis natus est, et in mortalium conditione omnia eius crimina continentur. Atqui quis unquam illam Sophoclis tragoediam foedam esse iudicavit? Si foeda essent carmina, quibus insontium supplicia et cruciatus exhibentur, foedissimae omnium essent Messiades, quibus servatoris generis hu-

---

notum illud *θεοὶ δ' ἅπαξον ὀϊζύν*, celebrati denique sunt versus Euripidis:

Ζεὺς γάρ, κακὸν μὲν Τρωσί, πῆμα δ' Ἑλλάδι
θέλων γενέσθαι, ταῦτ' ἐβούλευσεν πατήρ.

mani mors et cruciatus ob oculos ponuntur. Sed enim hoc magis omnes his doloribus, tanquam propriis, movemur, quo minus propter propriam illius noxam supplicium sumi, quo magis ab universi generis humani vitiis mala in illum redundasse intelligimus. Sic igitur se res habet: non hominum nos miseret, sed sortis humanae, quae omnibus communis est, cui omnes nos obnoxios esse intelligimus. Propter patriae discrimen, propter civium errorem, propter maiorum delicta, propter propinquorum scelera multos in tragoediis insontes interire videmus, quorum sors valde miserabilis est: manant enim et diffunduntur piacula; universae saepe civitates unius hominis scelere labefactatae corruunt, et in proximorum quoque capita ruinae incidunt. Neque propria culpa an aliena aliquis laboret, multum interest, quoniam ad gravissima scelera committenda plerique inviti insciique abripiuntur.

A notionibus quibusdam animo conceptis, quas vocant ideas, vim miserationis movendae imprimis pendere aiunt recentiores. Nam si eos, qui talem rerum meliorum speciem sequantur, propter hoc studium intereuntes videamus, tum maxime in animis miserationem cum admiratione gigni simulque dolorem leniri, quod intereunte homine non una interisse ea, quae voluerit, putemus. Ex quibus quaerere lubet, quidnam rerum sublimium Astyanax secutus sit, propter quod de moenibus arcis patriae infans praecipitaretur, quidnam volentes plurimi pro victimis avertendorum communium periculorum caussa inviti immolati sint. An haec non misera, sed foeda esse defensuri sunt? Magnopere vero haec misera sunt propterea, quod vel aliena ruina illi obruti vel pro communi salute mortem oppetiverunt. Alioquin foedae essent etiam caedes, quae in proeliis fiunt, in quibus persequendis studiose Homerus immoratur. Non est foedum, quod oculi Phoenici insonti eruuntur, non foedum, quod uxorem Othellius probissimam suffocat; sed miseri sunt ii, qui ad carissimos perdendos mentis errore abripiuntur, miseri ii, qui innoxii pereunt. Denique foeda sunt ea sola, quae temeraria libidine perpetrantur aut quae calamitates nullo probabili deorum consilio temere ac fortuito accidunt. Non fugit hoc Aristote-

lem, id quod ex his eius verbis (poet. c. 9, 11. et 12.) intelligitur: „Quoniam non solum consummatae actionis imitatio est tragoedia, sed etiam timendarum ac miserabilium rerum, hae autem et maxime et magis existunt, si res praeter opinionem aliae ex aliis nascantur (nam magis hoc mirum erit, quam si temere ac fortuito, quippe quum etiam eorum, quae fortuito accidunt, mirabiliora videantur ea, quae quasi consilio quodam effecta esse videntur, veluti cum statua Mityis Argis occidit eum, qui caedis Mityis auctor fuerat, incidens spectanti: videntur enim talia non temere accidisse), inde necesse est eiusmodi fabulas pulcriores esse." Idem sentiens Schiller foeda esse dixit ea, quae ab idoneis consiliis abhorrerent (das Zweckwidrige). Contra non recte ille foedum esse dixit, si probi homines ex secundis rebus in malas vel perditas devenientes ostendantur (poet. c. 13. §. 10.). An foeda sunt spectatu Palamedis, Socratis, Hussii damnatio atque supplicium? Quod autem dixit non debere eum, qui in res adversas incidat, omni peccato (ἁμαρτίας) vacare, supervacaneum est: nemo enim mortalium, quamvis sit egregius, vitiis vacat, et mortalitas ipsa vitium est.

Rerum adversarum in secundas aut secundarum in adversas commutationes materiam carminum omnium, quibus vel narrantur vel aguntur res, efficiunt: neque enim sine commutatione impeditio atque solutio (δέσις καὶ λύσις) rerum, neque sine his commotio animorum aut delectatio locum habere potest. Tanto autem impensius commovemur, quanto rerum commutatio admirabilior est quantoque longius fortunae status alter ab altero distat. Summa igitur miseria et summa felicitas hominum effingenda et conditio rerum humanarum ingenue ostendenda est. Quum autem magna neque infortunia neque felicitates sine magnis facinoribus evenire soleant, et magna facinora ex magnitudine vel virium vel animi vel ingenii nascantur: tanto graviora erunt carmina, quanto personae animi magnitudine, ingenii sollertia, fortitudine, audacia, virtute praestantiores. Nam et bona et mala summa fortissimis quibusque hominibus destinata sunt; desidiosis autem atque socordia tor-

pentibus nil nisi mediocria accidere possunt *). Audendum, conandum, moliendum est mortalibus: nam dii ipsi expugnari, eripi, extorqueri sibi volunt quaecunque non communia et vulgaria concedunt. Fortes fortuna adiuvat; fortibus Minerva, summi Iovis filia, cuius nomen ipsum consilium ac virtutem significat, in laboribus periculisque subeundis adest; fortes Iuppiter pro filiis sibi adoptat. Gaudet Iuppiter, quod Apollo et Mercurius nati statim ingeniorum sollertiam audaciamque manifestant (*γέλασε δ', ὅτι τέκος ἄφαρ ἔβα, πολύχρυσα θέλων λατρεύματα σχεῖν*, Iphig. T. 1274.); ridet, quod Diomedes iubente Minerva Venerem vulneravit (Il. ε, 426.); non ulciscitur, sed graviter increpat Martem ab eodem fugatum. Sic Mars ab Oto atque Ephialte vinculis clausus paene interiit; sic Orcus sive Hades ab Hercule inter cadavera stratus est mortuorum. Pegaso domito in coelum evolavit Bellerophon, Hercules ad inferos profectus in lucem protraxit Cerberum, mortalium terrorem; idem Neptunum domitum, quo minus undis naves mortalium obrueret, prohibuit. Verum neque hi neque reliquorum quisquam quae invitis diis ausi sunt impune tulerunt:

νήπιος, οὐδὲ τὸ οἶδε κατὰ φρένα Τυδέος υἱός,
ὅττι μάλ' οὐ δηναιὸς ὃς ἀθανάτοισι μάχηται,
οὐδέ τί μιν παῖδες ποτὶ γούνασι παππάζουσιν
ἐλθόντ' ἐκ πολέμοιο καὶ αἰνῆς δηϊοτῆτος.

Itaque Hercules furore divinitus immisso uxorem cum liberis sua manu ex laboribus reversus occidit; Bellerophon autem diis cunctis invisus (*ἀπήχθετο πᾶσι θεοῖσιν*) in campo Aleo erravit

ὃν θυμὸν κατέδων, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων.

Sic non sudore tantum ac labore, ut aiunt Hesiodus atque Epicharmus **), sed infortuniis quoque et summis animi corporisque doloribus constant quaecunque dii hominibus magna, praestantia et gloriosa concedunt. Haec est sen-

*) „Aber ich bitte dich, Freund, was kann denn dieser Misere Grofses begegnen? was kann Grofses denn durch sie geschehn?"

**) *Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν.*
Τῶν πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τἀγάθ' οἱ θεοί.

tentia non Graecorum tantum, sed omnium gentium, omnium poetarum, omnium philosophorum, quicunque non in quiete ac socordia summum bonum positum esse arbitrati sunt: hoc tantum inter eorum sententiam, qui plures deos colunt, et eorum, qui ab uno numine omnia administrari cognoverunt, interest, quod illi aemulationi interdum atque invidiae deorum tribuunt quae rectius hi benignitate dei optimi maximi dirigi, quo magis homines praestantissimi quique a vitiis atque erroribus purgentur, sibi persuadent. Nil enim rerum humanarum erroribus vitiisque vacat. Erramus, quum addiscimus vel aliquid novi investigamus; peccamus, simulatque aliquid concupiscimus *); iura legesque violamus etiam tum, quum reipublicae morbis mederi vel cuiuscunque hominum coniunctionis mala inveterata tollere conamur. Et quis tam abstinens, quis tam firmis probitatis armis munitus est, ut in media versans vitiorum scelerumque contagione non ipse interdum contaminetur **)? Accedit quod, quum inventa omnia paene aeque perniciosa atque salutaria sint, inventores ipsi statim utriusque conditionis fructum quasi anticipare solent. Sic Palamedes, qui litteras invenit, litterarum ope ipsarum circumventus est; sic Daedalus labyrintho, quod aedificavit, ipse inclusus, pennis, quas excogitavit, filium ipse perdidit. Sed ut a fabulis recedam, Columbus, qui primus in oceanum evectus novum terrarum orbem detexit, non fuit felicior Prometheo, qui ignem diis surreptum cum mortalibus communicavit. Uterque malorum, quae terrarum incolis intulit, poenas divinitus sustinuisse videtur.

---

*) „Es irrt der Mensch, so lang' er strebt."

**) „Dem bösen Geist gehört die Erde, nicht
Dem guten. Was die Göttlichen uns senden
Von oben, sind nur allgemeine Güter:
Ihr Licht erfreut, doch macht es keinen reich;
In ihrem Staat erwirbt sich kein Besitz.
Den Edelstein, das allgeschätzte Gold
Mufs man den falschen Mächten abgewinnen,
Die unterm Tage schlimmgeartet hausen.
Nicht ohne Opfer macht man sie geneigt,
Und keiner lebet, der aus ihrem Dienste
Die Seele hätte rein zurückgezogen."

Nunquam igitur magna sine doloribus efficiuntur, neque beata vita cuiquam nisi ignavo et quieto conceditur. „Licuit Achilli ad senectutem pervenire inter Myrmidones regnanti; licuit Nestori domi manenti otio et felicitate frui; licuit Ulyssi cum dea aetatem degere senectutis mortisque experti: sed maluerunt infelices quam ignavi, maluerunt se deorum hominumque iniuriis exponere, quam non uti virtute:" quod facientes tum admirabiles gerendo res tum atrocissima patiendo materiam carminibus epicis tragicisque dignissimam praebuerunt. Etenim haec carminum genera non rebus personisque, quas exhibent, sed tantum ratione exhibendi inter se differunt. Nam quum ex gerendis rebus necessitas patiendorum malorum, ex malis patiendis necessitas rerum gerendarum fortibus hominibus nascatur, quumque alterum alterius incremento quodammodo necessario augeatur: sequitur, ut neque in scribendis rebus neque in componendis carminibus alterum ab altero separari possit. Et profecto carmina Homeri quod attinet ad malorum multitudinem magnitudinemque tragoediis non sunt hilariora, neque rursus tragoediae rerum gestarum vel gravitate vel novitate inferiores sunt epopoeiis. Sed neque theatra rebus gerendis spatium dare neque rhapsodi doloribus exprimendis immorari possunt. Res enim fortiter gestas agendo imitari nemo potest, nisi qui, quum sit pari robore ac fortitudine praeditus, paribus certaminibus sustinendis idoneus est, cuius generis athletae sunt et gladiatores. Item proeliis imitandis amphitheatra, certaminibus virorum fortium spectandis circi idonei sunt. Theatra autem si talia imitari volent, nascetur illud:

— — „*Migravit ab aure voluptas*
Omnis ad incertos oculos et gaudia vana.
Quattuor aut plures aulaea premuntur in horas,
Dum fugiunt equitum turmae peditumque catervae;
Mox trahitur manibus regum fortuna retortis;
Esseda festinant, pilenta, petorrita, naves;
Captivum portatur ebur, captiva Corinthus."

Quemadmodum autem virorum fortium certaminibus et imperatorum rebus gestis gravitas dignitasque detrahitur imitando, ita affectus animi ac dolores narrati minus mo-

vent, quam imitando repraesentati. Neque haec imitatio quominus veritati respondeat, si modo is, qui imitatur, corpore ingenioque ad imitandum idoneo sit, quicquam obstat. Perturbationes enim, affectus et dolores corporibus animisque eorum, qui patiuntur vel pati videntur, continentur, neque ex locorum spatiis vel temporum opportunitatibus vel hominum congregationibus vel rerum facultatibus ipsi, sed tantum caussae eorum pendent, quae quidem facile commodeque possunt colloquiis orationibusque explicari. Et quicquid inter tragoediam atque epopoeiam intercedit discriminis, ex actionis et narrationis diversa natura pendet; consilium autem et finis utrique generi idem propositus est: utrumque enim hominum viribus virtuteque praestantium cum fortunae iniquitate conflictantium facta vult casusque exprimere vel rerum humanarum conditionem illustribus exemplis ob oculos positis ostendere. Rerum igitur amplitudinem et personarum dignitatem et consiliorum audaciam et factorum magnitudinem et affectuum vim et fortunae insolentiam eandem tragoedia atque epopoeia sequitur, mediocria autem, vulgaria, humilia, levia aspernatur. Sed in ratione tractandi multum inter se discrepant. Nam primum quum quae narrantur absoluta esse, quae aguntur fieri cummaxime fingantur, quumque illa pridem ad finem quietemque pervenisse, haec moveri, fervere et quasi quodam flumine devolvi videantur: narratori sive rhapsodo libero animo res propositas explicare licet et tanquam quiescentes a quacunque lubet parte adire et modo incitare gressus modo retardare, et recurrere ad priora et supplere omissa et pleniori rerum explicationi immorari *). Deinde *ἀοιδοὶ* illi epulantibus narrabant, qui non ad hoc ipsum convenissent, ut carmina audirent, et parvos circulos hominum otiosorum in regum aulis congregatos magis delectare quam commovere studebant. Contra actores vel mimi quum res tanquam praesentes agant et quae imitantur ipsi pati videantur, non possunt tanquam otiosi vagari neque exponendis rebus ad animorum suorum sensa nihil pertinentibus operam dare. Denique narrando

---

*) Cf. Schilleri et Goethii epist. n. 395. et 396.

nihil non potest explicari, neque est ullus locus, quem non adire, aut ullum tempus, ad quod non recurrere res gestas referentibus liceat. Contra imitationi praeter naturalia et communia, id est animorum sensa affectusque, nil fere idoneum est. Quorum affectuum caussas oportet graves et conditionem rerum novam, miram, ancipitem esse dignamque, quae moretur catervam vicinorum, civium vel popularium ad rumorem vel strepitum vel clamorem accurrentium; neque minus totius dramatis compositio digna esse debet, cuius spectandi caussa magnarum urbium frequentia in theatra conveniat, quae doctos indoctosque, nobiles humilesque commoveat et ad percipienda graviora, severiora, sublimiora traducat. Quemadmodum igitur prosae vel pedestris orationis genus nullum gravius est quam contentio, qua in iudiciis concionibusque disceptatur: ita carminum genus nullum acrius est quam tragoedia, quae nihil lene, nihil remissi, nihil placidi, nihil tranquilli patitur, sed grandia, splendida, fervida, concitata, vehementia desiderat; quae flectit, inflammat, incitat, abripit animos audientium; quae repraesentando quaecunque mortalibus gravissima, atrocissima, miserrima accidere possunt, familiaritatem quandam harum rerum animis contrahit, ut meditatione malorum metus miserationisque affectus quodammodo purgentur. Itaque Herculis insignibus, clava et pelle leonis, praeditam Musam tragoediae veteres effinxerunt, fortitudine illam et granditate summis heroibus similem esse significantes.

Hanc igitur vim virtutemque in Euripide inesse videns Aristoteles eum maxime omnium poetarum tragicum esse affirmavit. Quae virtus qualis sit, magis elucebit planumque fiet, si illum cum Goethio nostro compones, qui tragoediis scribendis tragicisque affectibus exprimendis minime se idoneum esse ipse sensit. Non defuit huic quidem facultas inveniendarum caussarum vere tragicarum effingendorumque casuum miserrimorum (nam citharoedi quidem persona, quae est in fabula Guilielmi Magistri, ad afficiendos misericordia animos aptissima ac ne Oedipo quidem minus tragica est); sed cum esset pacis atque tranquillitatis amantior et rerum atrocium vel cogitationem horreret,

etiam si quae horribiliora invenit lenitate quadam atque mansuetudine quasi veste amicuit et personarum tragicarum vultus non minus compositos esse voluit, quam statuarum. Quam tranquillitatem si qui Graecorum imitatione niti arbitrantur, vehementer errant, quum imaginum habitum a scenicorum actionibus parum distinguant. Compositos enim vultus et temperatos gestus imaginum esse oportet propterea, quod sunt firmi ac perpetui, neque quisquam diutius intuens depravatum atque distortum corporum habitum non fastidiret. Contra a scenicorum actionibus, ab aliis in alios gestus cito transeuntibus, nulla vel doloris vel laetitiae vel pavoris vehementia aliena est.

Hanc dissertationem praemittendam esse duxi Hecubae fabulae, qua haud facile ulla magis tragica inveniri potest. Quae quo tempore primum acta sit, etsi a nemine veterum scriptorum memoriae proditum est, tamen id Ol. 88, 4. factum esse satis certis ex indiciis intelligitur. Ante Ol. enim 89, 1. hoc drama vulgo innotuisse Aristophanes ostendit, ut qui in Nubibus bis ad illud respexerit: aperte enim v. 1165 seq.:

ὦ τέκνον, ὦ παῖ,
ἔξελθ' οἴκων, ἄϊε σοῦ πατρός,

de Euripidis versibus:

— — — *ὦ τέκνον, ὦ παῖ*
δυστανοτάτας ματέρος, ἔξελθ',
ἔξελθ' οἴκων, ἄϊε ματρός,

et versus 718 seq.:

φροῦδα τὰ χρήματα, φρούδη χροιά,
φρούδη ψυχή, φρούδη δ' ἐμβάς,

ex verbis eiusdem hisce (v. 162.):

φροῦδος πρέσβυς, φροῦδοι παῖδες,

effecti sunt *). Post Ol. autem 88, 3. in theatrum Hecubam delatam esse colligitur ex eo, quod primus Matthiaeus animadvertit, Delum insulam cum Apollinis sacris (v. 451 seqq.) ideo commemorari, quod inde ab Ol. 88, 3. eam insulam sibi Athenienses vindicarint et sollemnia Deliaca curare coeperint; cf. Thuc. III, 104. Diod. XII, 58. Si-

*) Cf. Zirndorfer. de chronol. fabb. Eurip. p. 39.

millima est carminis, in quo sacra Deliaca celebrantur, ratio atque eius carminis, in quo Siciliae virtutes a choro Troadum (v. 200 seqq.) praedicantur. Utrumque Atheniensium populo datum esse necesse est, quippe quum ad Graecorum principes, a quibus feminae captivae domum abducebantur, earum insularum neutra quidquam pertineret.

Illo tempore magnopere Cleon in republica florebat, Periclis quidem imitator, sed multum ei ingenio moribusque dissimilis. Ad huius exemplum Ulyssis personam expressam esse pridem animadversum est, et imprimis ad illum directa esse videntur probra illa (v. 129.):

— — — ὁ ποικιλόφρων,
κόπις, ἡδυλόγος, δημοχαριστής,

et v. 251 seqq.:

ἀχάριστον ὑμῶν σπέρμ', ὅσοι δημηγόρους
ζηλοῦτε τιμάς· μηδὲ γιγνώσκοισθέ μοι,
οἳ τοὺς φίλους βλάπτοντες οὐ φροντίζετε,
ἢν τοῖσι πολλοῖς πρὸς χάριν λέγητέ τι,

quibus conferas Thucydidis verba de Cleone dicta (IV, 22.): ἀνὴρ δημαγωγὸς κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ὢν καὶ τῷ πλήθει πιθανώτατος. Is igitur, Spartanis pacem petentibus, populum ad iniquissima postulanda instigavit effecitque, ut infecta re dimitterentur legati, cuius rei paullo post Athenienses poenituit. Qui quanto bonis odio fuerit, inde intelligitur, quod etiam cladem illos, si modo Cleone liberarentur, non aegre laturos fuisse Thucydides affirmat. Tales homines tanquam belli faces cum Paride comparabat noster. Ad calamitates autem belli Peloponnesiaci respiciens haecce dicit v. 641:

στένει δὲ καί τις ἀμφὶ τὸν εὔροον Εὐρώταν
Λάκαινα πολυδάκρυτος ἐν δόμοις κόρα·
πολιὰ δὲ κρᾶτα μάτηρ
τέκνων θανόντων δρύπτεται παρειάν.

Diagoram Melium eo demum anno, quo Aristophanis Aves actae sunt, aut eo, qui praecessit, Ol. 91, 1., impietatis accusatum Athenis fugisse Diodorus Siculus XIII, 6. et Aristoph. Av. 1072. ostendunt; diffamatam autem impietatem hominis iam eo tempore fuisse, quo Nubes Aristophanes docuit, inde intelligitur, quod in ea fabula

(v. 830.) Socratem poeta maledicus Melium cognominavit (*Σωκράτης ὁ Μήλιος*), quod esset idem ac si *ἄθεον* sive *θεομάχον* appellaret *). Neque absonum est suspicari populum Atheniensium, quum antea per tempora pestilentiae ad contemtum deorum pronus fuisset, repente mutatum ad deorum metum ac religiosam superstitionem redisse: cuius rei documentum est, quod, peste, cum paullulum intermissa fuisset, recrudescente, oraculum Apollinis de remedio consultarunt eiusque iussu Delum insulam sepulcris mortuorum purgarunt et sacra instaurarunt **). Inde etiam in philosophos, quorum disciplina deorum reverentia imminui videretur, iram excanduisse necesse est, neque dubito, quin illo tempore Diagoras atque Protagoras, si Athenis degissent, statim iudicio circumventi essent capitisque damnati. Quibus absentibus invidiae ii, qui aderant, obnoxii fuerunt, qua utens opportunitate Socratem innocentissimum comicus, quo nemo malitiosior fuit, traduxit. Considerantes eorum philosophorum, qui merito arguebantur, sententiam, eandem in Hecuba respici et rebus verbisque refutari intelligimus. Diagoram enim tradit Sextus Empiricus (adv. Math. p. 318.) iniuria a quodam affectum, cum is iureiurando interposito maleficium infitiatus esset neque ullam periurii poenam a diis accepisset, coepisse deos esse negare atque etiam carmen composuisse, cuius hoc fuerit initium:

κατὰ δαίμονα καὶ τύχην πάντα τελεῖται.

Inducitur ab Euripide femina a diis hominibusque destituta et iniuriis non minus perfidorum amicorum quam hostium triumphantium exposita, ut nihil usquam refugii vel praesidii invenire posse videatur, quam Talthybius in terra prostratam videns, *ὦ Ζεῦ*, inquit,

τί λέξω; πότερά σ' ἀνθρώπους ὁρᾶν;
ἢ δόξαν ἄλλως τήνδε κεκτῆσθαι μάτην
ψευδῆ, δοκοῦντας δαιμόνων εἶναι γένος,
τύχην δὲ πάντα τἀν βροτοῖς ἐπισκοπεῖν;

---

*) Schol. *Ἐπεὶ Διαγόρας, Μήλιος ὤν, διεβάλλετο ὡς θεομάχος, καὶ τὸν Σωκράτη δὲ ὡς ἄθεον διαβάλλει, διὰ τοῦτο Μήλιον αὐτὸν ἔφη.*

**) Diod. l. l.

Eandem Polymestor conveniens, quasi se iactans de impunita improbitate sua,

φεῦ, inquit,
οὐκ ἔστιν οὐδὲν πιστὸν οὔτ' εὐδοξία,
οὔτ' αὖ καλῶς πράσσοντα μὴ πράξειν κακῶς·
φύρουσι δ' αὔθ' οἱ θεοὶ πάλιν τε καὶ πρόσω,
ταραγμὸν ἐντιθέντες, ὡς ἀγνωσίᾳ
σέβωμεν αὐτούς.

Haec tamen imbellis atque abiecta mulier regem fretum amicitia victoris exercitus et ducum potentissimorum auxilio munitum penitus cum stirpe evertit, qui mirabilis eventus manifestissima numinis vindicta efficitur:

τὸ γὰρ ὑπέγγυον
δίκᾳ καὶ θεοῖσιν οὐ ξυμπιτνεῖ,
ὀλέθριον ὀλέθριον κακόν.

Ad contemtum igitur rerum divinarum, quem quidam temere impudenterque profitebantur, non minus Euripides quam Aristophanes respexit.

Eidem didascaliae fabulas Alcmenae sive Licymnii, Plisthenis sive Pelopidarum, et Thesei accenseo: quae coniectura quibus indiciis nitatur, infra docebo.

A. Hecuba.

Res agitur reginae illius Troianae quondam felicissimae atque opulentissimae, nunc tanta malorum copia obrutae, quanta vix quemquam mortalium uno tempore oppressum esse accepimus. Regno everso, urbe incensa, coniuge liberisque trucidatis, ipsa in servitutem detrusa, nihil relictum est miserae praeter duos liberos, Polyxenam et Polydorum. Nam Cassandra superstes quidem est, sed abrepta ab Agamemnone. His autem solis malorum solatiis eam uno tempore duplici hominum crudelitate spoliari videmus. Ferendae sunt deorum iniuriae animo quam potest fieri aequissimo: at hominum saevitiam quis, nisi ignavus, patienter ferat? Itaque mulier magnanima non vermis instar, qui calcatur, sed fetae leaenae, cui catuli

erepti sunt, ultionem persequitur, latronum alteris pro gladio utens, quo alteros ex insidiis adorta iugulet. Regem, victorum socium, exquisito supplicio afficit; victores ipsos, cum punire non possit, certe ad prodendum socium adiuvandumque consilium suum adducit. Sic anus destituta, solitaria, afflicta regem auxilio potentissimorum ducum et magni exercitus fretum percellit. Horret animus crudelitatem, qua virum a feminis mutilari videmus; abominamur iracundiam, quae non possit nisi ulciscendi saevitia satiari; maius et generosius esse ducimus caussam nostram deo defendendam commendare, quam manus caede cruentare. Sed Graeci eversis cum patria legibus etiam deorum praesenti auxilio se carere putabant; praeterea etiam ultionem ipsam a diis sibi concedi committique sciebant; tum in miserias Hecubae sic et amici et hostes insultaverant, ut magnopere esset mirandum, nisi in rabiem efferata dolorem ulcisceretur.

Scitissime consociavit poeta et ad unius dramatis fines angustissimos revocavit res locis temporibusque separatas: nam Polydorus in chersoneso Thraciae, Polyxena in Troade interficitur; ille pridem occisus est, haec cummaxime immolatur; alia a Graecis, alia a Thracibus aguntur. Quum autem vindicatam ex egestate atque angustiis tragoediam noster actionum varietate et maiore rerum implicatione locupletarit ingressusque sit eam viam, quam tenendam esse omnes postmodum variarum gentium tragici intellexerunt, non effugit reprehensionem eorum, qui male fieri quidquid aliter fieret, atque Aeschylus aut Sophocles fecisset, sibi persuaserunt, quorum errorem res ipsae, simulatque explicatae erunt, arguent.

Actio fabulae constituitur in Thraciae chersoneso, quae Troadi est ex adverso posita. Ad illam enim Graeci naves applicasse finguntur, quod Achillis umbra super tumulum apparens cursui eorum domum proficiscentium moram intulerit *), ac tertium iam diem ibi desidere (v. 33. et 133.).

---

*) Miror, quod haec tam aperte declarata (vv. 113. 114.) perperam intelligere Sommerus potuit, qui morantibus etiamtum in agro Troiano Achivis manes Achillis apparuisse dicit.

Ex eodem loco vel omnes vel pars eorum Iphigeniam immolatura postmodo freto traiecto in Troiam redisse putanda est *). Prooemium dicendi munus manibus mandatum est interfecti Polydori, cuius anima, corporis liberata vinculis, instar dei non minus futura praedicere quam praeterita explanare et locupletissime auditores docere posset. Diis enim, quo manifestior esset Hecubae solitudo, consulto noster abstinuisse videtur. Manium autem praesentiae cave quidquam immanitatis, quod horrorem stuporemque iniiciat, inesse putes: longissime enim Graeci abfuerunt a terriculorum, quibus mulierculae puerique moverentur, fictione, ut quidquid vel deorum vel daemonum vel manium repraesentarent naturali et vulgari forma praeditum inducerent. Nondum dies illuxit, cum Polydori anima ex tentorio redit, in quo versans dormientem matrem somniorum visis praemonuit **). Refert autem se parvulum Polymestori, Thracum tyranno, cum magna auri vi traditum, statim, postquam Troia capta fuerit, a perfido hospite, qui et pecuniam retinere et Graecorum gratiam inire vellet, interfectum et in maris undas abiectum esse; nunc impetrata ab inferis diis redeundi venia, ut sepulcri honorem assequatur, et ipsum matri in somnis apparere et corpus in littore eiectum ostensurum esse. Simul Polyxenae, sorori suae, postulantibus Achillis manibus, pereundum esse ostendit: id enim a Graecis in illa chersoneso morantibus agi, ut virgine immolanda fortissimi viri manibus satisfaciant. Uno igitur die duorum liberorum funera mulier infelicissima, quae cummaxime e tentorio, somniorum visis territa, progreditur, adspectura est. Hae res ipsae citra verborum tumorem satis auditorum animos metu atque miseratione occupant.

Repraesentatur in scena Agamemnonis praetorium cum valvis tribus, media regia et duabus hospitalibus. Ex ha-

---

*) Confer quae de scena dramatis Pflugkius et praecipue Sommerus disputarunt.

**) Tertium iam diem relicto orco vagatur (v. 32.): inde illud *ἥκω νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας λιπών* non ad praesens tempus referendum esse intelligitur.

rum altera prodit Hecuba *), neque tamen ambulat, sed titubante pede repit partim a famulis sustentata partim scipioni innixa. Non poterant spectatores anum sic aegritudine fractam videntes non reminisci calamitatum, quibus oppressa erat. „Nam beatissimi quondam Priami coniux Asiaeque regina e summo dignitatis, opum ac potentiae fastigio in profundum miseriarum deturbata est, e rebus florentissimis ad calamitosam fortunam deiecta. Quae nuper regina salutabatur, quam satrapae opulentissimi obsequiis captabant, cui incedenti universi coetus venerabundi assurgebant, cuius imperium terra marique latissime patebat, ad quam unam omnes respiciebant, cui filii domi militiaeque clarissimi erant, filiae in pulcerrimam regiorum connubiorum spem nutriebantur: hanc Graeci viduam, amicis et liberis orbam Troia humi fumante, in externum abducunt orbem, et reginae titulo adsuetam servam appellant. Iam praeter reliquas innumeras infelicis servitutis molestias filiam, unicum aerumnarum solatium imbecillemque aetatis baculum, e conspectu, e manibus ac complexibus abripi ad caedem visura est; filium ad hospitem missum ea spe, ut, si Troia in Graecorum potestatem veniret, pecunia satis grandi Priami genus et regnum instaurari posset, non vivum, non vigore adolescentiae florentem, sed trucidatum, in mare proiectum, cadaver inhumatum receptura est."

Quas clades praesagiens insomniis vexata, visis spe-

*) Intelligitur hoc ex versibus 54. et 1016., quorum illo Hecuba ex Agamemnonis tentorio prodiens inducitur, altero se non in eodem cubiculo cum Graecorum imperatore, sed separatam cum famulis et filia, quas gratia Agamemnonis miserae relictas esse putandum est, habitare declarat. Reliquae captivae singulis ducibus, quibus servirent, assignatae ex suis quaeque tentoriis progressae ac deinde congregatae per parodum incedentes in scenam prodeunt. Hoc enim aperte versu 102. declaratur (ἵν' ἐκληρώθην καὶ προςετάχθην δούλη); neque cum his pugnant quae carmine secundo (v. 444—483.) continentur, quo terrarum, non dominorum, ignorantiam produnt mulieres.

ctrisque nocturnis expergefacta, primo mane adest *), averruncandorum malorum caussa optans, ut Heleni, pridem mortui, anima sibi obviam fiat, quae terriculamenta interpretetur, aut Cassandra hoc facere possit **). Duplex autem species ei per quietem oblata est: primum enim Polydorum in Thracia interfectum conspicere sibi visa est; deinde cervam, quam in gremio teneret, a lupo abstractam vidit laniari, propter quod visum de filia timet: neque enim ignorat unam ex Troadibus ab Achille praemium postulatam esse.

Inter has querelas dum anus pavore consternata ad Agamemnonis praetorium redit, Cassandram evocatura, obviam habet forte prodeuntem chorum captivarum ***), statim ea nuntiantem, quae interpretationibus somniorum certiora sunt, Polyxena ut pro victima Achilli, qui in tumulo apparens navium cursum inhibuerit, caederetur, in Graecorum concione decretum esse. Neque hoc tantum docent, sed accuratius etiam totam deliberandi rationem persequuntur. Immolari victimam necesse erat: eadem enim erat in chersoneso retentorum quae quondam, cum domo pro-

*) Diei tempus his maxime verbis significatur: *ὦ στεροπὰ Διός, ὦ σκοτία νύξ*, quod, etsi non accurate, tamen ad sensum recte interpretatus est Ennius:

„*O magna templa coelitum, commixta stellis splendidis.*"

**) Recte scholiastes: *εἶπε δὲ ψυχὴν Ἑλένου, ἐπειδὴ τεθνηκὼς ἦν, Κασάνδραν δὲ καὶ οὐ Κασάνδρας, ἐπειδὴ ζῶσα ἦν.* Cassandrae divinatio magis etiam quam antea fide carebat, cum esset Agamemnonis pellex. Quamobrem defuncti prius etiam quam superstitis Hecubam meminisse non est mirandum. Mortuum autem esse Helenum luce clarius ostenditur versibus 423—427., qui fugisse videntur Matthiaeum ad v. 84. Porsoni contradicentem.

***) Schol. *ἔοικεν οὐ διασωθῆναι Ἑκάβην μέχρι τῆς σκηνῆς Ἀγαμέμνονος, ἐμποδισθεῖσαν παρὰ τοῦ χοροῦ, ἀλλ' ἀπελθεῖν εἰς τὴν σκηνὴν Πολυξένης.* Minus recte posterius notavit. Polyxena enim, nondum matri erepta, una cum hac in praetorio degebat, ex quo Hecuba ipsa prodierat. Erravit idem, chorum ex praetorio prodire putans. Non ex uno, sed ex pluribus dominorum tentoriis feminae, pridem principibus distributae, coierunt. Nec potuerunt in uno tentorio seden-

ficiscerentur, in Aulide desidentium Graecorum conditio, ut vita unius captivarum cursus navium utique redimendus esse videretur. Hanc igitur verissimam sententiam Theseidis defendendam noster attribuit. Neque tamen nominatim Polyxenam Achilles poposcerat, sed credebatur eam postulare *), neque vacabat crudelitatis crimine Ulysses, hanc potissimum immolari iubens. Agamemnon autem, ut solent Atridae, amori et cupidini obnoxius conspicitur. Nam quum aequum esse intelligat, ut pro Polyxena matri Cassandra restituatur, ne hac ipse privetur cavens, communem omnium salutem suo commodo rursus eodem cum dedecore, quo quondam, quum Chryseidis caussa Achillem contumelia afficeret, postponit. Inde contentiones et iurgia nascuntur, quae componuntur quidem Ulyssis interventu, sed iniustitiae crimen sceleri profanatae sacerdotis Agamemnon adiungit, cuius sibi culpae conscius postea ultionem Hecubae adiuvat. Ceterum haec considerantibus planum fore spero salutem liberorum Hecubae omnium, qui superstites sint, non duorum tantum, agi atque in discrimine versari, nec potuisse ultionem interfecti eius, qui spes recuperandae salutis instaurandique regni fuerat (*οἴκων ἄγκυρα*), sine duarum sororum incommodo procedere.

Haec numeris anapaesticis, qui sunt res exponentibus choris aptissimi, declarantur. Commiscuit autem poeta parodum cum colloquio, quod aliis in fabulis huic praemittitur, partemque eius colloquii ad chorum ipsum transtulit. Hecuba autem his auditis cum flebilibus lamentis ad tentorium gressus referens Polyxenam clamoribus excitat deque calamitate imminente certiorem facit. Misera est filia, sed miserior mater. Illi enim mors exoptata contingit, quamobrem non se, sed matrem deplorat, cui servitutis socia tanquam catulus solitariae leaenae eripiatur. At mater quamnam civitatem, quem coniugem, quos liberos opem

---

tes rem, quam exponunt, tam accurate cognoscere. Itaque etiam festinantes, ut longius spatium emensae, procedere se testantur.

*) Cf. vv. 111. 91. et 40., quibus adde quae de hac re Sommerus diligentissime exposuit.

imploratura adeat, qui omnes simul cum diis patriis interierunt?

Venit statim, sicut nuntiatum est, Ulysses, victimam abducturus. Monet Hecubam, ut patienter ferat quae vitari nequeant, neve cum potentioribus frustra contendere velit. Eiusdemque generis Polyxenae sunt adhortationes: „Visne cadere in terram ac trahi tuum corpus senile per vim protrusae? vis iuvenum manibus revulsa dedecorari? Haec enim evenient: id quod absit! Non enim decet." Nihilominus Hecuba precibus lacrimisque contendere non dedignatur. Potest igitur inferior quam filia esse videri iis, qui virtutes et sapientias ebulliunt. Aliter sensit poeta, quo in perspicienda mulierum natura nemo fuit acutior. Centies enim matres, quae quidem vere materno sunt animo, se ipsas, quam semel liberos mori malunt. Anceps autem genus est generositatis nostrorum incommoda forti animo et constanti ferre. Denique magis perturbari eam, cuius sors miserior sit, frustra tentare quae nihil profutura sunt, et retinacula quamvis infirma apprehendere, quis miretur? Accedit, quod matre non reluctante tolleretur actionis vigor et relinqueretur sola virginis laudatio Ulyssisque vituperatio. Et hic quidem iis, quae pro sua caussa verissima dicit, posset excusatus videri, nisi propriis Hecubae beneficiis obstrictus esset. Congruunt enim illa cum iis, quae Thesei filii dixerunt, tumulum viri fortissimi, cuius maxime opera parta sit victoria, quandoquidem ipse poscat, virginis captivae victima utique decorandum neque committendum esse, ut, aequato bonorum atque ignavorum honore, languescat fortium virorum virtus. An mortuum honore destitui conducebat eum, qui vivus, cum rerum gestarum praemio fraudaretur, paene perniciem omnibus attulit et nunc iterum allaturus est? Despicere autem honorem philosophorum est; contrariam sententiam Graeci publice tuebantur, quam quod Ulyssi propriam noster attribuit, recte fecit et argumento fabulae convenienter *).

*) Erravit igitur scholiastes Socraticae philosophiae vestigia in his sibi deprendere visus ad v. 314: *Σωκρατικὸς καὶ οὗτος ὢν καὶ τὴν ψυχὴν νομίζων καὶ μετὰ τὸν θάνατον ἐν τῷ ᾅδῃ ζῆν, διαστέλλων ἐκείνης τῆς ζωῆς ταῦτά φησιν.*

Conferamus iam cum hac Ulyssis *ἀνασκευῇ* Hecubae *παρασκευήν* *). Argumentorum, quibus haec utitur, genera sunt duo, alterum commune ad omnes Graecos, alterum proprium ad Ulyssem pertinens. Et illud quidem genus satis infirmum est, vel certe alienum a moribus institutisque aetatis, quae vocatur heroica. Omnino enim homines pro bestiis immolari rectum esse negat: qui si vel maxime immolandi sint, sontes deligi oportere, non innocentes et a caussa malorum remotissimos. Ergo Helenam caedendam esse, et belli auctricem et formae pulcritudine praestantem. Haec sui saeculi humanitati ab Euripide tributa esse apparet: quae quamvis, quod ad fabulam attinet, inania sint, tamen theatri gratiam Hecubae potuerunt conciliare. Ceterum ut esset propter quod iure Hecuba Ulyssi irasceretur et iniuriam sibi fieri quereretur, illum quondam, cum Ilium speculator intrasset, servatum a regina Troianorum esse finxit poeta. Minus probabile hoc Euripidis quam Homeri (Od. δ, 242.) commentum esse iudicavit Eustathius cum scholiastis **), quos fugit Themistoclis exemplum in his fingendis perinde atque in Telephi discrimine, quem hostem Clytaemnestra occultavit, ob oculos Euripidi versatum esse. Motam autem esse mulierem, quamvis constantem, dignitate atque discrimine viri clarissimi genua eius suppliciter amplectentis, ut publicum commodum negligeret, non est mirandum. Ceterum haec fingi propter Polymestoris supplicium necesse fuit. Neque enim credibile esset licere feminae captivae regem victorum socium impune pessumdare, nisi viros Graecorum principes, i. e. Agamemnonem atque Ulyssem, quorum alter imperio, alter ingenio pollet, variis beneficiis obstrictos haberet: qui patriae quidem commodum privatae gratiae postponere, vulgi

---

*) Schol. ad v. 298: *Ἑκάβης λόγοι παρασκευῇ ἐοίκασιν, οἱ δὲ τοῦ Ὀδυσσέως ἀνασκευῇ.*

**) Eustath. Od. δ. p. 1495, 5: *καὶ ὅρα, ὅτι πολὺ πιθανώτερος ὁ Ὁμηρικὸς οὗτος ὑπὸ μόνης Ἑλένης ἀναγνωρισμὸς ἤπερ ὁ κατὰ Εὐριπίδην, ἐν ᾧ καὶ τῇ Ἑκάβῃ κατεῖπεν ἡ Ἑλένη.* Schol. ad v. 238: *ἀπίθανον δὲ τὸ πλάσμα καὶ οὐχ ἁρμόδιον· οὐ γὰρ ἂν ἐσίγησεν Ἑκάβη, πολέμιον θεασαμένη κατοπτεύοντα τὰ κατὰ τοὺς Τρῶας πράγματα.*

invidiam reverentes, noluerunt, iidem peregrini punitionem lubentissime concedunt neque alienis impensis suum debitum exsolvi aegre ferunt.

Ad Hecubam redeo, quae perinde, atque Ulysses suam quondam dextram supplex attigit, ipsa vicissim manum ingrati contingit haecce dicens: „Noli filiam, unicum malorum solatium, e manibus meis abstrahere: haec enim mihi pro patria, pro nutrice, pro scipione est. Non decet victores potentia abuti, neque qui rebus secundis utuntur perpetuam fore felicitatem sperare. Miserere mei et reversus ad exercitum Graecorum doce, quam sit res invidiosa mulieres interficere raptas ab aris, quibus antea peperceritis. Certe enim vestris legibus pari poena servorum caedes atque ingenuorum vindicatur. Auctoritas autem tua, etiam si minus grata dices, persuadebit." Haec frustra tentantur in eo viro, qui omnia ambitioni, nil misericordiae neque humanitati tribuit, qui, nisi ferreae frontis esset, ad abducendam Polyxenam non ipse venisset. Quin etiam, ne virgo mentum aut dextram apprehendere supplex possit, os retro torquet manumque pallio occultat. At haec tantum abest, ut genua viri advolvatur aut se turpiter abiiciat, ut mori ultro cupiat, necem humilitati ac servituti, in qua nihil boni sperare liceat, anteponens. Tam generosam regiae virginis indolem repraesentans poeta heroicos mores servasse scholiastae videtur *), qui quidem immerito heroicae disciplinae tribuit quod philosophicae erat: sola enim philosophia rationem ostendit, qua possis, etiam quum vim patiaris, quum contumeliose et crudeliter tracteris, victor et triumphans apparere. Quamobrem ante Euripidem nemo tragicorum immolationes hominum theatro spectandas recte exhibere potuit. Hominem enim instar pecoris ad necem per vim rapi indigna res est, neque erigendis, sed frangendis animis spectatorum idonea. Neque tamen quisquam eorum, qui mortem malorum summum esse ducunt, aequo laetoque animo eam obire potest. Atque aliud

*) *ἐνταῦθα ἐφύλαξεν ὁ Εὐριπίδης τὸ ἡρωϊκὸν ἦθος· οὐ γὰρ ταπεινῶς, ἀλλὰ μετὰ παῤῥησίας τὴν Πολυξένην λέγειν εἰςήνεγκεν.*

est pugnantem interfici, vel de salute desperantem perturbatione animi ad mortem sibi consciscendam adigi, aliud vitam sponte abiicere, cum servari te posse speres. Nam et qui in proeliis occiduntur et qui malis circumventi se ipsi interficiunt, inviti moriuntur. Est autem horum calamitas tragoediae apta propterea, quod occumbentium virtus fortuna superior in reluctando pugnandoque apparet. Contra ubi aliquis pro victima ad aram abstrahitur, huic praeter preces et lacrimas nihil, quo necem avertat, relinquitur; virtutem hac sola ratione praestare potest, si mortem despiciens ipse se devoveat immoletque, antequam immoletur. Et sentit etiam Hecuba, quanto filiae sors sua praestantior sit, et quodammodo cogere Ulyssem, ut se una ad mortem ducat, conatur. Postquam autem virgo generosissima, valere iussa matre cum sorore et fratre, qui apud Thracas solus superstes esse putabatur, ex Hecubae amplexibus abiit, haec deficiente animo humi procumbit vestibusque involuta instar mortuae usque ad nuntii reditum iacet. Chorus neque deplorat virginis sortem neque felicem praedicat, ceterum calamitosae servitutis recordatus seque ad servilia negotia obeunda in peregrinas longinquasque terras abstrahi conquerens, communia mala Hecubae propriis accenset *).

Temporis spatium, quo ad perficiendum in Troia sacrificium opus erat, callide a poeta, nullam itineris navigationisque mentionem faciente, celatur **). Atridarum autem beneficio Talthybius, qui ut praeco sacrificanti Neoptolemo adstitit, ad Hecubam arcessendam mittitur, ut filiae corpus ipsa sepeliat. Qui ubi conspexit Hecubam servam, anum, orbam, humi iacentem, pulvere inquinatam, quae modo Priami coniux atque opulentorum Phrygum regina fuit, vehementer commovetur tantam fortunae commutatio-

*) Schol. ad v. 441: *τοῦ Ὀδυσσέως λαβόντος τὴν Πολυξένην καὶ ἀπερχομένου ἀνακλαίεται αὐτὴν ὁ χορὸς διὰ τὸ ἄδηλον καὶ τὸ μὴ εἰδέναι, τί μέλλει παθεῖν αὕτη* (scribe *αὐτή* vel *αὐτός*).

**) Digna sunt cognitu quae de hac re Sommerus disseruit, qui quidem recte universum paene exercitum ad sacra facienda Troiam redisse iudicavit.

nem reputans iniiciturque ei dubitatio, ulline dii mortalium calamitates respiciant, an fortunae arbitrio omnia temere accidant. Hecuba autem conspecto praecone, se quoque ad mortem ab eo abductum iri sperans, alacris surgit, quasi laeto nuntio recreata. Sequitur deinde praestantissima narratio, cuius quasdam partes in Lucretiae morte describenda Ovidius imitatus est. Vix quisquam poetarum graecorum virginalem modestiam atque pudicitiam coniunctam cum generosae indolis et ingenuae disciplinae praestantia verius digniusque persecutus est, quam Euripides, qui putatur fuisse mulierum criminator. Solus ille mollitiem cum constantia et teneritatem cum fortitudine consociavit et propriis ubique animi affectibus, non translatis a virorum natura, commotas feminas exhibuit. Insunt autem huic narrationi quae, etiamsi non sint verbis exposita, tamen sentiantur. Videtur enim Achilles ipse praesens sponsam virtute sua gloriaque dignam ad inferos secum abducere. Cogitare haec et sentire virgo, sed verecunde celare videtur. Neque subito innata est in animo virginis illa animi altitudo et rerum humanarum despicientia, sed quum pridem viro eximio desponsa fuisset, non potuit non animi cogitationes ad imitandam illius virtutem, quatenus in muliebrem cadit naturam, dirigere. Inde non est mirandum, quod servitudo multo illi, quam reliquis feminis, acerbior esse visa est. Haec significantur versibus 349 seq.:

βασιλεῦσι νύμφη, ζῆλον οὐ σμικρὸν γάμων
ἔχουσ', ὅτου δῶμ' ἑστίαν τ' ἀφίξομαι,

et 362 seq.:

λέχη δὲ τἀμὰ δοῦλος ὠνητός ποθεν
χρανεῖ, τυράννων πρόσθεν ἠξιωμένα.

Egregie poeta admirationem tantae virtutis magis factis quam verbis fecit significari. Primum enim ex militibus nemo tam ferus est, quin ad honorandam virginem aliquid contribuat, et certatim eam tanquam gravissimi certaminis victricem frondibus spargunt. Tum Talthybius, qui haec neque videre neque exponere sine lacrimis potuit, matrem infelicissimam eandem felicissimamque praedicat propter talem filiae conditionem. Hecuba autem ipsa, quamvis

maxima malorum mole oppressa, tantam filiae virtutem considerans animo confirmatur. Cuius rei testimonium est, quod ad meditationem a lamentatione transiens effatur illud, quod Polyxenae exemplo declaratur, virtutem non extrinsecus religatam pendere, sed omnia sua complexam nil quaerere aliunde. Negat igitur eam cum fortuna mutari aut rebus adversis corrumpi, sicut agri malo coelo malos, bono utentes bonos edant fructus, sed in omni sibi fortuna constare; et quidem ex aequa parte eam natura atque disciplina gigni. Improbata haec est eius meditatio a quibusdam aestimatoribus, ab aliis, et merito quidem, probata *). Verbis enim exprimi ea, quae docere voluit poeta Polyxenae exemplum proponendo, plane necesse fuit; neque aut persona aut tempus magis opportunum reperiri potuit. Aut igitur omittendum Euripidi fuit illud disciplinam bene vivendi tragoediis suis illustrandi institutum, neque ullae ea eruditione excultae personae, qualis et Polyxena et Hecuba sunt, effingendae, aut eidem praecepta, quibus exempla explicarentur, aptis locis disponenda. Officium enim est poetarum intelligentiae auditorum succurrere atque ea, quae sint et ad interpretandam fabularum structuram et ad ostendendum consilium suum idonea, operibus ipsis inserere.

Meditatio primus est quasi gradus confirmationis animi ex torpore excitati, secundus est rerum actio, quum quasi ex ruina miseri se erigunt atque a loco, in quo prostrati iacuerant, abeunt. Hoc facit Hecuba, dum ad componendum, abluendum sepeliendumque filiae corpus se accingit et quae necessaria esse videntur constituit. Iubet

---

*) Schol. ad v. 596: *τινὲς ἐπιλαμβάνονται τοῦ ποιητοῦ τῷ βάρβαρον εἰςάγειν καὶ λέγειν, (τί) γνωρίσῃ περὶ φύσεως. Ἀλλ' οὐ τὸ τυχὸν πρόςωπον ἡ Ἑκάβη, ἀξιοπρεπὲς δὲ ὡς ἀρχικόν.* Eustath. ad Il. *v.* 930, 39. (v. 292.): *Εὐριπίδης μὲν οὖν τὴν Ἑκάβην ἠθικευομένην πλάσας καὶ φιλοσόφως προβαλλομένην ἀπορίαν καὶ λύουσαν ἐν τῷ ἆρ' οἱ τεκόντες κτλ., εἶτα καταγνοὺς ἀκαιρίαν τῆς τοιαύτης φιλοσοφίας τοῦ λόγου ἐπήνεγκεν Ὁμηρικῷ δήπου ζήλῳ τὸ ταῦτα νοῦς ἐτόξευσεν μάτην. Ἀλλ' ἐὰν μάτην, διὰ τί, ὦ Εὐριπίδη, ὅλως ἐτόξευσεν;*

autem nautarum ferorum turbam a corpore virginis castissimae arceri; mittit ministram quandam fidam ad aquam marinam apportandam; hortatur captivas, ut, si quid mundi ex prioribus divitiis servatum sit, ad inferias conferatur. Inde necessario ad meditationem redit, fragilitatem rerum humanarum reputans, negatque fortunae unquam confidendum esse, sed satis habendum, si cui in diem nihil mali acciderit.

His sic peractis chorus, ad fontem malorum recurrens, ex Paridis Helenaeque dementia et Troiae interitum et Graecis luctum natum esse ostendit. Haec sunt decantata illa et ubique obvia. At enim in talibus non studebant novitati veteres poetae, neque theatra eadem centies repetita inculcari, dummodo vera atque utilia essent, aegre ferebant. Debuisse autem chorum in hac tragoedia non totum se ad Hecubam applicare, sed communem quoque sortem spectandam proponere, infra docebimus.

Fida famula, ad mare missa, unde aquam abluendae Polyxenae afferret, in littore eiectum corpus Polydori reperit agnitumque statim ad matrem infelicissimam retulit, quae Polyxenae corpus afferri putans detracta veste repente filium crudeliter laniatum abiectumque cognoscit. Ab hospite Thracio hoc tam scelestum, inauditum, dirum facinus quin patratum sit, somniorum visa dubitare non sinunt, neque, quae erat illorum hominum opinio, alio firmamento opus erat. Potuit Euripides nuntium e Thracia venientem adhibere, sed efficacius ad miserationem indignationemque movendam erat cadaveris ipsius repraesentatio. Sed plane singulari arte Euripides res spatiosissimas et longinquissimas ad communionem locorum, temporum actionumque sic scit revocare, ut et ad cognoscendum opportunissimae sint et ad movendum aptissimae. Cui quum migrare theatri leges sane angustas aut recedere a more recepto non liceret simulque intra illos fines tragoediam consistere non posse, sed actionum copia et varietate augendam esse persuasum esset, hoc certe ingenii virtute perfecit, ut non unam semper actionem vel catastropham, sed duas aut plures, quarum alia ex alia nasceretur, dramatibus concluderet. In quibus quod recentiorum quidam

(veterum enim nemo vituperavit) argumentorum simplicitatem desiderarunt, magnopere mirandum esset, nisi fuissent aut ii, qui praeter vocabulorum formas verborumque compositionem nil accuratius examinare solerent, aut ii, qui vix satis graece scirent ad legendum exemplar ipsum et cognoscendum familiarius. Sed ad propositum redeo. Ex tribus liberis, qui quasi ex naufragio servati Hecubae superfuerunt, duobus orbatur, tertii gratia alterius iusta funebria, alterius ultionem consequitur. Duplex caedes eiusmodi est, ut duplex genus iniuriarum, quibus victi obnoxii esse solent, violentiam victorum et perfidiam amicorum, repraesentet. Simul hoc inter utramque interest, quod altera a necessitate, altera a temeritate proficiscitur. Necessitati parendum, temeritatem vindicandam esse iudicant homines fortes. Nam non solum obviam eundo, sed etiam cedendo vincitur fortuna, qua ratione non Polyxenam tantum, sed etiam Hecubam calamitate superiores esse apparet. Temeritatem autem et nefas qui inultum sinit, ignavus est atque ex eo genere hominum, qui, ut aiunt, nec sibi nec alteri. Neque ira tantummodo, quae quidem vehementius inflammatur accedente victorum iniuria, sed etiam pietate Hecuba ad vindicandum crudeliter crudelissimum facinus incitatur. Officio enim et legi divinae satisfacit Polymestorem puniens, id quod aperte declaratur chori verbis (v. 830.):

καὶ τὰς ἀνάγκας οἱ νόμοι διώρισαν.

Νόμοι sunt illae non scriptae leges, sed natae, sive *ἄγραπτα κἀσφαλῆ θεῶν νόμιμα* (Soph. Antig. v. 454.), quibus parent etiam dii (v. 782.). Hae omnibus vinculis, quibus homines inter se iunguntur, omnibusque necessitatibus superiores sunt *), ut recte Hecuba ad perfidiam hospitis ulciscendam cum ipso inimico atque infestissimo domus suae patriaeque hoste foedus atque amicitiam ineat. Hanc

---

*) Rectissime scholiasta haec interpretatus est hisce verbis: *καὶ ἡ ἀνάγκη γὰρ αὐτή, ᾗ συνδέονται φίλοι ἢ συγγενεῖς, καταλύεται καὶ τρέπεται τοῖς νόμοις, καὶ ἡγούμεθα τὸν παρανομοῦντα φίλον πολέμιον, τὸν δὲ μὴ παρανομοῦντα καὶ ἀδικούμενον φίλον, εἰ καὶ πολέμιός ἐστι.*

credo sententiam, si satis a multitudine intellecta esset, non minus invidiosam, quam illud ἡ γλῶσσ' ὀμώμοκε, futuram fuisse. Manifesto enim docet nullum foedus vel vinculum tam firmum esse debere, quod non violandum sit, si pugnet cum iis legibus, quibus non homines tantum, sed etiam dii teneantur. Necessitati enim parere servorum est, iustitiam, pietatem honestatemque sequi sapientium:

πᾶν τοὐξ ἀνάγκης δοῦλόν ἐστ' ἐν τοῖς σοφοῖς

(Orest. 478.). Unde efficitur, ut legibus parendum sit non quatenus sint sancitae sive iis insit necessitas, sed quatenus cum iustitia consentiant: nam iustitiae ratio necessitatem constituit, non necessitas iustitiam.

Cognatorum mortem iniuste impieque trucidatorum ulciscendam esse tam consentiens erat veterum opinio, ut, cum contra naturam humanitatemque ab Oreste factum esset, tamen iussu dei ad caedem impulsus eiusdemque auxilio crimine absolutus esse crederetur. Quanto magis hospes atque alienus puniendus fuit? Oculos autem improbis effodi non temeraria crudelitas, sed usitatum supplicii genus erat, morte acerbius. Agamemnonis autem beneficio non tantum huius sumendi, sed iusta quoque Polyxenae faciendi facultas paratur. Neque ille tantum Talthybio misso Hecubam arcessivit, sed cunctante ea, iussis militibus funere abstinere, anum ducturus ipse advenit, ubi foedum ac nefarium Polymestoris scelus et oculis perspicit et audiendo cognoscit, alternis versibus ipso quaerente, Hecuba respondente. Humanitate Agamemnonis animus mulieris confirmatur, ut post brevem dubitationem spe concepta, se rem ipsa libertate sibi cariorem impetraturam, ad genua eius supplex volvatur. Oratione, qua utitur, gravior nulla cogitari potest. „Audito, et si aequa tibi pati videbor, aequo animo feram; sin vero contra, tu sis mihi vindex hospitis improbissimi, qui neque inferos neque superos deos veritus facinus patravit immanissimum, et cum saepe communi mecum mensa usus sit, trucidavit filium trucidatumque ne sepulcro quidem dignatus est, sed in mare proiecit. Et ego quidem serva sum atque imbellis; at dii validi sunt et cui dii parent lex: propter hanc

enim legem deos esse credimus, iusta iniustaque in vita humana definientes." Hoc loco paullulum nobis subsistendum est et accuratius consideranda sententia gravissima. *Νόμον* dicit legem absolutam, non *νόμους Ἑλληνικοὺς* sive *πατρίους παραδοχάς*, sed summam eorum, quae consensu generis humani aequa iustaque habentur. Huic supremae iustitiae, non fatali cuidam necessitati, diis ipsis parendum est: nam, ut idem poeta alio loco dixit, necessitati parere servorum esse censent sapientes. Hanc legem ut sint qui tueantur, cum in vita humana non solum a privatis, sed etiam a populis regibusque saepissime violetur, deos esse credimus *), unde efficitur, ut certis aequisque legibus res humanas temperari et deos esse credere idem sit. Quae opinio nisi mortalium animis innata infixaque esset, temere omnia non minus in hominum vita quam in rerum natura administranda agerentur, neque ullis legibus vel domus vel civitates temperarentur. Illa autem lege iniurias ulcisci non hominibus tantum, sed etiam diis concessum, et mortuorum caedes ulcisci rectum debitumque est. Pergit igitur orationem Hecuba: „Haec lex si, quantum in te est, impune violabitur, neque poenas luent improbi et sacrilegi, iustitia e vita sublata erit. Quod si hoc turpe esse ducis, me reverere et integro iudicio mala mea aestimans mei miserere. Regina olim fui, nunc serva sum; olim dives liberis, nunc orba, anus, exul, deserta, mortalium afflictissima." Haec Hecuba dicente, Agamemnon, qui unam filiam, quam illa superstitem habebat, a se abreptam teneri recordetur, os avertit corpusque commovet. Tum illa: „Heu mihi miserae, quo subducis pedem? Nil profectura esse videor. Quid tandem mortales alias

*) Recte scholiastes ad v. 783: *διὰ τοῦ νόμου γὰρ τοὺς θεοὺς γιγνώσκομεν, ἤγουν διὰ νόμου καταλαμβάνομεν εἶναι θεούς, καὶ ζῶμεν διὰ τοῦ νόμου τὰ δίκαια καὶ τὰ ἄδικα τάξαντες. τῶν νόμων ἐκ θεοῦ ὄντων τιμωμένων σώζεται καὶ ἡ εἰς ἐκεῖνον τιμή, μὴ τιμωμένων δὲ διαλύεται. — θεὸν ἴσμεν τῷ σέβειν θεοῦ νόμους· τῷ γὰρ φυλάττειν τὰ ὑπὸ θεοῦ νενομοθετημένα εἶναι καὶ τὸ θεῖον νομίζομεν.* His neglectis Hermannus ea levitate, qua solet talia transigere: „Hos, inquit, dicit deos, quos credimus."

quidem artes elaboramus, suadelam vero, quae sola hominum regina est, elaborare mercede data non studemus? Quid enim mihi relinquitur, quo in melius res meas commutem? Illi tot filii non sunt amplius; ipsa captiva, abiecta sum; urbs incendio deleta. Inane fortasse erit Venerem ad partes vocare, sed nihilominus dicatur. Ad latus tuum filia mea quiescit. Quodnam igitur erit suavium noctium et dulcium in toro amplexuum testimonium? quamnam filiae mihique gratiam referes, nisi hunc mortuum, affinem tuum, honoris debiti feceris participem? *) Utinam mihi esset vox in brachiis, in manibus, in capillis, in pedibus sive Daedali arte sive cuiuspiam dei, ut cuncta simul genibus tuis adhaerentia omnibusque precibus utentia lamentarentur. O rex, o summus Graecorum arbiter, flectere, praebe manum vetulae, quamvis perditae, ultricem. Probi enim viri est ubique iustitiam tueri et punire improbos."

Hac oratione victus Agamemnon velle se dicit deorum iustitiaeque gratia scelus punire, si fieri opportune possit neque timendum sit, ne Veneri indulgens amicum sociumque Graecorum Polydori caussa, quem illi pro hoste habeant, perdidisse videatur. Tum Hecuba regem multitudini obnoxium hoc metu liberat ostendens se solam adiuvantibus feminis captivis ultionem persecuturam satisque habituram, si rex se conscium esse dissimulans multitudinem cohibeat neque succurrere patiatur. Hoc unum rogat, ut famulam, quam ad invitandum fallaciter Polymestorem cum liberis missura sit, tuto per exercitum ducendam curet. Simul Polyxenae sepulturam, ut uno rogo cum fratre comburatur, differri iubet, id quod ventis adversis moram navigationi inferentibus facile impetrat.

Temporis spatium, quo Polymestor ex Thracia arcessitur, sane longum, carmine expletur, quo chorus, ut in prioribus duobus, ad primariam et communem calamitatem

---

*) Schol. ad v. 808: *οὐ μαστροπώδεις οἱ λόγοι, ἀλλ᾽ ἀφαιρεθεῖσα τὸν τύχης ὄγκον εἰς πᾶν ὁτιοῦν καταβαίνει, καθομιλοῦσα τοῖς καιροῖς καὶ λέγουσα ταῦτα, δι᾽ ὧν ἔμελλε θηρᾶσθαι βοήθειαν.*

recurrit, ex qua mala singulorum pendent. Fecit enim Euripides in hac tragoedia idem quod in Phoenissis, ut publica mala et fata civitatis ostenderet cum regum casibus coniuncta et populi partes choro sustinendas tribueret, cuius ore quasi universum civium coetum loquentem audiremus. Expugnationis igitur Ilii imaginem repraesentat chorus tam vividis coloribus expressam, tam aptis ad animos movendos exemplis illustratam eandemque tanta verborum numerorumque elegantia praeditam, ut omnibus partibus politissimum hoc carmen dicere non dubitem *). Eleganter imitatus est Anglus quidam doctus, quam imitationem vide apud Matth. p. 106. ad v. 931.

Interim Hecuba cum captivis, quae in tentorio sunt, colloquens fraudem composuit. Cadaver Polydori e conspectu remotum est; prodit Hecuba et paullo post Polymestor cum filiis suis, stipatus famulis. Mox in laqueos devenit monstrum hominis Polyphemo ipso scelestius neque ulla dignum misericordia. Ubi in mutuum conspectum veniunt, Polymestor dolorem et misericordiam simulans se Hecubae, quod ad eam visendam non venerit, excusat. Hecuba, quod adversum intueri hostem prae ira atque dolore nequit, pudorem praetexit. Deinde simulans se ei cum liberis aliquid arcani aperturam, facile ab eo impetrat, ut comites ableget, propter Graecorum amicitiam securus. Nec minus facili negotio homo pecuniae cupidine coecus in tentorium, ubi supplicium ei paratum est, deducitur. Hoc colloquium ambiguitate verborum dictorumque excellit, quae fallat eum, cui insidiae parantur, spectatores autem consiliorum gnaros exspectatione suspendat. Laetatur chorus et triumphat, dum poena, quam dii et iustitia postulat, exigitur: „Velut qui transversus in mare decidit, in tentorium devenit, ubi portu atque refugio carenti pereun-

*) Non defuerunt homines morosi ne inter veteres quidem, qui notarent quae crimine vacant, velut aliquis ad v. 906. scripsit: *κακόζηλον δὲ φαίνεται τοῦτο· οὐ γὰρ κατὰ τὴν νύκτα ὁρῶσιν αἱ γυναῖκες τὰ κάτοπτρα, ἀλλὰ κατὰ ἡμέραν· ὅμως δὲ δεικνύει τὸ φιλήδονον, ὅπερ εἶχον.* Multo etiam ineptius alius quidam: *διασυρτικῶς τῶν γυναικῶν τὸ τῆς μέσης νυκτὸς καλλωπίζεσθαι.*

dum est. Nam scelus diis et iustitiae obnoxium ubi ruinam trahit, internecivum existit malum. Itaque ille ad Orcum inscius profectus est, huc proficiscens." Clamore monstrum quae patitur significat. Deinde, dum Hecuba cum adiutricibus profugiunt, tecta evertit et stipites pro iaculis vibrat coeco impetu. Mox et liberorum interfectorum corpora egeruntur et ipse Polymestor prodit quadrupes, eiulans prae dolore atque iracundia, errabundus frustraque feminas venans, ferarum belluarum furorem sanguinis siti carnisque laniandae aviditate superans. Deinde liberorum corpora offendens, timens, ne a feminis distrahantur, apud eos recumbit, ingenti clamore Thracum gentem armatam et Graecorum exercitum et Atridas ad opem ferendam advocans. Nemine veniente (Graeci enim ab Agamemnone cohibentur), optat, ut aut in aerem ad astra evolare aut ad Orcum sibi descendere liceat.

Foedum spectaculum est homo erutis oculis in scenam prodiens, sed foedius est in conspectu theatri oculos innocenti effodi, id quod fit apud Schacisperium, Anglum poetam. Talia non e nostro sensu iudicanda esse quilibet intelligit. Nulli apud nos eiulantes, nulli torvum clamantes, nulla vulnerum morborumque foeditas, nulla facinorum atrocitas exhibetur; contra apud Graecos nil his rebus frequentius fuit. Feminas vero, et honestas quidem, atrocia patrantes ostendere contra urbanitatem esse iudicamus. Quod si quis Euripidem, quod fuerit feminis iniquior, vel solum vel primum talia exhibuisse arbitretur, reputet quae ipse, ad priores aliorum poetarum dramata respiciens, Hecubam fecit dicentem:

τί δ'; οὐ γυναῖκες εἷλον Αἰγύπτου τέκνα,
καὶ Λῆμνον ἄρδην ἀρσένων ἐξῴκισαν;

An mitius est, quod Electra Aeschyli Sophoclisque in matricidio patrando fratrem adiuvat, quam tamen pro praestantissima virgine vult uterque haberi? Non mirum est dira patrare qui dira perpessus est, et ineptum est vel morum elegantiae vel urbanitatis vel decoris vel humanitatis rationem habere, mole malorum catervatim in unum hominem tanta irruente, quantam sustinere naturam humanam unquam potuisse vix credibile est et profecto

eorum, qui nunc sunt, mortalium an quisquam possit dubitare licet. Dramatum, quaecunque hodie in nostris theatris exhiberi solent, vix ulli insunt tam calamitosi homines, quales in τραγικωτάτου poetae plerisque fabulis conspiciuntur. Necesse enim fuit poetae philosopho, qui vellet homines docere, qua ratione conditio humana tolerari et calamitates vinci possent, repraesentare quaecunque miserrima mortalibus accidere possent. Sed longissime idem abfuit ab ea sententia, quam Stoici probarunt, ut indolentiam illam commendaret, quam immanitatem in animo, stuporem in corpore esse rectissime iudicavit Crantor, qua tamen indolentia multo deterior est ostentatio eorum, qui, quod ipsi in vita umbratili nulla unquam graviora discrimina subierunt, sive etiam quod propter levitatem animorum vecordiamque nulla re vehementius moventur, damnant, si quem alium perturbationibus iis, quibus se vacare putant, obnoxium esse vident. Helenae Euripideae instar hoc genus hominum etiam summis calamitatibus instantibus caute et religiose, ne qui cincinnus turbetur neve quid detrimenti fiat venustatis, curandum esse omnibus censet.

Ad argumentum fabulae redeo. Accurrit ad Polymestoris clamores Agamemnon, simulans ignorantiam rerum, quae interim gestae sunt. Quem nactus, ut putat, vindicem Polymestor, quamvis vix cohibeat laniandae Hecubae libidinem, ad caussam dicendam ex adverso consistit. Cuius oratione narratio eorum, quae intus gesta sunt, continetur. Et Graecorum et suo commodo a se prospectum esse Polydorum interficiendo simulat: verendum enim fuisse, ne collectis Troianorum reliquiis filius Priami Troiam restauraret rursusque Graeci contra urbem hostilem exercitum ducentes Thraciam vastarent. Pro hoc autem beneficio, quod Graecorum hostem interfecisset, hanc se accepisse mercedem, fraude in tentorium deductum, ubi, postquam recubuerit, turbam mulierum circumfusam primum vestem, hastas liberosque curiosam attrectasse et paullatim e manibus removisse, deinde repente strictis ensibus liberos, se inspectante, sed capillis, manibus pedibusque retento, trucidasse, mox ipsi pupillas effodisse. Eadem ratione reliqua

persecutus neque pontum neque terram dicit feminis quidquam gignere atrocius *).

Facili negotio ab Hecuba speciosi praetextus barbaro detrahuntur, meramque auri aviditatem improbo caussam fuisse sceleris patrandi ostenditur: debuisse enim eum, si Graecorum rem adiuvare vellet, a florentibus Troianis, non a succumbentibus, desciscere; debuisse aurum subreptum Graecis longa peregrinatione laborantibus reddere, non in suam domum conferre. Nihil igitur impetrat perfidus ab Agamemnone praeter monitum, ut, quoniam patrarit quae non liceat, toleret quae non libeat, quae sententia contraria est illi: *ὅ τι καλὸν φίλον αἰεί*, honesta eadem iucunda sunt, qua in Bacchis utens Euripides haec effatus est:

τί τὸ σοφὸν ἢ τί τὸ κάλλιον
παρὰ θεῶν γέρας ἐν βροτοῖς,
ἢ χεῖρ' ὑπὲρ κορυφᾶς
τῶν ἐχθρῶν κρείσσω κατέχειν;
ὅ τι καλὸν φίλον αἰεί.

Unum solatium relinquitur homini penitus cum domo sua pessumdato, quod et Hecubae et Cassandrae et Agamemnonis miserum interitum a Thracio quodam vate praedictum esse recordatur. Haec commemorari lex tragoediae Euripideae iubebat, qua lege nullum fere drama sine aliqua futurarum rerum praedictione finitur; et Polyphemo similis est Polymestor cum in aliis rebus tum in hoc, quod futuris eius, a quo punitus est, malis se consolatur. Quod si quaeras, quo consilio hac tragoediarum clausula usus sit noster, caussam rationemque consuetudinis ostendere non admodum difficile est.

Nulla neque mera voluptas neque mera aegritudo mortalibus a diis tribuitur, curantibus, ne laetitia nimis exsultent neve aegritudine nimis afflictentur; et plerumque lae-

*) Non omisit veterum interpretum quidam ad hanc sententiam adscribere decantatum illud: *καὶ ἐκείνου γὰρ ἡ γυνὴ ἐμοιχεύθη, καὶ εὑρὼν ἀρτίως ἀφορμὴν λέγει* — neque retentus est eo, quod Euripides statim criminationem ipse refutat malarum bonarumque numerum fere aequalem esse dicendo.

titiam dolor, dolorem laetitia excipit. Quod si detractis involucris futura semper prospicere liceret, neque felici rerum eventu efferremur neque calamitatibus afflictaremur, sed imminuta et laetitia et aegritudine facilius aequitatem animorum et constantiam servaremus. Hoc autem illud est, in quo efficiendo vel maxime tragoedia elaborat, quae extricatis iam rebus solutoque nodo quomodo efficacius, si quid restat turbidi, sedare, quomodo aequius votis satisfacere, quomodo plenius res consummare potest, quam ostendendo ea, quae praesentibus rebus annexa postmodo eventura sunt? Cohaerent autem ea, quae vates praedixit, cum praesentibus rebus hac ratione: Conspirantes cum Hecuba Atridae atque Graeci amicum sociumque prodiderunt; mox eiusdem feminae acerbitate animi atque contumacia lacessiti mortem ei intensuri sunt *). Agamemnon pellicis gratia regi interitum parari passus est; eiusdem pellicis caussa redux in patriam mortem ab uxore sua passurus est. Ceterum Hecubae mutationem noli credere poenam esse crudelitatis, qua Polymestorem puniverit. Simili enim modo Cadmus in lapidem anguis formam exhibentem conversus eodemque tempore in beatorum insulas translatus est. Contra Polymestor ne nunc quidem satis magno supplicio affectus esse videtur, nisi etiam in deserta insula exponatur monstrum divinis humanisque iuribus et universae societati humanae inimicum. Ceterum hoc eo consilio decernit Agamemnon, ut de socii fato Graeci celentur.

Magnam huius tragoediae apud veteres dignitatem fuisse ex imitationum et commemorationum frequentia intelligitur. Respexit ad eam Aristophanes in Nubibus bis (v. 718. et 1165.), itemque in Gerytadis fragm. I. et II., in Ran. 1331 seqq. et in incerto fragm. ap. Athen. III. p. 112. E.: *ἥκω Θεαρίωνος ἀρτοπώλιον λιπών, ἵν' ἐστὶ κριβάνων ἑδώλια.* Respexit simili ratione ad v. 1. Lucianus in Necyom. ac Plautus ad v. 740. in Asin. II, 2, 8. Usi sunt dictis quibusdam philosophi, velut Chrysippus v. 783. (cf.

---

*) Cf. Schol. ad v. 1237. et 1241.

Matth.) et Cleanthes et Epictetus Polyxenae verba (v. 342 seqq.) in suum usum convertentes sic:

ἄγου δέ μ', ὦ Ζεῦ, καὶ σύ γ' ἡ πεπρωμένη,
ὅποι ποθ' ὑμῖν εἰμι διατεταγμένος·
ὡς ἕψομαί γ' ἄοκνος· ἢν δὲ μὴ θέλω,
κακὸς γενόμενος οὐδὲν ἧσσον ἕψομαι.

Respexit denique ad universum drama Statyllius Flaccus epigrammate, quod est in Iacobsii Anthol. T. II. p. 40. n. 117. Latine conversum erat a duobus poetis praestantissimis, Ennio (de quo vide Gellium XI, 4.) atque Attio (vide v. 578. et 587 seqq. ap. Cic. Tusc. II, 4.). Harum versionum reliquias aptis locis cum Euripidis versibus composuerunt interpretes, imprimis Hermannus. Omiserunt autem fragm. inc. 18:

„*Amicus certus in re incerta cernitur,*"

cum v. 1202:

ἐν τοῖς κακοῖς γὰρ οἱ 'γαθοὶ σαφέστατοι,

congruens. Partes quasdam huius dramatis aemulati sunt alii, velut Ovidius narrationem de morte Polyxenae, Seneca in Troad. v. 814 seqq. cantum chori v. 441 seqq., singulasque sententias Trabea (v. 769. ap. Cic. Tusc. IV, 31, 67.), Pacuvius v. 799., Eumathius vv. 225. 329. 410. 602. Respexerunt praeterea Aristoteles ad v. 847., Aeschines ad v. 823. (cf. Matth.), Dionysius Hal. ad v. 159., Clemens Alex. ad v. 565., Dio Chrysost. ad v. 602., Virgilius ad v. 3. et ad plurimos grammatici atque scholiastae. Totum quoque opus Aristoteles laudavit in art. poet. c. 18, 4: ὅσοι πέρσιν Ἰλίου ὅλην ἐποίησαν, καὶ μὴ κατὰ μέρος, ὥςπερ Εὐριπίδης Ἑ κ ά β η ν: sic enim scribendum esse pro Νιόβην manifestum est. Qui compositionem fabulae improbaverit, inter veteres nemo reperitur, nec nisi levia et singula dicta a scholiastis, auctoritate priorum nisis, passim reprehenduntur. Neque recentiores vituperassent, si partim ad ea, quae Euripides ipse ad aperiendam mentem suam dramati dicta intexuit, diligentius attendissent, partim veterum de rebus humanis divinisque iudicia opinionesque et bene vivendi praecepta respexissent, partim necessitatem migrandi pristinas tragoediae leges proferendique terminos angustos aequiore iudicio reputassent. Accedit, quod quidam ira

studioque adeo coeci ferebantur, ut irrisorum atque calumniatorum, quam aequorum iudicum, munere fungi mallent, velut Schlegelius et Hermannus, quorum hic, ut criminandi copiam nancisceretur, etiam nescire se simulavit quae vel maxime novit. Nam quum tragicos constet stichomythiae servandae caussa saepe minus necessariis uti interpellationibus, bis in hac tragoedia (ad v. 1229. et 760.) Euripidi vitio vertit ea, quae ex illius legis observantia necessario profecta sunt. Et vellem mihi huius viri errorem refutare supersedere liceret. Quod quoniam operis suscepti ratio vetat, certe quam fieri potest parcissime faciam ita, ut fontes maxime errorum arguam, reliqua omittam.

Duas tragoedias pro una Euripidi componendas fuisse iudicat sic, ut principalis persona in altera Polyxena, in altera Polydorus esset. Tum curandum fuisse, ut metueremus Polymestori et puniri eum misereret, idque consecuturum fuisse Euripidem, si eum fecisset perpetrata caede conscientiae stimulis agitatum poenam ab oraculo vel vate aliquo significatam timere; postquam autem puniretur, iure ac merito se perdi confitentem, vel virili animo ferre quae commeruisset, vel succumbere malis desperatione ea, quae horrorem incuteret spectatoribus. Egregie sane talia traditis artis praeceptis responderent: in altero enim dramate homo probus iniuria laborans, in altero improbus iuste punitus et, quod est gravissimum, poenitentia fractus miserationem moverent valde legitimam. Accedit, quod utraque persona principalis mortem occumberet, quod nisi fiat, nullam non tragoediam vitiosam esse credunt. Reprehendendus igitur est Nibelungorum carminis auctor, qui Chriemhildem effinxit, alteram Hecubam, ex probissima uxore in Furiam dolore atque iracundia mutatam; idem, si Hermannum audire potuisset, Hagenium induxisset metu impendentis poenae exanimatum, conscientiae stimulis vexatum, culpae confessione veniam per sacerdotes quaerentem; vituperandus Schaxperius, qui Macbethium nulla poenitentia excruciatum perire fecit et omnino foedissimas res repraesentavit; damnandi omnes, qui non metum et misericordiam ea ratione, qua volunt isti, movere studuerunt. Huiusmodi autem praeceptorum admiratoribus haecce argutissime respondit Molierius: „Vous êtes de

plaisantes gens avec vos règles, dont vous embarassez les ignorans et nous étourdissez tous les jours. Il semble, à vous ouïr parler, que ces règles de l'art soient les plus grandes mystères du monde, et cependant ce ne sont que quelques observations aisées, que le bon sens a faites sur ce qui peut ôter le plaisir que l'on prend à ces sortes de poëmes, et le même bon sens, qui a fait autrefois ces observations, les fait fort aisement tous les jours sans la secours d'Horace et d'Aristote. Je voudrois bien savoir, si la grande règle de toutes les règles n'est pas de plaire, et si une pièce de théatre, qui a attrapé son but, n'a suivi pas un bon chemin."

Pergit autem Hermannus sic: „Qui in theatrum tragoedias spectatum veniunt, non maleficos, sed infelices, non crimina et scelera, sed culpam et errorem, non supplicia sontium, sed mala insontium, non cupitas poenas immiserabilium, sed metuta infortunia miserandorum videre volunt, eoque spectaculo animos suos ad virtutem extolli ac roborari." Quid igitur? in Choephoris Aeschyli et in Electra Sophoclis non malefici, non scelera, non supplicia sontium repraesentantur? Neque primaria persona est Polymestor, neque non etiam vindicatio eorum, qui iniuria laborant, et punitio sceleratorum et victoria proborum et laetus rerum exitus in tragoediam cadunt, nisi forte verum est, quod quibusdam discipulorum suorum illum persuasisse video, seriori demum tempore, Atheniensibus scilicet omnibus pridem recta ratione et sincero iudicio destitutis, tragoedias, quaecunque laetum rerum exitum habent, compositas esse.

Non potuisse alteram tragoediae partem, quae Polymestoris habet supplicium, omissa priore, quae in Polyxenae immolatione versatur, commode exhiberi facile est intellectu. Nam quis Hecubam ferret hosti oculos eruentem, nisi antea malis afflictatam, doloribus exacerbatam, hostium amicorumque iniuriis lacessitam non fando audisset, sed coram oculis spectasset? Negat Hermannus quidquam commune habere filiae immolationem per hostes factam et filii caedem per hospitem patratam. „Quid

enim?" inquit, „matri filium habenti et filiam, si filiam aliquis eripuit, numquid solatii affert punitio alius, qui interfecit filium?" Idem paullo ante: „Si Hecubam eo miseram ostendere voluit poeta, quod plurima ei mala accidissent, cur solos coniunxit Polydorum et Polyxenam, quibus illa orbaretur, quum eodem iure etiam tot alios filios et universum urbis excidium adnectere potuerit? Nam si multitudinem malorum argumentum esse fabulae volebat, omnia in conspectum debebat producere, quia ex illis omnibus demum conficitur illa multitudo, non autem de plurimis duo temere arrepta afferre, in quibus neque multitudinis malorum ulla imago est neque ipsa quomodo inter se cohaereant, nisi quod uni mulieri eodem tempore acciderint, perspicitur." Ad posteriora prius respondeamus. Omnium liberorum interitum cum universo urbis excidio si Euripides repraesentasset, se ait probaturum fuisse vir sagacissimus. Atqui hoc ipsum ab illo factum esse affirmo. Omnibus enim, quos habebat incolumes, liberis quorumque salus ipsi auxilio atque solatio esse poterat (nam Cassandram quidem abreptam et pellicatus turpitudine dedecoratam hoc tempore iam amisit) privari eam videmus. Urbis autem excidium et cummaxime factum est et chori carminibus sic describitur, ut quasi coram conspicere nobis videamur. Universae igitur patriae regnique interitum et omnia Hecubae mala, quae illa calamitate comprehendebantur, hoc dramate, quatenus tragoediae natura pateretur, repraesentari recte iudicavit Aristoteles verbis, quae supra posuimus. Duobus autem liberis, qui matri miserrimae relicti sunt, duplici perfidia Ulyssis atque Polymestoris orbatur. Potuit enim captivarum quaelibet Achilli, non Polyxenam nominatim postulanti, obferri, et oblata esset, nisi Graecorum is, quem minime decuit, mulierem prostratam calcare, quam gratiam servatrici referre, maluisset. Duorum autem hominum perfidia laesae, si non possit utriusque, certe alterius poenam solatio esse quis negabit? Atqui simplicem poenam pro duplici iniuria exigi nego. Socium enim amicumque Graecorum inspectantibus his et succurrendi potestate destitutis pessumdans Hecuba duplicem perficit ultionem et in angustias Aga-

memnonem atque Ulyssem adducit, conscientia factorum, quominus socium defendant, impeditos. Itaque admiratio Polyxenae milites conciliavit, iniuriae conscientia duces obstrinxit, simulque calamitatis, quam modo perpessa est, magnitudo captivas ad exsequenda ea, quae mandat, promptiores reddit. Sic Polyxena non tantum pro Graecorum exercitu, sed etiam pro fratris manibus, pro caedis ultione proque pietatis officio exsequendo mortem occubuit. Secus, atque nos statuimus, plerique aestimatores, Polymestoris supplicium pro appendice quadam habentes, in Polyxenae morte summam tragoediae consistere arbitrati sunt: unde factum est, ut quidam mirarentur, quod non pars ea, quae poenam scelerati continet, immolationi virginis praemissa esset. Atqui ex ipsa rerum serie, et quod non Polyxenae, sed Hecubae primae sunt partes, contrariam rationem Euripidem secutum esse apparet. Neque unius virginis vel unius adolescentis, sed universae domus Priamidarum sortem in discrimine versari et in Hecuba, tanquam eius columine, maximum rerum momentum esse et universa structura dramatis et singulae eius partes ostendunt. Regiae autem domo gentis reliquiae, quae choro vel feminis captivis repraesentantur, necessario annectuntur: hae enim omnes participes sunt rerum, quae aguntur, et calamitatum ultionisque sociae. Neque pro otiosis intervallorum supplementis carmina interposita sunt ea, quibus urbis expugnatio, virorum trucidatio, mulierum captivitas, belli origo atque eventus deplorantur. Argumentum enim dramatis fere idem quod Troadum est, et amabat noster ad testificandam ingenii copiam eadem argumenta diversa ratione saepius tractare. Simplicibus autem argumentis in paucissimis tragoediis usus est. Sic effugiendae simplicitatis caussa Phaethontis ruinam cum nuptiarum apparatu et periculo matris, sic Thesei certamen caedemque Minotauri cum amore Ariadnae coniungendo dramata amplificavit. Ea autem caussarum duplicitas partim ea fuit, quae mixtionem nodorum eventuumque pateretur, partim ea, quae alteram partem post alteram exhiberi postularet, quorum hoc ibi recte fieri potest, ubi prior pars minoris est momenti et posteriori ita subiicitur,

ut in hoc cardinem poni rerum appareat. Maioris autem momenti fuit Polydori nex, quippe quo superstite Troianum regnum restaurari potuisset; regem vero opibus florentem et amicitia exercitus victoris munitum in perniciem praecipitari, et ab imbelli mulierum caterva perfici quod vix magni exercitus perficere possint, magnum est et summi poetae studio dignum. Itaque quemadmodum in Thesei fabula, quam una cum Hecubae actam esse coniicio, non in Ariadnae amore aut infortunio, sed in sceleroso homine puniendo populoque Atheniensium a contumelia liberando cardo rerum vertitur, ita ne in Hecuba quidem mors virginis, quamvis eximiae, sed perfidi regis supplicium, quod quasi inferiae interfectis obfertur, summam rerum finisque est.

B. Alcmene sive Licymnius.

Alcmenae fabulae nomen, a Plauto, Stobaeo, Hesychio, Polluce et scholiasta Aristophanis traditum, in Albano spectatae fidei monumento omissum est, unde alterum eidem nomen fuisse Welckerus recte coniecit, sed idem cum Rhadamanthye eam coniungens errasse videtur. Spuriam enim illam tragoediam et per errorem Euripidi adscriptam fuisse auctor vitae, quae est in cod. Mediol., testatur; Alcmenam contra pro genuina habitam esse testibus, quos diximus, credendum est. Coniugium quidem Alcmenae atque Rhadamanthyis commemoratum ab Euripide fuisse pro certo affirmare licet propterea, quod in anaglyphis Cyzicenis, quorum auctor paene ubique Euripidem secutus est, Hercules matrem in campos Elysios, Rhadamanthyi nupturam, abducens exhibebatur. Verum eam materiam non toti tragoediae formandae, sed exitui dumtaxat temperando aptam fuisse planum est.

Profecto non potuerunt vitae casus Alcmenae, nisi aut cum Herculis aut cum Heraclidarum fatis coniungerentur, ad efficiendam ullam tragoediam sufficere. Idem in Licymnium cadit, cuius nomen uni Euripidis tragoe-

diarum inscriptum fuisse testes docent locupletissimi. Licymnii atque Alcmenae calamitates consociaverat tragicus Xenocles, quam tragoediam Aristophanes in Nubibus (v. 1264 seq.) respexit. Idem ab Euripide factum esse quominus statuamus, nil impedit. In proverbium abierat tempestas propter Alcumenae imprecationem coorta et fulmina propter Licymnii caedem missa, testibus Hesychio, Aristophane et Plauto. Hesych. s. v. *Λικυμνίοις βολαῖς· τῶν ἐν τῷ Εὐριπίδου Λικυμνίῳ μνημονεύοι ἂν ἴσως· κεραυνοῦται γὰρ ἡ ναῦς κατὰ τὸν ἐκεῖ λόγον, οὐχ ὡς αὐτοῦ τοῦ Λικυμνίου, τῆς Φωκίδος κατεσκεμμένο[υ].* Schol. Aristoph. Av. 1242: *ἐν τοῖς ἐπιγεγραμμένοις Ἀπολλωνίου ταῦτα γέγραπται, ὅτι ἡμίφλεκτόν τινα εἰςάγει εἰς τοιοῦτό τι κεκεραυνωμένον ἀπὸ τῆς περιστάσεως ἐκείνης· εἴη δ' ἂν τοῦ Εὐριπιδείου μεμνημένος ἀγγέλου τοῦ ἐν τῷ Λικυμνίῳ· λέγει γὰρ ἐπὶ τελευτῆς ἐκεῖνος. — ἐν Λικυμνίῳ δὲ δράματι Εὐριπίδου εἰςήχθη τις κεραυνοβολούμενος.* In fine igitur tragoediae redibat aliquis ex nautis in altum profectis, qui interitum sive unius navis sive universae classis tempestate horrendisque fulminibus effectum exponebat. Atque ingentis tempestatis descriptionem Alcmenae fabulae infuisse Plautus Rud. I, 1, 4. testatur:

„*Pro dii immortales, tempestatem cuiusmodi*
Neptunus nobis nocte hac misit proxuma!
Detexit ventus villam. Quid verbis opust?
Non ventus fuit, verum Alcumena Euripidi!"

Licymnium non ipsum navi profectum fuisse Hesychius testatur. Relinquitur igitur, ut Tlepolemum, qui Licymnium interfecisse traditur et statim deinde Rhodum aufugisse, illa tempestate iactatum esse statuamus. Apud Xenoclem idem fracto curru saucius in scenam redibat sic lamentans:

ὦ σκληρὲ δαῖμον, ὦ τύχαι θραυσάντυγες
ἵππων ἐμῶν· ὦ Παλλάς, ὥς μ' ἀπώλεσας.

Fuisse enim haec ipsius Tlepolemi verba Aristophanes declarat hisce verbis:

τί δὲ Τληπόλεμός σε πώποτ' εἴργασται κακόν;

Invitus Licymnium interfecit, si fides habenda est Apollo-

doro (II, 8, 2.). In iudicium Tlepolemum vocatum esse et capitis caussam dixisse ex fragm. XIV. Alcm. intelligitur, et praeierat in hac re Homerus:

— — ἀπείλησαν γάρ οἱ ἄλλοι
υἱέες υἱωνοί τε βίης Ἡρακληείης.

Hesychii quidem verbis de morte Licymnii nullum inest indicium; neque tamen dubium esse potest, quin postrema corrupta sint.

His perpensis, in Diodori narratione (IV, 58.) argumentum dramatis servatum esse suspicor. Qui cum de priore Heraclidarum reditu exposuisset et Hyllum certamine singulari inito interfectum, reliquos autem Tricorynthum concessisse docuisset, haec subiunxit: „μετὰ δέ τινας χρόνους Λικύμνιος μετὰ τῶν παίδων καὶ Τληπολέμου τοῦ Ἡρακλέους, ἑκουσίως τῶν Ἀργείων αὐτοὺς προςδεξαμένων, ἐν Ἄργει κατῴκησαν. Οἱ δὲ ἄλλοι πάντες, ἐν Τρικορύνθῳ κατοικήσαντες, ὡς πεντηκονταετὴς χρόνος διῆλθε, κατῆλθον εἰς Πελοπόννησον· Ἀλκμήνη δὲ, εἰς Θήβας κατοικήσασα καὶ μετὰ ταῦτα ἄφαντος γενομένη, τιμῶν ἰσοθέων ἔτυχε παρὰ τοῖς Θηβαίοις. Τοὺς δὲ ἄλλους Ἡρακλείδας φασὶν ἐλθόντας παρ' Αἰγίμιον τὸν Δώρου, τὴν πατρῴαν τῆς χώρας παραθήκην ἀπαιτήσαντας, μετὰ Δωριέων κατοικῆσαι. Τληπόλεμον δὲ τὸν Ἡρακλέους, ἐν Ἄργει κατοικοῦντα, λέγουσιν ἀνελεῖν Λικύμνιον τὸν Ἠλεκτρυόνος, ἐρίσαντα περί τινων, διὰ δὲ τὸν φόνον τοῦτον ἐξ Ἄργους φυγόντα εἰς Ῥόδον κατοικῆσαι." Adde eiusdem libr. V. c. 59. Immutavit autem Diodorus ea, quae de Alcumena retulit: nam hanc una cum Heraclidis in Peloponnesum profectam fuisse et interfecto demum Licymnio ad divinos honores per Herculem evectam esse pluribus ex indiciis intelligitur.

Herculis ex Astydameia aut ex Astyocha filius Tlepolemus erat. De Licymnii autem vita haec scripta reliquit Apollodorus: Fuit ex Midea, Phrygia muliere, ab Electryone sublatus. Cuius genuini filii cum a Pterelai filiis, pugna commissa, omnes interfecti essent, Licymnius spurius, quod erat etiamtum puer, solus superstes erat. Electryone occiso quum Amphitryon a Sthenelo patria pelleretur, Licymnius cum ipso atque Alcmena Thebas

commigravit, ubi Crantoris sororem, Perimedem, in matrimonium duxit. Haec ab ipso Licymnio, cum prooemium ageret, theatro exposita esse fragm. 3. ostendit, quo Mideae patria commemoratur:

Τευθράντιον δὲ σχῆμα Μυσίας χθονός.

De priore Heraclidarum reditu exponens idem Stheneli mortem commemoravit, de qua Hyginus c. 244. haecce scripsit: „Phillus (Hyllus?), Herculis filius, Sthenelum occidit, Electryonis proavi sui fratrem." Caussa excedendi Peloponneso aut ea fuerat, quam ostendit Diodorus, aut, quod magis mihi probatur, pestis, propter reditum festinatum immissa. Nam Apollodorus, *ἀπολομένου δέ*, inquit, *Εὐρυσθέως ἐπὶ Πελοπόννησον ἦλθον οἱ Ἡρακλεῖδαι καὶ πάσας εἷλον τὰς πόλεις. Ἐπὶ ἐνιαυτὸν δὲ αὐτοῖς ἐν τῇ καθόδῳ γενομένοις φθορὰ πᾶσαν Πελοπόννησον κατέσχε. Καὶ ταύτην γενέσθαι χρησμὸς διὰ τοὺς Ἡρακλείδας ἐδήλου· πρὸ γὰρ τοῦ δέοντος αὐτοὺς κατελθεῖν. Ὅθεν ἀπολιπόντες Πελοπόννησον ἦλθον εἰς Μαραθῶνα κἀκεῖ κατῴκουν* *). Haec ex Euripide petita esse et Marathonis commemoratio ostendit (quippe ab Atheniensibus solis Heraclidas, exclusos civitatibus omnibus, receptos esse saepius noster affirmavit) et ea, quae de Licymnii caede subiuncta sunt, testantur. Erat autem in Licymnio, quamvis sene (*ἤδη γηράσκων*, Il. β, 663.), firmissimum Alcumenae praesidium, cum qua communiter tutelam liberorum Herculis gerebat. Eo spectat fragm. 7. Alcm.:

δεινόν τι τέκνων φίλτρον ἔθηκεν
θεὸς ἀνθρώποις.

Sed Tlepolemus, maximus natu filiorum, defuncto Hyllo, ut erat ferox atque violentus ingenio, impatiens erat lenitatis, tarditatis et morositatis senilis. Unde nata discordia factionibus rempublicam distrahebat iamque in seditionem malum gliscens erupturum erat. Hic rerum status

---

*) Congruunt verba scholiastae ad Orest. v. 5. scripta: *τῶν δὲ Ἡρακλειδῶν κατασχόντων Πελοπόννησον, ἔχρησεν ὁ θεὸς αὐτοὺς μὲν ἀποστῆναι Λακεδαίμονος, τοὺς δὲ Πελοπίδας βασιλεῦσαι.*

materiam praebere potuit diverbii, quod prooemio, ut plerumque, adiunctum fuit. Conciliare enim Tlepolemum fratri studens Alcumena ad colloquium illum arcessere potuit, idque a se factum esse Licymnio ostendere.

Inde prodeundum fuit choro, quem aut ex militibus aut ex civibus confici necesse fuit. Herculis laudes hic praedicavit hisce praestantissimis verbis:

φαῦλον, ἄκομψον, τὰ μέγιστ' ἀγαθόν,
πᾶσαν ἐν ἔργῳ παρατεμνόμενον
σοφίαν, λέσχης ἀτρίβωνα.

Colloquii et contentionis, qua Tlepolemus et Licymnius inter se congressi sunt, plures exstant reliquiae. Segnitiam Licymnio exprobravit Tlepolemus, se, si illius loco fuisset, nunquam passurum fuisse, ut Alcumena a Sthenelo regno et patrimonio exueretur, testatus:

οὐ γάρ ποτ' εἴων Σθένελον, εἰς τὸν εὐτυχῆ
χωροῦντα τοῖχον, τῆς δίκης σ' ἀποστερεῖν.

Etiam Alcumenam vituperavit, quod nimis mitis iure suo cessisset:

ἀλλ' οὐ γὰρ ὀρθῶς ταῦτα, γενναίως δ' ἴσως
ἔπραξας· αἰνεῖσθαι δὲ δυςτυχῶν ἐγὼ
μισῶ· λόγος γὰρ τοὖργον οὐ νικᾷ ποτε.

Quid? quod ne Herculem quidem ipsum crimine vacuum reliquit: parum enim liberis ab illo prospectum esse affirmavit. Cuius caussam agens haec dixisse videtur Alcumena:

οὐκ οἶδ', ὅπως χρὴ τὸν σαφῶς κατειδότα
τῆς Ἡρακλείας φροντίδος κατηγορεῖν *).

Eidem haec tribuo:

σοφώτεροι γὰρ συμφορὰς τὰς τῶν πέλας
πάντες διαιρεῖν, ἢ τύχας τὰς οἴκοθεν.

A partibus Licymnii Alcumenam stetisse ex his intelligitur. Ille autem regnandi cupiditatem et avaritiam Tlepolemi accusavit:

σκαιόν τι χρῆμα πλοῦτος ἥ τ' ἀπειρία
— — — — — —

*) Chrysippus περὶ ἀποφατικῶν, ed. Bergk. p. 4.

τὸν εὐτυχοῦντα χρὴ σοφὸν πεφυκέναι.

— — — — — —

ἴστω δ' ἄφρων ὤν, ὅςτις, ἄνθρωπος γεγώς,
δῆμον κολούει, χρήμασιν γαυρούμενος.

Etenim nullius pretii esse nobilitatem generis sine opibus dixerat Tlepolemus:

ἀλλ' οὐδὲν ηὑγένεια πρὸς τὰ χρήματα·
τὸν γὰρ κάκιστον πλοῦτος εἰς πρώτους ἄγει.

Nam gloria ipsa nominis quum iisdem artibus, quibus opes, paretur, illam sine his servari non posse planum esse arbitratur:

πόνος γάρ, ὡς λέγουσιν, εὐκλείας πατήρ.

Possumus ex his voluntatem et consilia utriusque coniiciendo assequi. Otii impatiens iuvenis in partis acquiescere nolebat, sed paternam gloriam propria virtute augere universam Peloponnesum armis domando. Contra senex, ut sapiens, qui felicitatem non ex bonis externis pendere intellexisset quemque laborum ac proeliorum taederet, bonis placide ac tranquille frui cupiens, bella detrectabat.

Quinam huius colloquii eventus fuerit, non traditur. Sed oraculum Apollinis Delphicum ut consuleretur ac deo lis dirimenda commendaretur, placuisse videtur. Una in terram Phocensium profecti sunt Licymnius atque Tlepolemus, quo in itinere ille interfectus est. Imprudens autem Tlepolemus avunculum occidit teste Apollodoro, quem Euripide auctore usum esse diximus: *Τληπόλεμος οὖν κτείνας οὐχ ἑκὼν Λικύμνιον (τῇ βακτηρίᾳ γὰρ αὐτοῦ θεραπεύοντα πλήσσων ἥμαρτε).* Noctu et in saltu aliquo hoc accidisse fragmenta declarant:

ἀμολγὸν νύκτα — —

— — — — — —

πολὺς δ' ἐνεῖρπε κισσός, εὐφυὴς κλάδος,
χελιδόνων μουσεῖα — —

In Phocide illum saltum fuisse ex Hesychii verbis (*τῆς Φωκίδος κατεσκεμμένου*) erui potest, quibus addenda sunt haec Macrobii (Saturn. I, 18.): „Et ne quis opinetur diversis diis Parnassum montem dicatum, idem Euripides in

Licymnio Apollinem Liberumque unum eündemque deum esse significans scribit:

δέσποτα φιλόδαφνε Βάκχε, Παιὰν Ἄπολλον εὔλυρε."

Haec sine dubio ex chori carmine, quod post nuntii narrationem et lamenta Alcmenae interpositum fuit, petita sunt. Eodem refero Hesychii lemma: θριάζειν, *φυλλολογεῖν, ἐνθουσιᾶν, ἐνθουσιάζειν, Εὐριπίδης Λικυμνίῳ.* Ad consolationem, qua chorus dolorem mulieris mitigare studuit, haecce pertinent:

ἀλλ' εὖ φέρειν χρὴ συμφορὰς τὸν εὐγενῆ.

Merito autem affligebatur Alcmena, fratre privata et ab Herculis ipsius liberis prodita, ut mirandum non sit, si desperatione ad atrocia dicenda compulsa est: etenim

τὸ τῆς ἀνάγκης οὐ λέγειν, ὅσον ζυγόν.

Exsecranti Tlepolemum chorus adstipulatus esse videtur:

θάρσει· τάχ' ἂν γένοιτο· πολλά τοι θεὸς
κἀκ τῶν ἀέλπτων εὔπορ' ἀνθρώποις τελεῖ).*

Reversus Tlepolemus accusatus est caussamque dixit. Accusator fuisse idem famulus vel satelles (*θεραπεύων* ab Apollodoro dictus) videtur, quem percutere Tlepolemus volens cum Licymnio permutaverat. Eius enim verba haec sunt:

ἀεὶ δ' ἀρέσκειν τοῖς κρατοῦσι· ταῦτα γὰρ
δούλοις ἄριστα, κἀφ' ὅτῳ τεταγμένος
εἴη τις, ἁνδάνοντα δεσπόταις ποιεῖν.

Orationis, qua Tlepolemus usus est, exordium servatur hoc:

ὁ φόβος, ὅταν τις σώματος μέλλῃ πέρι
λέγειν, καταστὰς εἰς ἀγῶν' ἐναντίον,
τό τε στόμ' εἰς ἔκπληξιν ἀνθρώπων ἄγει
τὸν νοῦν τ' ἀπείργει μὴ λέγειν ἃ βούλεται.
τῷ μὲν γὰρ ἔνι κίνδυνος, ὁ δ' ἀθῷος μένει.
ὅμως δ' ἀγῶνα τόνδε δεῖ μ' ὑπερδραμεῖν·
ψυχὴν γὰρ ἆθλα τιθεμένην ἐμὴν ὁρῶ.

---

*) Vulgo *πολλὰ τοῖς θεοῖς — πέλει.* Lobeckii emendationem admisi.

Falsa quadam specie oblata se deceptum esse significavit hisce verbis:

ἀλλ' ἡμέρα τοι πολλὰ καὶ μέλαινα νὺξ
τίκτει βροτοῖς.

Audita hac defensione, aut accusator aut Alcmene illum quaestionibus quibusdam convincere studuit, velut hacce:

πόθεν δὲ πεύκης πανὸν ἐξεῦρες λαβεῖν;

Damnatus exilioque multatus Rhodum cum amicis migrare constituit. Apollod. l. l.: „*φεύγων οὖν μετ' οὐκ ὀλίγων ἧκεν εἰς Ῥόδον κἀκεῖ κατῴκει.*" Homerus l. l.

αὐτὰρ ὅγ' ἐς Ῥόδον ἷξεν ἀλώμενος ἄλγεα πάσχων.

Ex ipso autem iudicio prosequentibus sodalibus sociisque ad littus descendisse videtur.

Carminis, quod hoc loco interponendum fuit, hoc exstat fragmentum:

ἀτρέκεια δ' ἄριστον ἀνδρὸς
ἐν πόλει δικαίου πέλει.

Deinde nuntius ille ambustus ex navigatione rediit et narrationem illam celeberrimam egit, de qua supra exposuimus.

In fine dramatis cum Alcmene malis succumbens e vita discederet, Hercules de coelo descendens matrem in campos Elysios, ubi Rhadamanthyi nuptura erat, abduxit. Testatur haec epigramma Cyzicenum n. 20. p. 633. paralip. ex cod. Vatic.: *ὁ δὲ τρισκαιδέκατος Ἡρακλέα ἄγοντα τὴν μητέρα αὐτοῦ Ἀλκμήνην εἰς τὸ Ἠλύσιον πεδίον, συνοικίζοντα αὐτὴν Ῥαδαμάνθυϊ, αὐτὸν δὲ εἰς θεοὺς δῆθεν ἐγκρινόμενον·*

Ἀλκίδας ὁ θρασὺς Ῥαδαμάνθυϊ ματέρα τάνδε
Ἀλκμήναν ὅσιον πρὸς λέχος ἐξέδοτο.

Amaverat autem quondam etiam Licymnium Rhadamanthus, teste Philostrato epist. XLVI. p. 25. ed. Boissonad.

Alcmenae sors materiam tragoediarum praebuit Ioni, Astydamanti ac Dionysio, Licymnii mors Xenocli; cf. Welck. p. 954. 1060. 1233. et 1022. Respexisse ad Euripidis drama Aristophanes videtur in Vespis v. 375:

καὶ τὸν περὶ ψυχῆς δρόμον δραμεῖν

(cf. fragm. Alcm. XIV.), in Ranis v. 93:

χελιδόνων μουσεῖα

(cf. fragm. Alcm. II.), et in Nubibus v. 1413:

πῶς γὰρ τὸ μὲν σὸν σῶμα χρὴ πληγῶν ἀθῷον εἶναι

(cf. fragm. Alcm. XIV. v. 5.).

Verba illa in Avibus (v. 1242.):

λιγνὺς δὲ σῶμα καὶ δόμων περιπτυχὰς
καταιθαλώσει σου Λικυμνίαις βολαῖς,

an ad Euripidis didascaliam spectarent, Callimachus (Cyrenaeus) dubitavit, hac, puto, caussa motus, quod non Licymnius, sed Tlepolemi navis fulmine percussa esse fingebatur. Possunt tamen illa sic ab Euripide narrata fuisse, ut Licymnii *ἀλάστωρ* fulminis mittendi caussa fuisse videretur: neque enim de Licymnii ictibus ex aliis poetis quidquam veteribus grammaticis innotuerat, ut praeter Euripidis drama nihil, quo illa allusio referretur, possit inveniri. Nisi igitur me fallit opinio, qua hoc drama iam in Vespis Nubibusque respectum esse statuo, sequitur, ut ante Ol. 89, 1. vulgo innotuerit. Itaque una cum Hecuba in scenam delatum esse coniicio propterea, quod similitudinem quandam sors Hecubae cum sorte Alcmenae habere videtur.

Praeter Aristophanem autem etiam Plautus, Plutarchus (Marc. p. 310. C.), Diogenes L. (III, 63.), Macrobius, Photius, Hesychius aliique ad hanc tragoediam respexerunt.

C. Plisthenes.

Argumentum huius dramatis apud Hyginum c. 86. inveniri primus vidit Musgravius. Illius narratio haec est: „Thyestes, Pelopis et Hippodamiae filius, quod cum Aeropa, Atrei uxore, concubuit, a fratre Atreo de regno est eiectus. At is Atrei filium, Plisthenem, quem pro suo educaverat, ad Atreum interficiendum misit. Quem Atreus credens fratris filium esse, imprudens filium suum occidit." Hanc tamen narrationem non ex ipso Euripide,

sed ex Attii opere haustam esse inde apparet, quod P e l o p i d a r u m ei nomen pro titulo praemissum est: P e l o p i d a e enim Attii tragoediarum una inscripta fuit, quam quidem de Euripidis Plisthene expressam fuisse ex hac ipsa inscriptione cognoscitur. Atrei filium Plisthenem fuisse schol. Orest. v. 5. testatur: *καὶ Ἀτρεὺς μὲν Κλεόλαν τὴν Δίαντος ἀγαγόμενος ἔσχε Πλεισθένη τὸ σῶμα ἀσθενῆ, ὃς Ἐριφύλην γήμας ἔσχεν Ἀγαμέμνονα καὶ Μενέλαον καὶ Ἀναξιβίαν. Νέος δὲ τελευτῶν ὁ Πλεισθένης καταλείπει τῷ πατρὶ τοὺς παῖδας.* Quocum quodammodo conspirat Eustath. Il. β, 249: *οὗτοι μὲν ἦσαν κατὰ τὸ σύνηθες Ἀερόπης καὶ Ἀτρέως παῖδες τοῦ Πέλοπος, τῇ δὲ ἀληθείᾳ Πλεισθένους, ὥς φ α σ ι ν ἄ λ λ ο ι τ ε π ο λ λ ο ὶ καὶ Πορφύριος ἐν τοῖς ζητήμασιν. Ἀλλ᾽ ἐπειδὴ Πλεισθένης νέος τελευτᾷ μηδὲν καταλείψας μνήμης ἄξιον, νέοι πάνυ ἀνατραφέντες ὑπὸ Ἀτρέως αὐτοῦ παῖδες ἐκλήθησαν* *). Hunc Plisthenem per Thyestem interfectum esse schol. Orest. v. 16. docet: *τὴν μοιχείαν Ἀερόπης αἰνίττεται, ἢ τὴν γυναῖκα Πλεισθένους, ὃν ἀνεῖλε Θυέστης.* Eundem Aeropae maritum et Agamemnonis Menelaique patrem fuisse Apollodorus III, 2, 2. refert: *Ἀερόπην δὲ καὶ Κλυμένην Κρητεὺς Ναυπλίῳ δίδωσιν εἰς ἀλλοδαπὰς ἠπείρους ἀπεμπολῆσαι. Τούτων Ἀερόπην μὲν ἔγημε Πλεισθένης καὶ παῖδας Ἀγαμέμνονα καὶ Μενέλαον ἔτεκεν.* Haec ex Euripide hausta esse scholiasta Sophoclis ad Ai. 1269. docet his verbis: *ἡ ἱστορία ἐν ταῖς Κρήσσαις Εὐριπίδου, ὅτι διαφθαρεῖσαν αὐτὴν (τὴν Ἀερόπην) λάθρα ὑπὸ θεράποντος ὁ πατὴρ (Κρητεὺς) Ναυπλίῳ παρέδωκεν, ἐντειλάμενος ἀποποντῶσαι. Ὁ δὲ οὐκ ἐποίησεν, ἀλλ᾽ ἐνεγύησε Πλεισθένει.* Verumtamen in Cressis haec locum habere non potuisse facile est intellectu: non potuit enim eadem mulier et patri et filio

*) Eadem refert Dict. Cret. I, 1: „Sed hi non Plisthenis, ut erant, magis quam Atrei dicebantur, ob eam caussam, quod, quum Plisthenes, admodum parvus, ipse agens in primis annis, vita functus nihil dignum ad memoriam nominis reliquisset, Atreus miseratione aetatis secum eos habuerat neque minus quam regios educaverat."

nupta fuisse. Fallente memoria Cressas pro Plisthene scholiasta nominavit. Hyginus autem, Aeropam Atrei coniugem fuisse dicens, utramque Euripidis narrationem confudisse videtur. Denique respexisse ad nostram tragoediam Quinctilianum necesse est, apud quem III, 7, 19. haec leguntur: „Quibusdam bona vitiis corrupta odium attulerunt, ut Nerea imbellem, Plisthenem impudicum a poetis accepimus." Impudicitia iuvenis connubio arguitur, quod cum femina impudicissima iniit; et videtur Thyestes mores pueri, quem regno patriaque pulsus ac crudelissima poena affectus patri surripuerat et in spem futurae ultionis pro suo educabat, data opera corripuisse. Sic ingeniosissima crudelitate, quod male moratos liberos, quam nullos, habere miserius esset, fratris saevitiam aequavit.

Haec a Thyeste prooemio exposita esse putandum est. Praeterea huius dolum hunc fuisse ex fragmentis colligo. Primo perfecit, ut Plisthenes, qui se Thyestis filium esse credebat, Atrei filius haberetur et in domum regnique successionem summa cum laetitia a vero patre reciperetur. Hoc autem impetrato iuvenis, qui putaret ultionem crudelitatis pro Thyeste exigendam regnumque eidem, tanquam vero patri suo, restituendum esse, Atreum interficere conatus est. Quo in conatu deprehensus, Thyestis se filium esse confessus est, et tanquam Thyestis filius ab Atreo summo cruciatu atque supplicio necatus. Animam exspirante Plisthene Thyestes, ut fratris dolore se delectaret, veritatem aperuit.

Aut mutata veste aut situ ac moerore deformis fratrem Thyestes adisse videtur et filium ei cum nepotibus, quasi divinatione repertum, adduxisse. Sardibus se oriundum esse dixit

ἐγὼ δὲ Σαρδιανός, οὐ γὰρ Ἀργόλας,

ideo, quod Argis pulsus in Lydiam, pristinam Pelopidarum patriam, concesserat *). Duos Plisthenis filios (Agamemnonem atque Menelaum) una adductos esse haec Thyestis verba declarant:

„*Et ut te triplici laetarem bono.*"

*) Hygin. c. 88: „Postero die rogat regem Thyestes, ut se in patriam Lydiam remitteret."

Oraculorum auctoritate fidem firmatam esse ex fragmento eo, quod Schneidew. Coni. critt. p. 108. protulit, colligi potest:

εἰσὶν γάρ, εἰσὶ διφθέραι μελαγγραφεῖς
πολλῶν γέμουσαι Λοξίου μαντευμάτων.

Videtur igitur specie *χρησμολόγου* se Thyestes Atreo obtulisse. Eius verba servantur haecce:

„*Nam cum uti credam ex tuo esse conceptum satu,*
Sat argumenta redigunt animum et commovent."

Ea argumenta in vestibus Plisthenis reperta esse videntur:

„*Eius serpentis squamae squalido auro textae et purpura.*"

Atreus autem agnito receptoque filio, ut grandaevus, regnum tradit cum hisce praeceptis:

δήμῳ δὲ μήτε πᾶν ἀναρτήσῃς κράτος
μήτ' αὖ κακώσῃς, πλοῦτον ἔντιμον τιθείς,
μηδ' ἄνδρα δήμῳ πιστὸν ἐκβάλῃς ποτέ,
μηδ' αὖξε καιροῦ μεῖζον· οὐ γὰρ ἀσφαλές,
μή σοι τύραννος λαμπρὸς ἐξ αὐτοῦ φανῇ·
κώλυε δ' ἄνδρα παρὰ δίκην τιμώμενον·
πόλει γὰρ εὐτυχοῦντες οἱ κακοὶ νόσος.

Festorum, sacrificiorum epularumque apparatus, quibus Atreus diem laetissimum celebrandum curavit, hoc est indicium:

μηλοσφαγεῖτε δαιμόνων ἐπ' ἐσχάραις.

Eandem laetitiam chorus describit hisce verbis:

πολὺς δὲ κοσσάβων ἀραγμός,
Κύπριδος προςῳδὸν
ἀχεῖ μέλος ἐν δόμοισιν.

In hac ipsa festorum laetitia impetum a Plisthene in Atreum factum esse putandum est. Ex confessione illius decerptum esse potest fragmentum satis obscurum

„*Stimulove cor meum.*"

Quum Atreus Thyestem non ipsum, sed tantum liberos eius interfecisset, iniuste sibi mortem ab illius filio intentatam esse arbitrabatur:

οὐ τὸν σὸν ἔκταν πατέρα, πολέμιόν γε μήν.

Ad Thyestis orationem, veritatem aperientis, hoc traho fragmentum, quo fratrem re peracta laetari vetat:

„*Nec tibi me in hoc gratari decet.*"

Cognito errore uxor Atrei laqueo vitam abrumpit, sic antea conquesta:

„*Quinam Tantalidarum internecioni modus*
Paretur, aut quaenam unquam ob mortem Myrtili
Poenis luendis dabitur satias supplici?"

— — — — — — — —

„*Ubi nec Pelopidarum nomen nec facta aut famam audiam.*"

Atreus autem orbatus liberis, privatus coniuge, grandaevus, duplici luctu afflictatus, miserrimus apparet. Huius verba haec fuerunt:

ὦ πλοῦθ', ὅσῳ μὲν ῥᾷστον εἶ βάρος φέρειν,
πόνοι δὲ κἀν σοὶ καὶ φθοραὶ πολλαὶ βίου
ἔνεισ'. ὁ γὰρ πᾶς ἀσθενὴς αἰὼν βροτοῖς.

— — — — —

„*Cesso hinc ire et rapere lucti vestem in leto coniugis?*"

Sive mortem sibi conscivit Atreus sive superstes fuit, utique regnum ad Thyestem translatum esse verisimile est. Praeierat Homerus:

Ἀτρεὺς δὲ θνήσκων ἔλιπεν πολύαρνι Θυέστῃ.

Et potuit huc respicere scholiasta Orest. v. 800. hisce verbis: „*μέλλων δέ ποτε τελευτᾶν Ἀτρεὺς τὴν βασιλείαν Θυέστῃ καταλιμπάνει, ὅπως ἀνδρωθέντι Ἀγαμέμνονι ἐπιδώσει αὐτῷ τὴν βασιλείαν.*"

Praestantiorum numero tragoediarum hoc drama habitum esse Attii imitatio ostendit, cuius fragmenta apud Ciceronem, Gellium, Nonium aliosque inveniuntur. Eandem Quintilianus loco, quem supra commemoravimus, Ovidius Rem. A. 777. et Serv. Aen. I, 458. respexisse videntur. Graeci exemplaris fragmenta apud Athenaeum, Stobaeum et grammaticos reperiuntur.

Hoc drama structura quidem Ioni simillimum fuisse videtur, rebus autem atque natura argumenti finitimum

fuit Hecubae, ut facile etiam una in theatrum deferri potuerit. Repraesentabatur enim parens summa crudelitate liberis orbatus simulque ipse bonis regnoque privatus, isque mala, quibus laborat, in eum, a quo iniuriam passus est, omnia revolvit. Homo nefarius, qui regni divitiarumque cupidine ad immanissima scelera committenda abreptus est, dum liberos quaerens oracula consulit, horum ipsorum ductu ad orbitatem et perniciem adigitur. Verisimile enim est Atreum malo aliquo sive necessitate ad quaerendum filium reducendumque Thyestem impulsum esse eoque rerum sanandarum studio ansam praebuisse fratri ultionis repetendae. Certe similia ab aliis poetis scripta fuisse ex Hygini narratione c. 88. intelligitur, cui insunt haecce: „Interim sterilitas Mycenis frugum ac penuria oritur ob Atrei scelus. Ibi responsum est, ut Thyestem in regnum reduceret." Itemque haec: „Interim Atreus mittit Agamemnonem et Menelaum filios ad quaerendum Thyestem: qui Delphos petierunt sciscitatum. Casu Thyestes eo venerat ad sortes tollendas de ultione fratris, comprehensusque ab eis ad Atreum perducitur. Quem Atreus in custodiam coniici iussit, Aegisthumque vocat, aestimans suum filium esse, et mittit eum ad Thyestem interficiendum etc." Ad Aegisthum in hac narratione translata sunt ea, quae Plistheni tribuit noster. Ceterum caussis rerum iisdem uti potuit, neque ei coniecturae fragmenta adversantur.

D. Theseus.

Caedem Minotauri atque amorem Ariadnae hac tragoedia repraesentata fuisse fragmenta ostendunt. Eae res cum a pluribus scriptoribus relatae sint, nemo eorum Euripidis vestigiis accuratius institisse, sed respexisse ad eum plerique videntur *).

*) Cf. Welck. p. 733 seq., qui omisit Malalae Chronogr. L. IV. p. 107. (87. Nieb.) et Tzetzis Chil. XI. v. 549 seqq.

Prooemium ab Ariadne dictum esse ex fragm. VII. intelligitur. Conquestam esse virginem suspicor et de patris saevitia et de fratris efferata immanitate, quarum quum illam odisset, hanc abominaretur, perfugium quaerebat et liberationem ex molestiis. Eandem de instituto pueros puellasque Athenienses monstro obiiciendi spectatores docuisse necesse est. Formam Minotauri describens eum dixit esse

σύμμικτον εἶδος κἀποφώλιον βρέφος.

Postea pastor quidam eam convenit, qui forte, quum prope mare armenta pasceret, Theseum cum suis e navi escendentem spectasse videtur. Hic Thesei nomen navi inscriptum conspexerat, sed ignarus litterarum cum interpretari non potuisset, formas earum sic memoriae mandaverat, ut posset singulas ordine describere:

ἐγὼ πέφυκα γραμμάτων μὲν οὐκ ἴδρις,
μορφὰς δὲ λέξω καὶ σαφῆ τεκμήρια·
κύκλος τις ὥς τόρνοισιν ἐκμετρούμενος·
οὗτος δ' ἔχει σημεῖον ἐν μέσῳ σαφές.
Τὸ δεύτερον δὲ πρῶτα μὲν γραμμαὶ δύο,
ταύτας διείργει δ' ἐν μέσαις ἄλλη μία.
Τρίτον δὲ βόστρυχός τις ὥς εἱλιγμένος.
Τὸ δ' αὖ τέταρτον ἦν μὲν εἰς ὀρθὴν μία,
λοξαὶ δ' ἐπ' αὐτῆς τρεῖς κατεστηριγμέναι
ἦσαν. Τὸ πέμπτον δ' οὐκ ἐν εὐμαρεῖ φράσαι·
γραμμαὶ γάρ εἰσιν ἐκ διεστώτων δύο,
αὗται δὲ συντρέχουσιν εἰς μίαν βάσιν.
Τὸ λοίσθιον δὲ τῷ τρίτῳ προςεμφερές.

Sine dubio hae litterarum formae (*ΘΗΣΕΥΣ*) prorae navis, quae Athenis servabatur, inscriptae erant, deditque haec Euripides civium studio, antiquitatis illud monumentum venerantium *).

Locum, quo res agerentur, proxime labyrinthum fuisse et labyrinthum ipsum oculis spectatorum repraesentatum fuisse putandum est. Ex quo loco postquam Ariadne in regiam rediit, chorus prodiit septem adolescentium se-

---

*) Plato Phaed. p. 58. A. Plutarch. Thes. c. 23.

ptemque virginum, qui pro hostiis adducebantur *). Parodi fragmentum apud Aristophanem et scholiastam eiusdem (Vesp. 312.) servatum est:

τί με δῆτ', ὦ μελέα μᾶτερ, ἔτικτες;

Alternans cum choro Hippolytus haec cecinisse traditur:

ἀνόνητον ἄγαλμα,
πάτερ, οἴκοισι τεκών.

De horum immolatione exponens Plutarchus Euripidem secutus esse videtur, id quod versus quosdam huius poetae proferendo declarat. Is igitur propter Androgei caedem sterilitate, morbo ac fluminum inundationibus Atticam laborasse narrat, monenteque deo Delphico, Minoe placato atque reconciliato finem fore malorum iraeque coelestis, Athenienses legatis cum suppliciis missis foedus inisse ea lege, ut tributum novem annis mitterent septenos adolescentes totidemque virgines. Hos in Cretam deportatos a tragicis perhiberi (ὁ μὲν τραγικώτατος μῦθος ἀποφαίνει) in labyrintho aut a Minotauro peremtos esse aut vagantes, cum exitum invenire nequirent, ibidem interisse.

Finita parodo Theseus cum prooemio quodam in scenam prodiit. Ad Europae terminos se navigasse ait:

σχεδὸν παρ' αὐτοῖς κρασπέδοις Εὐρωπίας,

ut pugnaret cum monstro, quod tauri faciem cum humano corpore consociatam gerere dicatur:

ταύρου μεμῖχθαι καὶ βροτοῦ διπλῇ φύσει.

Neque tamen se imparatum ad tales labores ac discrimina accedere, sed meditatione atque disciplina (Pitthei, puto) firmatum:

ἐγὼ δέ, τοῦτο παρὰ σοφοῦ τινος μαθών,
εἰς φροντίδας νοῦν συμφοράς τ' ἐβαλλόμην,
φυγάς τ' ἐμαυτῷ προςτιθεὶς πάτρας ἐμῆς
θανάτους τ' ἀώρους καὶ κακῶν ἄλλας ὁδούς,
ἵν', εἴ τι πάσχοιμ', ὧν ἐδόξαζον φρενί,
μή μοι νέορτον προςπεσὸν μᾶλλον δάκοι.

Haec vertit Cicero eo loco Tusculanarum disp., quo docet praemeditatione futurorum malorum leniri eorum adven-

---

*) Cf. Welck. p. 734.

tum quae venientia longe ante videris. Verissime idem Euripidis ipsius sententiam a Theseo explicari animadvertit: „Quod autem Theseus a docto se audisse dicit, id de se ipso loquitur Euripides *). Fuerat enim auditor Anaxagorae, quem ferunt nuntiata morte filii dixisse: „Sciebam me genuisse mortalem.""

Tertio dramatis actu colloquium Thesei atque Minotauri exhibitum fuisse consentaneum est. Huius colloquii parte ea, quae minas Thesei continebat, Aristophanes in Ranis (v. 478.) abusus est:

τοία Στυγός σε μελανοκάρδιος πέτρα
'Αχερόντιός τε σκόπελος αἱματοσταγὴς
φρουροῦσι Κωκυτοῦ τε περίδρομοι κύνες
Ἔχιδνά θ' ἑκατογκέφαλος, ἣ τὰ σπλάγχνα σου
διασπαράξει· πνευμόνων τ' ἀνθάψεται.
Ταρτησία μύραινα· τὼ νεφρὼ δέ σου
αὐτοῖσιν ἐντέροισιν ᾑματωμένω
διασπάσονται Γοργόνες Τιθράσιαι,
ἐφ' ἃς ἐγὼ δρομαῖον ὁρμήσω πόδα **).

Tanquam ipsa Euripidis verba haec protulit scholiasta:

κάρα τε γάρ σου συγχέω κόμαις ὁμοῦ
ῥανῶ τε πεδόσ' ἐγκέφαλον, ὀμμάτων δ' ἄπο
αἱματοσταγεῖς πρηστῆρες ὕσονται κάτω ***).

His minis compulsum simulque copia militum, qui Theseo praesto erant, territum Minotaurum in labyrinthum, tanquam in castellum, concessisse verisimile est. Ad quod munimentum expugnandum quum Theseus se accingeret, Ariadne, viri praestantissimi amore permota, in colloquium eius venit ostenditque, qua ratione in labyrinthum ipsum ingressus monstrum interimere incolumis-

---

*) Pittheum a Theseo sapientem dici manifestum est.

**) Schol. Ven.: *παραπλήσιά ἐστι τούτοις τὰ ἐν τῷ Θησεῖ πεποιημένα παρ' Εὐριπίδῃ· ἐκεῖ γὰρ τοιοῦτος ἦν σπουδάζων καὶ τοιαῦτα λέγει πρὸς τὸν Μίνωα (Μινώταυρον?)· διστάσαι δ' ἄν τις, μὴ καὶ ταῦτα μιμεῖται 'Αριστοφάνης. Προείρηται, ὅτι πολὺς ἐν τούτῳ τῷ γένει 'Αριστοφάνης.* Schol. Flor. ad 473. (*μελανοκάρδιος*)· *ἐκ Θησέως Εὐριπίδου.*

***) Vulgo soloece *ῥεύσονται κάτω.*

que inde evadere posset*). Theseus contra pollicitus est se eam ex labyrintho servatum in patriam secum abducturum et pro uxore habiturum. Consilium Ariadnae his verbis explicat Plutarchus c. 19: *ἐπεὶ δὲ κατέπλευσεν εἰς Κρήτην, ὡς μὲν οἱ πολλοὶ γράφουσι καὶ ᾄδουσι, παρὰ τῆς Ἀριάδνης ἐρασθείσης τὸ λίνον λαβὼν καὶ διδαχθεὶς, ὡς ἔστι τοῦ λαβυρίνθου τοὺς ἑλιγμοὺς διεξελθεῖν, ἀπέκτεινε τὸν Μινώταυρον καὶ ἀπέπλευσε τὴν Ἀριάδνην ἀναλαβὼν καὶ τοὺς ἠϊθέους.* Exstat etiam fragmentum ad huius doli descriptionem pertinens (inc. n. 206.):

— *λίνου κλωστῆρα περιφέρει λαβών.*

Ex famuli narratione hoc depromtum esse apparet. Eodem pertinet fragm. inc. 202., quo ipsa monstri caedes significatur:

ὁ δ' ἐσφάδαζεν, οὐκ ἔχων ἀπαλλαγάς.

Potuit praeterea in hac tragoedia locum habere fragm. inc. 46:

σὺν τοῖσι δεινοῖς αὔξεται κλέος βροτοῖς.

Nec absonum est fragm. 110:

εἰ δὲ θανεῖν θέμις, ὧδε θανεῖν καλόν,
εἰς ἀρετὴν καταλυσαμένους βίον.

Noctu clam cum Ariadna Theseum aufugisse ait Diodorus (V, 51.), nec sponte illam deseruisse, sed Baccho minitanti, quum Naxum pervenisset, concessisse. Ad Delum quoque eum appulisse et, cum sacra Apollini fecisset signumque Veneris dedicasset, quod ab Ariadna accepisset, tripudium saltasse cum pueris puellisque, quod postero quoque tempore Delii usurpaverint, refert Plutarchus c. 20. Harum rerum praemonendarum caussa Minervam de coelo descendere necesse fuit.

Hunc dramatis exitum pictura quadam Herculanensi repraesentari suspicor, in qua Theseus conspicitur pallio indutus, caetera nudus, et coram eo Minotauri interfecti corpus cruentatum. Pueri puellaeque servati crura,

---

*) Diodor. IV, 61: *Θησεὺς δὲ εἰς λόγους ἐλθὼν αὐτῇ καὶ ταύτην συνεργὸν λαβὼν κτλ.*

manus, clavam viri amplectuntur. Numen praesens post tergum eius apparet.

Respexit Aristophanes ad hoc drama in Vespis v. 312., in Ranis v. 476 etc. Usi sunt quibusdam eius versibus Plutarchus, Galenus, Athenaeus, Cicero aliique. Una cum Hecubae fabula actum illud esse inde colligo, quod Deliacorum sacrorum ac tripudii sollemnis ab Atheniensibus antiquitus instituti commemorandorum facultas erat, quodque pestilentiae remedium quaerentes Athenienses tributum puerorum puellarumque in Cretam initio misisse dicebantur, et quod liberorum caedem Theseus perinde atque Hecuba immane monstrum supplicio afficiens ulciscitur.